MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

74.S.91

Digitized by Google

Coll.
74. S. 91.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Augustissimâ Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi.

ICONES
QVINQVAGINTA VIRORVM
illustrium doctrina & eruditione præstantium ad vivum effictæ, cum eorum vitis descriptis
a
Ian. Iac. Boissardo Vesunti:
Omnia recens in æs artificiosè incisa, & demum foras data
per
Theodorum de Bry Leodiensem
civem francofurti
Anno M.D.XCVII.



K. K. HOFBIBLIOTH.

Digitized by Google

PETRI LEPIDI METENSIS IN BOIS-
sardi effigiem à Theodoro de Bry sculptam.



Quos Alexandrum si nobilitauit Apelles
Dum pinxit docta Principis ora manu:
Jane tuũ illustrat Theodori industria vultum,
Qui tanto heic pictus cernitur artifice.

Digitized by Google

SYMBOLVM THEODORI de Bry Leodiensis.

HEu quantum à primo miseri mutamur Adamo:
Ver illi aternum risit & alma quies.
At nunc cura homines facit irrequieta beatos:
Huc ratio huc omnis vis subit ingenij.
Scilicet vt corpusq́, animamq́, & catera seruet
Res tibi cum curis perpetuata venit.
Parua sed ingentis formica laboris imago
Exemplo hac nobis dat documenta suo.
At mihi quando anima dabitur curare salutem,
Non me deficiunt quas colit orbis opes.
Quin ea Christicolas nunc vnica cura fatiget
Qua Scythicum reprimant excutiantq́, iugum.
Tu DEVS à mentem meliorem & sobria nostris
Pectora promeritis ah grauiora dabis;
Vt crudele queant procul euitare flagellum
Teq́, redemptorem concelebrare Deum.

LECTORI

LECTORI CANDIDO
Theodorus de Bry Leodiensis S. P D.

EDidi hactenus ad publicam humanæ societatis vtilitatem, Lector benigne, præclara quædam virorum doctissimorum monumenta, quibus res nouas & ante Christiano orbi incognitas detexi, vtpote Americanam Historiam, septē voluminib. distinctam, & Topographiam Romanæ vrbis cum monumentis sepulchralib. ita in ære effictis, vt similia prior ætas non viderit. Quæ literarum & antiquitatis monumenta, cum à viris excellenter eminentibus mihi communicata sint, & maxime à Doctiss. viro Dn. I. I. Boissardo, ea animi gratitudine, qua par est, eos complector, & veneror. Interea autem idem Dn. Boissardus per literas me admonuit, penes sese quoq; Doctorum virorum Icones esse, quas ad viuum ipse delinearit, (vt est in ea arte miro ingenio callens) quasq; absolutis descriptionibus illustrarit, quas si scalpello meo imitari & perpolire velim, se ea re mihi gratum facturum, & archetypos ad me missurum: quæ dum opportune mihi significasset, institi simulac vt promisso se solueret, & me eorum compotem participemq; faceret: siquidem quæcunq; hactenus à me publice exhibita essent, ea omnia Doctorum ingeniosis repertis accepta ferrem. Is autem vt vir est & Musis, & amicis natus, vbi voti mei desiderium ei in scripto redditum esset, maiori quàm rogabam fide & diligentia omnia prælineata, & accurate descripta ad me misit; id itaq; ipsum exemplar tam accurate tantaq; cum industria in ære effinxi, & publici iuris nunc in lucem protuli, vt in me nemo, vt confido, quicquam desiderare amplius queat. At enim cum horum virorum illustrium vitæ, documenta & exempla quædam virtutis eminentis esse soleant, quorum labor indefessus eô vsq; ad honorum culmen

SYMBOLVM THEODORI de Bry Leodienſis.

HEu quantum à primo miſeri mutamur Adamo:
Ver illi æternum riſit & alma quies.
At nunc cura homines facit irrequieta beatos:
Huc ratio huc omnis vis ſubit ingenij.
Scilicet vt corpusq́ animamq́ & cætera ſerues
Res tibi cum curis perpetuata venit.
Parua ſed ingentis formica laboris imago
Exemplo hæc nobis dat documenta ſuo.
At mihi quando animæ dabitur curare ſalutem,
Non me deficiunt quas colit orbis opes.
Quin ea Chriſticolas nunc vnica cura fatiget
Qua Scythicum reprimant excutiantq́ iugum.
Tu DEVS ò mentem meliorem & ſobria noſtris
Pectora promeritis ah grauiora dabis;
Vt crudele queant procul euitare flagellum
Teq́ redemptorem concelebrare Deum.

LECTORI

LECTORI CANDIDO
Theodorus de Bry Leodienſis S. P D.

EDidi hactenus ad publicam humanæ ſocietatis vtilitatem, Lector benigne, praclara quædam virorum doctiſſimorum monumenta, quibus res nouas & ante Chriſtiano orbi incognitas detexi, vtpote Americanam Hiſtoriam, ſeptẽ voluminib. diſtinctam, & Topographiam Romanæ vrbis cum monumentis ſepulchralib. ita in ære effictis, vt ſimilia prior ætas non viderit. Quæ literarum & antiquitatis monumenta, cum à viris excellenter eminentibus mihi communicata ſint, & maxime à Doctiſſ. viro Dn. I. I. Boiſſardo, ea animi gratitudine, qua par eſt, eos complector, & veneror. Interea autem idem Dn. Boiſſardus per literas me admonuit, penes ſeſe quoq; Doctorum virorum Icones eſſe, quas ad viuum ipſe delinearit, (vt eſt in ea arte miro ingenio callens) quaſq; abſolutis deſcriptionibus illuſtrarit, quas ſi ſcalpello meo imitari & perpolire velim, ſe ea re mihi gratum facturum, & archetypos ad me miſſurum: quæ dum opportune mihi ſignificaſſet, inſtiti ſimulac vt promiſſo ſe ſolueret, & me eorum compotem participemq; faceret: ſiquidem quæcunq; hactenus à me publice exhibita eſſent, ea omnia Doctorum ingenioſis repertis accepta ferrem. Is autem vt vir eſt & Muſis, & amicis natus, vbi voti mei deſiderium ei in ſcripto redditum eſſet, maiori quàm rogabam fide & diligentia omnia prælineata, & accurate deſcripta ad me miſit; id itaq; ipſum exemplar tam accurate tantaq; cum induſtria in ære effinxi, & publici iuris nunc in lucem protuli, vt in me nemo, vt confido, quicquam deſiderare amplius queat. At enim cum horum virorum illuſtrium vita, documenta & exempla quædam virtutis eminentis eſſe ſoleant, quorum labor indefeſſus eò vſq; ad hono-

rum culmen eos prouexit, vt velut in ſummo dignitatum faſtigio reliquis præluceant, nolui & meo deeſſe officio, & in eis elaborandis non abſimile quid tentare, ſi qua mihi earum laudum portio ob ſolertiam meam & induſtriam ſpecimen ex his contingere poſſit. Fore enim putabam vt hinc tũ alij, tum maxime iuuentus tanquam in ſpeculo informetur, ne tempus inertia terant, ſed dum meſſis adhuc in herba eſt, iam tum virtuti aſſuefiant, quo & illos par gloriæ dignitatumq; fama tandem conſequatur.

Quare parentibus præcipue autor eſſe velim, vt prolis ſuæ inſtitutioni diligenter attendant, ne otio deteſtabili, quod verè Sathanæ puluinar eſt, diffluat, & extremam ita pernitiem tandem ſibi adſciſcat; quod vel meo ipſius exemplo edocuiſſe non mihi pudori ſit, quippe qui & parentibus honeſto loco natis progeneratus, & opib. affluens, atq; adeò inter honoratiores Leodij vel primarius fuerim, fortuna tamen caſibus, impoſturis, malis nominibus & latronum inſidijs omnibus ijs ornamentis exutus, adeo aduerſam aleam expertus ſum, vt niſi ex arte mea mihi proſpicere potuiſſem, vel littus, quod aiunt, rerum omnium egeno arandum fuiſſet: Ars ſola mihi poſt tam amplam à parentibus relictam rem remanſerat, quam nec latrones nec furum manus rapaces inuadere potuerant, ea rem & gloriam in priſtinum reſtituit, nec me cultorem ſui indefeſſum fefellit vnquam. Libenter hæc recito quod & aliis exemplo eſſe debeant, & optima fide à me prolata ſint, nec ab inſtituto noſtro aliena; Non enim viri hi illuſtres vel ſomno vel inertibus horis hoc nominis aſſecuti ſunt, vt inter illuſtria mundi luminaria emicarent, ſed labor improbus, & exercitatio indefeſſa, atq; ardentiſſimus veritatis amor in rebus abſtruſis inueſtigandis, hos illis honores contulit. Bene enim vixiſſe, ſuo ſeculo profuiſſe, de omnibus bene meritum eſſe, laudemque præcipuam inter ſuos adeptum fuiſſe, merito ſuo multum & magnum putatur, & ad poſteritatem iure propagatur.

Hinc tot apud maiores noſtros Heroum imagines, tot ſtatuæ per circos, per theatra, per delubra Deũm, vnde honos virtuti præſenti

senti alimentum, & posteritati absenti stimulos sufficeret. Quis verò nescit, quæ reuerentia imaginibus, quæ religio cesserit? Parentes quidem pro sua indulgentia hanc storgen liberis; & liberi pro pietate sua hoc officij parentibus, caterique amici amicis in Lararijs præstant: gloriæ apud eruditos datur si volumina edita non minus ingenij commentis, quam à frontispicio corporis specie autorum exornentur: quicunque enim bonis disciplinis ipsarum tantum causa fauent, easque diligunt, ij ab omni inuidentia prorsus alieni sunt, singularique erga virtutem affectu ducti non possunt non amare eos, quos excellens animi virtus aliqua nobilitauerit.

Hinc iam tibi Lector ingenue, studium meum apertius probatum iri spero, quòd hæc sola mihi causa fuerit, ob quam virorum in bonis artibus illustrium, qui superioribus vt plurimum sæculis floruerunt, quiq; adhuc cum multa ingenij & eruditionis laude de re literaria benemerentur, Effigies tanto artificio exprimere aggressus sim. Iamque adeò primo hoc Tomo speciminis loco contentus, occasione deinceps etiam data, alios tum numero Iconum, tum arte & opera pares à nobis expectato. Plures enim ad publicam notitiam exprimendos exhibendosque dabimus, quos precio minus coaceruato distinctos successu temporis tibi comparare detrimentum non erit: Boni modò studiosiq; viri, & literarum facultatumq; antistites, aut ciuitatum magistratus, apud quos defunctorum huiusmodi doctorum effigies, ad nominis monumentum depicta habentur, siue etiam superstites ij reipublicæ adhuc inseruiant, exemplum ad nos, à perito artis pictore expressum, vel cum coloribus si ita ratio feret, aut si sculptum habeant, siue in numismatis formam relatum, mittant, quod cum redditum acceperimus, quantum omni diligentia & industria consequi poterimus, virorum illorum de bonis artibus & humano genere benemerentium famæ celebrationiq; consuluerimus, vt veluti ex ingeniorum fructibus editis noticiam suam ad absentes & ad posteros propagauerunt, sic non animorum tantum specimine, sed corporum etiam specie ipsa præsentes quodammodo noti sint.

Hæc

PRÆFATIO.

Hæc instituti mei fuit ratio, qua videlicet inductus, virorum clarissimorum monumentis à me eleganter & speciosè edendis nunc clarissimo viro Dn. I.I. Boissardo negocium nouum facessere nõ destiterim, donec hac quoq; in parte mihi annueret, atq; nouum & primum hunc Tomum ex sententia perfectum forâs ambo daremus. Caterum quæ tua est humanitas, Lector aquissime, singula pro tuo candore habeto, & quod facis, nos tui amantissimos libens volens redama, sic propediem, & plura nec his inferiora, nec noticia tua minus digna, per nos, promoueris. Vale.

Ex Augustissimâ Bibliothecâ Cæsareâ Vindobonensi.



ICONES
QVINQVAGINTA VIRORVM
illustrium doctrina & eruditione præstantium ad vivum
effictæ, cum eorum vitis
descriptis
a
Ian. Iac. Boissardo Vesunti:
Omnia recens in æs artificiosè
incisa, & demum foras data
per
Theodorum de Bry Leodien-
sem francofurti
Anno M.D.XCVII.

PETRI LEPIDI METENSIS IN BOIS-
sardi effigiem à Theodoro de Bry sculptam.



Quos Alexandrum si nobilitauit Apelles
Dum pinxit doctæ Principis ora manu:
Jane tuũ illustrat Theodori industria vultum,
Qui tanto heic pictus cernitur artifice.

SYMBOLVM THEODORI de Bry Leodiensis.

HEu quantum à primo miseri mutamur Adamo:
Ver illi aternum risit & alma quies.
At nunc cura homines facit irrequieta beatos:
Huc ratio huc omnis vis subit ingenij.
Scilicet vt corpusq́ animamq́ & catera seruet
Res tibi cum curis perpetuata venit.
Parua sed ingentis formica laboris imago
Exemplo hac nobis dat documenta suo.
At mihi quando anima dabitur curare salutem,
Non me deficiunt quas colit orbis opes.
Quin ea Christicolas nunc vnica cura fatiget
Qua Scythicum reprimant excutiantq́ iugum.
Tu DEVS ò mentem meliorem & sobria nostris
Pectora promeritis ah grauiora dabis;
Vt crudele queant procul euitare flagellum
Teq́ redemptorem concelebrare Deum.



LECTORI

LECTORI CANDIDO

Theodorus de Bry Leodiensis S. P D.

EDidi hactenus ad publicam humanæ societatis vtilitatem, Lector benigne, præclara quædam virorum doctissimorum monumenta, quibus res nouas & ante Christiano orbi incognitas detexi, vtpote Americanam Historiam, septẽ voluminib. distinctam, & Topographiam Romanæ vrbis cum monumentis sepulchralib. ita in ære effictis, vt similia prior ætas non viderit. Quæ literarum & antiquitatis monumenta, cum à viris excellenter eminentibus mihi communicata sint, & maxime à Doctiss. viro Dn. I. I. Boissardo, ea animi gratitudine, qua par est, eos complector, & veneror. Interea autem idem Dn. Boissardus per literas me admonuit, penes sese quoq; Doctorum virorum Icones esse, quas ad viuum ipse delinearit, (vt est in ea arte miro ingenio callens) quasq; absolutis descriptionibus illustrarit, quas si scalpello meo imitari & perpolire velim, se ea re mihi gratum facturum, & archetypos ad me missurum: quæ dum opportune mihi significasset, institi simulac vt promisso se solueret, & me eorum compotem participemq; faceret: siquidem quæcunq; hactenus à me publice exhibita essent, ea omnia Doctorum ingeniosis repertis accepta ferrem. Is autem vt vir est & Musis, & amicis natus, vbi voti mei desiderium ei in scripto redditum esset, maiori quàm rogabam fide & diligentia omnia prælineata, & accurate descripta ad me misit; id itaq; ipsum exemplar tam accurate tantaq; cum industria in ære effinxi, & publici iuris nunc in lucem protuli, vt in me nemo, vt confido, quicquam desiderare amplius queat. At enim cum horum virorum illustrium vita, documenta & exempla quædam virtutis eminentis esse soleant, quorum labor indefessus eò vsq; ad honorum culmen

rum culmen eos prouexit, vt velut in ſummo dignitatum faſtigio reliquis præluceant, nolui & meo deeſſe officio, & in eis elaborandis non abſimile quid tentare, ſi qua mihi earum laudum portio ob ſolertiæ meæ & induſtriæ ſpecimen ex his contingere poſsit. Fore enim putabam vt hinc tũ alij, tum maxime iuuentus tanquam in ſpeculo informetur, ne tempus inertia terant, ſed dum meſsis adhuc in herba eſt, iam tum virtuti aſſuefiant, quo & illos par gloriæ dignitatumq; fama tandem conſequatur.

Quare parentibus præcipue autor eſſe velim, vt prolis ſuæ inſtitutioni diligenter attendant, ne ocio deteſtabili, quod verè Sathanæ puluinar eſt, diffluat, & extremam ita pernitiem tandem ſibi adſciſcat; quod vel meo ipſius exemplo edocuiſſe non mihi pudori ſit, quippe qui & parentibus honeſto loco natis progeneratus, & opib. affluens, atq; adeò inter honoratiores Leodij vel primarius fuerim. fortuna tamen calibus, impoſturis, malis nominibus & latronum inſidijs omnibus ijs ornamentis exutus, adeo aduerſam aleam expertus ſum, vt niſi ex arte mea mihi proſpicere potuiſſem, vel littus, quod aiunt, rerum omnium egeno arandum fuiſſet: Ars ſola mihi poſt tam amplam à parentibus relictam rem remanſerat, quam nec latrones nec furum manus rapaces inuadere potuerant, ea rem & gloriam in priſtinum reſtituit, nec me cultorem ſui indefeſſum fefellit vnquam. Libenter hæc recito quod & aliis exemplo eſſe debeant, & optima fide à me prolata ſint, nec ab inſtituto noſtro aliena; Non enim viri hi illuſtres vel ſomno vel inertibus horis hoc nominis aſſecuti ſunt, vt inter illuſtria mundi luminaria emicarent, ſed labor improbus, & exercitatio indefeſſa, atq; ardentiſsimus veritatis amor in rebus abſtruſis inueſtigandis, hos illis honores contulit. Bene enim vixiſſe, ſuo ſeculo profuiſſe, de omnibus bene meritum eſſe, laudemque præcipuam inter ſuos adeptum fuiſſe, merito ſuo multum & magnum putatur, & ad poſteritatem iure propagatur.

Hinc tot apud maiores noſtros Heroum imagines, tot ſtatuæ per circos, per theatra, per delubra Deúm, vnde honos virtuti præſenti

senti alimentum, & posteritati absenti stimulos sufficeret. Quis verò nescit, quæ reuerentia imaginibus, quæ religio cesserit? Parentes quidem pro sua indulgentia hanc storgen liberis; & liberi pro pietate sua hoc officij parentibus, caterique amici amicis in Lararijs præstant: gloriæ apud eruditos datur si volumina edita non minus ingenij commentis, quam à frontispicio corporis specie autorum exornentur: quicunque enim bonis disciplinis ipsarum tantum causa fauent, easque diligunt, ij ab omni inuidentia prorsus alieni sunt, singularique erga virtutem affectu ducti non possunt non amare eos, quos excellens animi virtus aliqua nobilitauerit.

Hinc iam tibi Lector ingenue, studium meum apertius probatum iri spero, quòd hæc sola mihi causa fuerit, ob quam virorum in bonis artibus illustrium, qui superioribus vt plurimum saculis floruerunt, quiq; adhuc cum multa ingenij & eruditionis laude de re literaria benemerentur, Effigies tanto artificio exprimere aggressus sim. Iamque adeò primo hoc Tomo speciminis loco contentus, occasione deinceps etiam data, alios tum numero Iconum, tum arte & opera pares à nobis expectato. Plures enim ad publicam notitiam exprimendos exhibendosque dabimus, quos precio minus coaceruato distinctos successu temporis tibi comparare detrimentum non erit: Boni modò studiosiq; viri, & literarum facultatumq; antistites, aut ciuitatum magistratus, apud quos defunctorum huiusmodi doctorum effigies, ad nominis monumentum depicta habentur, siue etiam superstites ij reipublicæ adhuc inseruiant, exemplum ad nos, à perito artis pictore expressum, vel cum coloribus si ita ratio feret, aut si sculptum habeant, siue in numismatis formam relatum, mittant, quod cum redditum acceperimus, quantum omni diligentia & industria consequi poterimus, virorum illorum de bonis artibus & humano genere benemerentium famæ celebrationiq; consuluerimus, vt veluti ex ingeniorum fructibus editis noticiam suam ad absentes & ad posteros propagauerunt, sic non animorum tantum specimine, sed corporum etiam specie ipsa præsentes quodammodo noti sint.

Hæc

PRÆFATIO.

Hæc instituti mei fuit ratio, qua videlicet inductus, virorum clarissimorum monumentis à me eleganter & speciosè edendis nunc clarissimo viro Dn. I. I. Boissardo negocium nouum facessere nõ desiterim, donec hac quoq; in parte mihi annueret, atq; nouum & primum hunc Tomum ex sententia perfectum forâs ambo daremus. Caterum qua tua est humanitas, Lector aquissime, singula pro tuo candore habeto, & quod facis, nos tui amantissimos libens volens redama, sic propediem, & plura nec his inferiora, nec noticia tua minus digna, per nos, promoueris. Vale.

IOANNES POSTHIVS ARCHIATER PALATIN'
Te pain te phœbus amat seu carmina pangas
Puromia Veniat seu tibi ab arte decus

In Viuis adhuc existente Domino Posthio, eius effigiem priori loco ponendam neque alijs interserendam duxi.

IOANNES Posthius aulæ Palatinæ Archiater, vir omni genere literaturæ excultissimus, non solùm Medicinam, verùm etiam vniuersæ Philosophiæ secreta exactissimè tenet: Poëta doctissimus, & qui in Poësi nulli huius sæculi secundus esse iudicatur. Is ortum duxit Germersheimio vrbe Palatinatus ad Rhenum: natus Anno Salutis humanæ 1537. Parentibus Ioanne Posthio eiusdem vrbis primario ciue, & inter suos sorte splẽdida & honorata. Matre verò Anna Vilmanna à Zeysheim; quæ paucis post partum difficilem diebus, magno mariti, ciuiumque suorum dolore decessit è vita. Neque pater diu post vxoris obitum superuixit. Vix enim puer (quem vnicum hoc matrimonio susceperat) tertium agebat ætatis annum, cùm vir bonus immatura morte præreptus est, orphanumque filium sub tutela nouercæ, quam paulò antè demortuæ coniugi superinduxerat, reliquit. Atque vt fit plerumq; , ea cũ tutoribus de re sua adaugenda magis, quàm de pueri institutione solicita, eius primã pueritiã neglexerunt. Sed cùm indies insignia felicis indolis redderet testimonia, tandẽ iam agentem nonum annũ cõmiserunt institutioni Ludimagistri, qui tunc erat Germersheimij vir mediocriter eruditus. Is pueri ingeniũ admiratus, hortator fuit apud eius curatores, vt studiis bonarum litterarum illum diligenter instituerent. Pueritiæ igitur partẽ postremam apud Præceptores populares in patria exegit. Iamque adultior factus, missus est Heydelbergam ad Nicrum Academiam celebrem, aulaq; Palatinorũ Principum claram: vbi doctissimi viri Thomas Erastus Medicus & Philosophus eruditissimus, Petrusque Lotichius Poëta inter Germanos suo tempore primus, alijque permulti viri doctrina illustres viuebant. Horum familiaritate & amicitia per annos duodecim continuos tantum in bonis disciplinis profecit, vt cum eruditis quibusq; cõferri posset. Pronus enim in studia & inuestigationem rerum naturaliũ

ferebatur, vt erat promptus, ſolers, & vigilans, quique nulli labori parceret, quo poſſet ad cognitionē abſtruſioris Philoſophiæ peruenire. Ideo cùm nullam literaturæ partem intactam omiſerit, ipſamque Cyclopædiam attigerit, peculiari tamē inſtinctu Medicinam elegit, in qua ſe exerceret: quòd eius perfecta cognitio conſtet ſcientia rerum diuinarum humanarūq;, charitatis amorem excitet, dum proximo prodeſt, tā cōſilio, cōſolatione in doloribus, quàm procuratione reſtitutionis bonæ valetudinis, ſine qua noſtra corpora redduntur ægra, mutila, imbecilla, & ad omnē bonam actionem inutilia. Quòdque ea ars neceſſaria ſit in hac vita, grata Principibus & populo, iucundamq; rerum variarum cognitionē adferat. Huic vt cōmodiùs, & cum maiore profectu vacare poſſet, Germaniam relinquens in Italiam iter ſuſcepit, Patauium potiſſimùm: vbi celeberrimi totius orbis videntur Medici: qui non ſolùm doctè, & fideliter publicè docent, ſed quod apud cæteras nationes inuſitatum cernimus, ſuos auditores ſecū à lectionibus ad Praxim deducunt, cum ijs familiariter conferunt, & ſeparatim docēt, & explicant, quæ in auditoriis obſcuriùs tractata, vel intellecta non ſunt: quæq; in genere dicta ſunt publicè, ea fuſiùs & particulatim retractantur, cùm ad ægros peruentum eſt: vbi de diuerſis ſymptomatibus agitur, quę morbos comitantur. Hæc Medicorum Italorū induſtria, nō poteſt eſſe ſine maximo auditorum fructu. Vtque eſt Doctorum eius nationis honeſta & laudabilis ambitio, quos habēt auditores, hos in officio & amicitia retinent comibus alloquiis, cōmunicatione, & interpretatione rerum obſcuriorum, & lectionibus priuatis, quoties feriæ, vacatioq; publica propter æſtus, meſſes, & vindemias indicta eſt. Tum publici profeſſores ſoliti ſunt aliquid ſubtilioris, & argutioris materiæ ſuſcipere, qua norunt ſuos auditores delectari; vel cuius cognitionem animaduertunt omnibus Medicis adprimè neceſſariam. Quod meo tempore factitatum ſcio à magnis illis viris Patauinis Baſſiano Lando, Victore Trincauella,

vella, Aloysio Bellagato, & Gabriele Falloppio, qui Anno 1556. celebres in Academia Patauina viuebant: & nouissimè Anno 1576. Hieronymus Mercurialis, Hieronymus Capouaccius, Bernardinus Paternus, alijq; de Medicinę studiosis optimè meriti idē præstiterunt. Adde id quod colophonem imponit huic studio; postquam eorū discipuli & auditores satis in ijs studiis versati sunt, eos promouēt ad Nosocomia Italiæ luculentiora, vbi Medici sunt rerū peritissimi, diligētes, & fidi: & Pharmacopolæ, qui Doctoribus Medicis solertia & experientia nō cedūt. Anatomiæ præterea, & corporū sectiones quotannis instituūtur in Theatris ad id cōstitutis, tanta arte, tanta auditorum frequentia, tanta deniq; Medicorum & Chirurgorum cōtentione, vt nemo sit inter eos, qui non decertet & conetur aliquid in medium adferre, quo auditores delectētur, & erudiantur. Tātæ & tam variæ exercitationes mirum est quem fructum studiosis conferant: qui ex Italia in patriam redeunt instructissimi ad aulas Imperatorum, Regū, Principum, ciuitatesq; benè institutas. Posthius igitur, qui hæc omnia relatione aliorū cognoscebat, quique peculiari desiderio stimulabatur videndi nationes externas, & ex conuersatione familiari cum doctissimis quibusq; animum polire: quippe, vt erat ingenio excitato, prompto, alacri, aperto, & candido, moribusq; cōmodis, nihil nisi arduum meditabatur & moliebatur. In Italiam igitur profectus, doctissimis se associauit, qui potissimū in facultate Medica operam impendebant. In horto simplicium (cui præerat longa experientia, peregrinationibusq; in Orientem susceptis celeber, ac singulari comitate præditus Guillandinus) assiduè versabatur, discens continua scrutatione vires & virtutes herbarum, quoque modo præparari, ex ijs succi elici, & quibus morbis adplicari possent. Cumq; Patauij aliquandiu hæsisset, vlteriùs progrediendi studio raptus Venetias Medoaco secundo descendens peruenit, Iustrataq; diligenter ea vrbe, (quam non absurdè Actius Sincerus cum Roma conferens, Romam

Ioui tribuens, Venetias Neptuno, Epigramma hoc versu iucũdè clausit. *Illam homines dicas, hanc posuisse Deos.*) Hadriacum mare nauigans ad Faletum naufragium passus, de vita periclitatus est. Sed Dei beneficio ex hac tempestate ereptus Bononiam iter conuertit. Vbi postquam aliquandiu moratus esset Apenninum traijciens Florentiam venit: Deinde Senas: vbi arctissima necessitate & amicitia conuersatus est cum Ioanne Schora, & Francisco Boninsignio Medico præstantissimo. Neque his contentus, vt erat animo ad Poësim procliui, in qua tantos iam profectus fecerat, vt dulci carminum harmonia omnes in sui amorem & admirationem pelliceret, Camillum Falconetum Poëtam insignem conuenit, & cum eo de metrorum varietate seriò contulit. Pauloq; post Romam profectus nihil priùs habuit, quàm cum Marco Antonio Mureto Gallo, cum Laurentio Gambara Brixiano de studijs bonarum literarum communicare, & cum aliis plurimis literatis viris, quibus Roma semper abundauit: maximè cum magno illo, & illustri tam generis nobilitate, quàm doctrina Fuluio Vrsino, qui peregrinũ neminem literatum à se dimittere solitus est, quin de eo benemereri studuerit. Sed postquam inter Italos biennio integro mansisset, lustrasset q; solerti indagine quæcunque in illa Europæ florentissima parte conspiciuntur, Ligustico mari in Galliam profectionem suscepit: atq; in ea nauigatione in Pyratas Turcicos incidens, parum abfuit, quin latronum præda factus, ad triremes redigeretur, vel misera lamentabilique seruitute reliquum vitæ tempus exigeret. Nautarum tamen sedulitate, & tenebris nocturnis adiutos Deus misericors vento secundo ad Massilienſem portum compulit: vbi aliquot diebus corporis vires nauigatione difficili debilitatas refecit, & inde Montempessulanum celeberrimam Galliæ Academiam properauit: vbi auditor fuit Gulielmi Rõdeletij, Antonij Saportæ, & Laurentij Iuberti, qui eo tempore Medicinam summa auditorum frequentia & laude docebant & faciebant. Montepessu-

pessulano Parisios se contulit, idemque præstitit in ea vrbe, quod hactenus fecerat in Italia & alibi, nempe ex frequentatione virorum doctorum, tanquam apis sedula, quæ ex omnibus floribus id assumit, quod ad suos fauos, & mellificationem commodum est: Ita quoque Posthius ex familiaribus colloquijs, collatione studiorum, & honesta conuersatione cum doctis, animum expoliuit omni scientia, & virtutibus quæ ad hanc humanam societatem conducunt. Postquam autem magna cum laude Doctoratus insignia recepisset, Galliam relinquens in Belgicum venit: atque in florentissima illa Brabantiæ ciuitate Antuerpiana sesquiannum praxim Medicam exercuit, omnibus propter singularem doctrinam, successum in Medicina felicem, facilitatemque & candorem morum, acceptissimus. Ibi Germanis Mercatoribus, (qui ex omnibus, Germaniæ locis in illud celeberrimum Emporium frequentes conueniunt) statim innotuit: qui eius famam longè lateque publicarunt. Factumque est vt ab Episcopo Duce Franconiæ Herbipolim ad Mænum euocatus, primarium inter Medicos locum adeptus sit per annos septemdecim. Vbi vxorem duxit Rosinam, Virginem lectissimam, Chiliani Brosameri filiam: nuptiæque celebratæ sunt 26. Septembris Anno Salutis 1569. Puella quòd esset claris nata parentibus, singularibusque corporis animiq; dotibus excultissima, vnicè à Posthio dilecta est: quam & ipse ad imitationem antiquorum poëtarum Catulli, Tibulli, Corn. Galli, Ouidij, & aliorum doctissimis, & lepidissimis carminibus sub nomine Blandinæ celebrauit: vt testantur eius ingeniosissima, & tersissima Poëmata, quæ hodie manibus doctorum omnium tractantur. Ex hac Posthius, dum adhuc esset VVirtzeburgi, filiolum suscepit Erasmum, qui cum matre adhuc hodie superstes est, annum agens decimum sextum. Filiolam quoque mater pepererat nomine Mariam, quæ VVirtzeburgi decessit infantula. In ea Vrbe, (præter Episcopum, aliosq; optimates)

intima

intima amicitia ſemper vſus eſt Eraſmi Neuſteteri Equitis Franci, Canonici VVirtzeburgenſis & Bambergenſis, Decanique Comburgenſis, hominis eruditiſſimi, & de literatis omnibus optimè meriti: cuius fauore & patrocinio in omnibus vſus eſt, quandiu apud Herbipolitanos vixit: Atque pro acceptis beneficijs, ne ingratus aut immemor iudicaretur, illi ſua Poëmata dedicauit. Præter hunc habuit amicum Muſis & Apollini cariſſimum virum Nithardum Tungenum, VVirtzeburgenſis Eccleſiæ Decanum, & Conradum Dinnerum Acronianum, plurimoſq; alios inſignes viros, tã Eccleſiaſtici quàm Politici ordinis, quos ſingulari ſtudio coluit, & ab ijs mutua beneuolentia cultus eſt. Cumq; eius nomen per vniuerſam Germaniam celebre redditum eſſet, vt eius doctrina honoraria aliqua mercede compenſaretur, Rudolphus ſecundus Romanorum Imperator illum laurea Poëtica vltrò donauit. Demum Heydelbergam ad Nicrum accerſitus eſt à Friderico Electore Principe Palatino, vbi Archiatri munere, dum hæc ſcriberemus, magna cum laude fungebatur, opibus, honoribus, & bonorum omnium amicitia abundè cumulatus: vir comitate & integritate vitæ nulli ſecundus, corpore gracili, ſtatura mediocri, ac quod dolendum eſt, valetudine parum firma: quem & Podagra ſubinde afflixit, impeditque doctas illas meditationes, quibus ſuum nomen doctis ſcriptis poſteritati commendat. Scripſit enim omnibus eruditis laudatiſſima Poëmata, quę in ſcripſit Parerga Poëtica: Extant etiam eiuſdem Hymni ſuper Euangelia Dominicalia, Rhythmis Germanicis ab eodem compoſiti. Item obſeruationes quædam Anatomicæ, & alia multa ad artem Medicam pertinentia, quæ cum plauſu & Medicorum vtilitate leguntur.

CLARIS-

CLARISSIMO PRAESTANTISSIMOQVE VIRO, IACOBO PRALLIONI CIVITATIS Mediomatricorum Magistro.

TANTVM in se maiestatis & efficaciæ habet præclara virtus, vt in quocunque inueniatur, inæstimabiles de se affectus in animis hominum moueat, & excitet. Suscepit vita, & consuetudo communis, vt doctrina claros viros in cœlum fama & voluntate tollamus. Eos enim admiramur, maximisq; efferimus laudibus, in quibus existimamus excellentes quasdam, & singulares perspicere virtutes: quarum proprium est conciliare animos, & conseruare amicitias cum eis, qui dotibus animi peculiaribus reliquos antecellunt. Eos enim qui rerum scientia & doctrina celebres sunt, vbicunque gentium sint, etiam non visos, statim diligimus, & tacita quadam beneuolentia complectimur; cupimusque eorum familiaritatem & societatem, vt ab iis erudiamur, & familiaribus colloquiis iuuemur. Nemo certe est, nisi plane barbarus & rusticus, qui bonas literas non admiretur, & amet iis præditos: cum certum sit vitam hominis sine literis mortem esse, & hominis sepulturam. Hinc illa apud antiquos laudabilis consuetudo nata est, publicis encomiis laudare Principes, & ciues de patria & republica bene meritos, qui sua potentia & auctoritate clementer,

moderatè & prudenter vsi essent. Sed etiam eos qui populũ scriptis, documentis, & scientiarum inuentis erudiuissent, & bonum publicum procurassent: quorum etiam statuas, & imagines, & statuas in circis, theatris, & Deorum templis publica Senatus authoritate locabant; partim vt meritis digna merces rependeretur; partim vt hic honos posteris esset tanquam vrgens stimulus, ad easdem virtutes amplexandas. Tanta fuit harum imaginum reuerentia, vt iis idem tribueretur honos, qui viuentibus deferri esset solitus; imò eas plurimos in Lararijs priuatis sacrosanctè seruasse legimus: & in bibliothecis ostendisse videndos eorum vultus, quorum opera proponebantur legenda. Id quod in vsum hodie reducitur, vt autorum monumentis literarijs effigies statuantur à libri principio. Multum quippe conducere videtur, eius faciem oculis cernere, cuius animum diuinum, ingenijq; vim admirabilem in scriptis suspicis & admiraris. Et hos charitas humana nos docet reuereri, à quibus aliquid beneficij accepimus. Grata enim memoria prosequi eos, qui nos instituunt, siue scriptis, siue opera, laudabile est & honestum. Nemo tàm ingratus reperitur, tàmq; nullius humanitatis, qui si magistrorum, & bene meritorum hominum merita resumere velit, non eos æquè ac se ipsum diligat, eorumq; nomen cum grata recordatione non conseruet in sua mente. Nam & hunc finem laborum sibi proponunt vt plurimum literati viri boni, de omnibus optimè mereri, suisque vigiliis & lucubrationibus aliquam apud posteros laudem acquirere, laborumque mercedem ex fama futura capere. Nemo est tam auersus à Musis, qui non mandari scriptis æternum suorum laborum facilè præconium patiatur. Honos enim est præmium virtutis, iudicio studioq; ciuium delatum in aliquem. Gloria enim consentiens est laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium

de ex-

de excellenti virtute, eaq; virtuti resonat, tanquam imago gloriæ. Quæ quia rectè factorum comes est, non est bonis repudianda. Et quod testatur Tullius: Nullam virtus aliam mercedem laborum desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui, tantis nos laboribus exerceamus. Certè, si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, ijsdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, nec tot curis vigiliisq; angeretur. Monumenta enim doctrinæ longè præstantiora sunt ædificiis & structuris publicis. Hæc enim suo tempore senescunt, & consumuntur, illa æternitati mandata nunquam sentiunt interitum. Quid enim cum bonarum liberaliumque artium cognitioni conferri potest? ex qua morum eruditio, leges, politicus ordo, respublica, & ipsa societas humana in integrum retinetur: & sine quâ mera barbaries mundo incubaret, vitaque hæc redderetur cæca, tristis, omnisque dulcedinis expers. Hoc enim præstant literæ, vt & publico ac priuato statui conducant. Et vt ait Cicero, si ex litteris delectatio tantum peterorur, tamen hanc animaduersionem humanissimam & liberalissimam iudicaremus. Nam cætera neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Sed studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent: delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quòd si ipsi neque attingere, neque sensu nostro gustare possumus, tamen ea mirari debemus, etiam cum in aliis videamus. Cum igitur plurimos habeamus, quorum scriptis, & æternis lucubrationibus respublica literaria hodie in integrum restituta sit, vigeatq; & floreat mirum in modum, quis liberaliter educatus eorũ

memoriam cum reuerentia non celebret? quis non gestiat eorum vultus cernere? At ex infinitis, qui celebres vixerunt superioribus annis, suntq; hodie superstites, quorumq; opera & virtute bonæ Musæ tot sæculis à nostris Academiis exules, ad lucem, & splendorem pristinum obscuris illis ignorantiæ tenebris depulsis reductæ sunt, paucos selegi, quorũ vita & icones ad me peruenerunt, ex quibus breuem hunc librum concinnaui. Quòd si mihi Deus vitam proroget, addam postea illorum Philosophorum, Oratorum, & Poetarum vultus, quos prisca antiquitas tantopere mirata est: & quorum doctissimæ meditationes, & absolutissimæ lucubrationes vsque ad nostra tempora seruatæ sunt. At hoc opusculum tibi libens inscripsi, Vir clarissime, quòd & tu quoque doctrinæ sis admirator, & literatorum hominum excellens fautor & patronus. Non potui munusculum meũ ex alia re componere, quàm ex qua præcipua tibi capitur delectatio & voluptas. Rationem autem ordinis ex dispositione non iudicabis, vel eorum, quorum vita hic describitur, dignitatem. Nam & postremo loco multi sunt, qui prioribus non solùm pares sint, sed in multis longè superiores: Annorum modum & tempus, quo quisque vixit, & celebris habitus est, secutus sum, non personarum conditionem & statum: Quod & alios multos, qui hanc materiam tractandam susceperunt, factitasse videmus, ad quorum exemplum accommodasse scriptum, mihi vitio dari neutiquam debet, opinor. Vale.

Tui studiosissimus I. I. Boissardus.

PETRVS

PETRVS LEPIDVS, REGIORVM NEGOTIORVM SVMMVS PROCVRATOR APVD MEDIOmatricos, Virdunenſes, & Tullios, in effigiem Iani Iacobi Boiſſardi.

HOſpes, qui vagus in ſcientiarum
Hortis expatiaris, vt Minerua
Doctas ingenium excolas per artes:
Quem tu conſpicis hic breui tabella
Expreſſum Bryÿ arte penicilli,
Ille eſt Sequanici ad Dubis fluenta
Boiſſardo genitus parente vates,
Phabo, & Caſtalijs Deis amatus.
Ille eſt qui facili ſtylo, & colore
Vrbes Oenotrias, & ſitus locorum,
Portus, valla, pharos, lacus, cauernas,
Montes, & fluuios ſcaturientes,
Diuerſosq́; habitus manu erudita,
Iconasq́; virûm celebriorum,
Deſcripſit, ſtatuasq́;, imaginesq́;,

Et prisci monumenta cuncta sæcli
Impensisq́, laboribusq́ magnis,
Publicam utilitatem ut adiuuaret
Solers edidit artifex, typisq́
Æuiterni operis Theodorici
Libro hoc proposuit tibi videnda.
Tu de te meritis bene hasrepende
Grates, ut studium utriusq́ vultu
Sereno excipias, probesq́. Virtus
Illorum expetit unicum hoc, nec ultra.

PAVLVS MELISSVS COMES PALATINVS, EQVES AVRATVS, ET CIVIS ROMANVS IN eandem effigiem.

Cuius heic labia, & genas, comamq́,
Lector, eminulam virente lauro
Admirantibus inſpicis Camœnis,
Boiſſardus meus eſt vetus ſodalis,
Amicusq́ bonus, velutq́ frater.
Mi verſatur in eudente lingua;
Inq́ ipſis oculis perenne fertur:
Omnis haret in intimis medullis,
Diuerſo varius colore pictor:
Veſtium Phrygio nitore textor:
Carminum Latio decore fictor.
Ternis muneribus remunerauit
Me ſodalis, amicus, atq́ frater,
Pictura, & Phrigia plica, & Poëſi.
Quei diſcederet à ſonante lingua?
Quei relinqueret is meis ocellos?
Aut quei deſereret meas medullas?

GABRIELIS PAGAEI PARISINI, IN ICONAS DOCTRINA ILLVSTRIVM VIRORVM, A IANO Iacobo Boissardo depictas.

CAllida Zeuxis volucres ab arte
Predicant lusas, & acutiori
Post manus vinctas tribuisse mota
Lite magistro.
Mira pictorum fuit illa, certè
Illius sæcli celebrisq; dextra:
Decipit ficto nisi me iocosa
Fabula ludo.
Jane, quò solers hominum per ora
Pictor euadas, iuuat in labore
Emori, sinon aliqua virescas
Parte superstes.
Quid de inauratis remanet tabellis,
Ille quas clara ingeniosus arte
Elaborauit, meliorq; tanta
Laudis Apelles.

Omnium

Omnium quamuis oculos colore
Carperent viuo, & populi mererent
Ora: de tantis mera nunc ſuperſunt
Nomina factis.

Dum tua ad vitam reuocas papyro
Cæſarum vultus, hominumq́, quorum
Clara vulgata eſt celebrisq́ totum
Fama per orbem:

Tu tua priſcos ità ſolus aquas
Arte pictores, ſua quàm loquela
Nil vt impleto pateat labori
Deeſſe. Sed illos

Parte qua mancos ſuperas, moleſto
A ſitu, triſti redimisq́ letho,
Gnaua qua lauimanus exarauit
Pingere charta.

Namq́ tu metris hedera, atq́ lauro,
Et cedro dignis celer effluentem
Temporis longè cariem, & ma'ignè
Cuncta vorantis

A tuis arces tabulis: easq́
Ignibus ſacris animas; vt atros

Opprimant morſus venientis æui
Prapete penna.
Talem, Alexander, cuperes Achillis
Ingemens buſto, cuperes Homerum
Cherili nugas coëmens, & vnum
Oris Appellem.

IN

IN ICONES VIRORVM DOCTRINA ILLVSTRIVM.

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNtini, Carmen Sapphicum

Philippæ Laceæ Polanæ Illyricæ.

DVM viros, claræ quibus aura lucis
Fulsit antiquo celebrisq́ sæclo
Fama, mirandis reuocare certas,
Jane, tabellis.

Tu tuum nomen, decus, atq́ laudes
Porrigis, primo radios ab ortu
Quà vehit Phœbus celeri rotatu ad
Littora Calpes.

Et tibi debet studiosa summum
Turba quæsitum meritis fauorem:
Quam manu docta, & calami magistra
Arte beasti.

Sic placent gnauo facies labore
Principum pictæ, quibus Italorum

Paruit quondam regio, ſimulq́,
Dorica tellus.

Sic iuuat, quorum veneramur artes,
Dogma, virtutem, pia geſta, vitam,
Gratiam, roburq́, ſcientiamq́,
Cernere vultus.

Viuida quos ſic oculis figura
Subiicis noſtris, proprioq, geſtu,
Vt putet quiuis ea ſigna veram
Ducere vitam.

Gratiam ſæclis tibi ſic futuris
Adſtruis: qua qui valuit potiri,
Dicier credo hunc potuiſſe ab omni
Parte beatum.

IN

IN ICONEM IANI IACOBI BOISSARDI

Prosper Ventidius Vmber.

SCIRE *cupis quẽ Boissardū natura creauit?*
Externam faciem hîc picta tabella refert:
Internam graphica signatam in imagine do-
Peligno dignum vate poëma dabit. (ctũ, &
Si quos sustulerit, dum viueret ille, labores;
Quæq; habuit terra incommoda, quæq; mari;
Vita eius descripta docet. Simulacra Deorum,
Et genera, & classes, priscaq; religio,
Diuersis mandata libris, habitusq; virorum
Innumeri, antiquis erutа ruderibus
Vrbis Romanæ monumenta autoris abundè
Ingenium & facilem dant q; probant q; manum.

SONNELET DE N. CLEMENT DE TRELES, SVS LES MEDALLONS DES HOMMES doctes de Boissard.

L'Histoire seulle refait
Tous les faicts du temps passé
Et la painture pourtrait
Les traicts du presq' effacé.
La memoire n'a secret
Dedans son temple enchassé
Qu'vne plume n'ait parfait,
Ou qu'vn pinceau n'ait tracé.
Toy, qui sçais bien manier,
Mon Boissard, ces deux outils
Tu peux l'oubly deffier:
Car maugré les ans fuitis,
Demeureront les beaux traits,
De ta plume & pinceau faicts.

CHRI-

QVI RATE VELIVOLA OCCIDVOS PENETRAVIT AD INDOS
PRIMVS ET AMERICAM NOBILITAVIT HVMVM
CHRISTOPHORVS COLVMBVS LIGVR INDIARV PRIM INVEN A 1492
ASTRORVM CONSULT ET IPSO NOBILIS AVSV
CHRISTOPHOR TALI FRONTE COLVMB ERAT

CHristophorus Columbus Almirans, ortus est Cucureo, Genuensis ciuitatis municipio: maiores eius oriundi Placentia erant, Liguriæ vrbe, nobili stirpe Pilistrellorum: ipse prima iuuenta nauicularia artem exercuit. Iusta statura homo, firma & habili membrorum compage, iudicio sano, ingenio excelso præditus, lęto & ingenuo vultu fuit. Acres illi & vigentes oculi, subflaua cæsaries, os paulò placentius, in primis iustitiæ studiosus erat: iracundiæ tamen pronus, si quando commoueretur. Filium reliquit Didacum Columbum, qui nobilissimam fœminam Mariam, filiam Ferdinandi de Toleto, magni Cõmendatarij Legionensis, habere in matrimonio singulari virtute meruit. Alterũ etiam filiũ reliquit Columbus Admiralis Ferdinandum, sui in Almirantis dignitate successorem, qui inter nobiles pueros Principi Hispanię Domino Ioanni inseruientes educatus, postea patrem tertia in Indiam nauigatione comitatus est. Almirans pater, vir studiis

addictus fuit, & egregiè in variis artibus versatus, præsertim in Cosmographia, elegantem instituit bibliothecā duodecies aut tredecies mille voluminibus constantem, quam moriens Dominicanis Diui Pauli legauit Hispali. Iacobus siue Didacus Columbus post mortem patris vixit annos circiter viginti: ei successit filius Ludouicus Columbus, tertius Indiæ Occidentalis Admirallius. Hæc Ouidius & Gamara. Verùm vt paulo altius repetā Columbi huius res gestas, afferam quæ apud autores de eodem scripta legi. Franciscus itaque Lopez de Gamara, in hanc sententiam scribit: Principio, inquiens, Columbus nauicularium exercuit & multis annis Syriam aliasque Orientis oras obiit. Inde indices marinos seu chartas nauigatorias cōficere aggressus, atque eius artis peritiam consecutus, vnde fortunam & opes postea nactus est, Portugalliam adiit, vt Australia Africæ littora, & quæcunque tum Lusitani nauibus perlustrabant, cognosceret: atque ita non pauca accessione auctis & illustratis indicibus suis maiorem autoritatē precium

ciumque conciliaret. Postremo in eo regno vxorem ducit, vel, vt nonnulli tradunt, in Madera Insula, vbi tum, opinor, commorabatur, ibj Erogo cum esset, nauis forte magistrum eò ex diuturno errore appellantem domi suæ excipit. Is Columbo omnem nauigationis suæ historiam exponens, quicquid de oræ à se repertæ situ & paralello compererat, aperit, contenditque vt nauigatoriæ paginæ, quam ab eo emebat, nouæ illius terræ specimen, simulque eius nomen à quo inuenta esset, adscriberet. Interea Nauclerus ille moritur, indicium & relationem eius terræ Columbo relinquit. Inde Columbus primum nouæ illius Indiæ notitiam habuit. Idem scriptor postea subiungit: Ne quid intactum prætermittam, sunt qui Columbum linguæ Latinæ & Cosmographię peritum fuisse affirmāt, cumque Platonis Timæum & Critiam legisset, vbi ille ingentis cuiusdam Insulæ Atlanteæ meminit, & obrutæ aquis terræ, quæ Africam & Asiam amplitudine excederet, eò impulsum ad inuestigādas antipodum terras, & auream illam Marci Pau-

li Cipangon, qui in ſuo itinerario Cipango aut Zipangri hanc Inſulam vocat, à Luſitanis primùm poſtea obſeruatam & Iapon dictam. Ad hæc legiſſe apud Ariſtotelem vel Theophraſtum in libro de mirabilibus, negociatores quoſdam Carthaginenſes à fretoHerculeo in Occidentem & Meridiem nauigantes, tandem multis exactis diebus in vaſtam quādam Inſulam peruenisſe, deſertam illam quidem & incolis vacuam, ſed rebus tamen humanæ vitæ neceſſariis abundè inſtructam & fluuiis nauigabilibus perfuſam, quare vbertate illius illectos cum vxoribus & liberis eo commigraſſe. Verum Carthaginenſem magiſtratū, cum ciuium ſuorum numerum imminui animaduerteret, pœna capitis vetuiſſe, ne quis in poſterum eò nauigaret. Non deſunt alii qui ex coniecturis hanc nuper repertam Indiam celebres illas Inſulas Heſperides eſſe æſtiment, à Rege Heſpero appellatas, ordine duodecimo inter Hiſpaniæ Reges. CLXXI. annis ante conditam Troiam, & circiter M.D.CLVIII. ante natum Chriſtum, & eos falli qui Heſperides

rides esse fortunatas Insulas, quas Canarias cognominant, censent. Solinus enim postremo suæ Cosmographiæ capite, ex veteris autoris Sobesi assertione scribit, Hesperides vltra Gorgonas Insulas, nunc Capo Verde nuncupantur, esse circiter dierum quadraginta nauigationem & in intimos maris sinus recessisse. Atque si rectè obseruemus tempus, quod in nauigationem impenditur à Gorgonum Insulis in occidentalem Indiam, reperiemus conuenire cum distantia, quam Solinus ponit inter Gorgonas & Hesperides, nempe 40. dierum nauigationem. Sed & Christophorus Columbus ipse in secunda nauigatione, qua reperit desideratam Marigalante & alias in hoc climate Insulas, tantundem temporis impendit. Hæc est quorundam opinio, suppositio ergo hoc argumento Hesperides Insulas esse Indiam occidentalē, concludunt, ante circiter ter millenos ducentos & triginta septem annos istam Indiam Regibus Hispaniæ subiectam fuisse, vt nunc est.

Addit porrò Gamara de Columbo satis fi-

denter: Equidem Columbum, inquit, si suo marte & ingenio vbi esset noua India cognosset, multo antequam in Hispaniam veniret, de ea perueſtiganda cum suis Genuensibus acturum fuisse existimo, qui tum negociandi causa totum orbem peragrabant. Sed tale quid aggredi, ei nunquam venit in mentem, donec cū Nauclero illo Hispano egit, qui eam tempestate maris actus repererat.

Sed hæc vt fabulosa & indigna fide refellere non magni operis est. Petrus Martyr Mediolanensis, in eo quem de his conscripsit libello, Columbum ea de re cum ciuitate Genuensi egisse ante omnia testatur, simulque causam commemorat, quæ eum ad inuestigādas illas oras impulerit. Eius verba hæc sunt: Cum Columbus (inquit) pro suo more ac instituto, trās Gades in Portugalliam, & omnē illam Oceani oram nauigaret, sæpenumero animaduertit, & quidem multa cum cura & diligentia obseruans, ventos quosdam statis anni temporibus ab occasu flare consueuisse, qui multos dies constanti & æquabili tractu spirarent.

Quos

Quos non aliunde quã ex tranſmarina aliqua ora, cuius halitu gignerentur, proficiſci poſſe iudicaret, tandiu circa eam rem cogitando animum verſauit, vt eius certitudinem quærere aliquando conſtitueret. Ergo annos natus fermè quadraginta, ſenatui & populo Genuẽſi coràm ſua conſilia exponens, ſpoſpondit, ſe, ſi à ciuitate aliquot nauibus inſtrueretur, Herculis columnas prẽteruectum, tãdiu Occidẽtem nauigaturum, donec orbem circumuectus in aromatum feraces Inſulas perueniret. Sed eius rei inceptio tum primum audita, incredibilis videri omnibus, quibus videlicet nihil tale vnquam ne ſomniantibus quidem, veniſſet in mentem, & nihil tamen eorum, quæ ad *nauigandi* artem pertinent, ignotum eſſe viderentur. Itaque omnes hanc Columbi cõmendationem, ceu inanem fabulam, aut ſomnium reſpuerunt, etſi forte accepiſſent veterum ſcriptorum alicui proditum, de quadã ingentis magnitudinis Inſula, quæ multorum dierum in Occidentem nauigatione à Gadibus diſtaret.

Haud equidem dubitem eam ipſam fuiſſe cauſam, qua impulſus Columbus, nouas illas terras quærere aggreſſus ſit: Vnde facile æſtimare licet, Gamaram multis argutis commẽtis veritatem permiſcere ac corrumpere conari, & quidem eo conſilio, vt immortalẽ Chriſtophori Columbi famam imminuat. Quippe ægrè multi patiuntur, peregrinum hominem, & quidem ex Italia oriundum, tantum honoris & gloriæ conſecutum, vt non tantum Hiſpanicæ gentis, ſed & cuiuſuis alterius homines ſuperauerit.

Non alienum fuerit hoc loco quiddã narrare, quod Columbo in Hiſpania, vt accepi, contigit, poſteaquam iam Indiam repererat, (etſi enim id olim quoque aliquando eſſet factum, recens tamen hoc inuentum eius eſt) Cum fortè Columbus celebri conuiuio cum multis nobilibus Hiſpanis adhibitus eſſet, & inter eos, vt fieri ſolet, de India ſermo ortus eſſet, vnus eorum ita eum alloqui cepit: Domine Chriſtophore, inquit, etſi tu Indiam non reperiſſes, non defuiſſet tamen in hac noſtra

Hiſpa-

Hiſpania, qui idē ac tu tentaſſet: vt quæ multis magnis viris & ingenioſis abundet, Coſmographis & literatis. Ad ea Columbꝰ nihil prorſus reſpondit: ſed ouo afferri in triclinium iuſſo & menſæ impoſito, verſo ad omnes ſermone: Agedum, inquit, domini mei, cum quolibet veſtrûm depoſito in cænam pignore certo, neminem eorum qui hîc ſunt facturum ouo iſto, quod ego facturus ſum; nempe vt nullo nixum adminiculo ſtans & erectum in pedē ſuopte nutu maneat. Experti ſunt omnes, neq; vlli eorum ſucceſſit: ſed cum circumacto orbe ad Columbi manus peruenisſet, ipſe ouum altero eius faſtigio menſæ illiſo, ac leniter quaſſato rectum firmumq; conſtituit. Ea res omniū animos verecundia pupugit, poſtquam vtique illis patuit, quid ſibi tacitis ambagibus vellet: nimirū id; poſtquam primus ipſe tentaſſet, iam apertum omnibus, & factu facilè eſſe, debuiſſe ipſos potius principes Indiæ quærendæ viam rationemq; inire, nec ſe ridere, qui primus id experiri auſus eſſet, ſicuti antè id cœptāti mirabundi illuſiſſent, quaſi

rem impossibilem aggredienti. Reuertar nũc ad institutum. Quare vt cognouit Christophorus Columbus ad tàm præclari operis incœptum suscipiendum in Genuensibus parũ opis sibi esse, transgredi vlteriùs in Occidentẽ statuit: spe haud dubia fore, vt ab aliquo Principũ, quorum ibi diuitiæ atque opes inclitæ essent, rebus ad eas quas ardenter deperiret terras explorandas necessariis aliquando instrueretur. Itaque in Portugalliam concedẽs, inde fratrem suum Bartholomæum ad Henricum VII. AngliæRegem mittit, qui fauorẽ & naues Indiæ vestigandæ peteret : promittens, se breui ex terris illis incredibiles diuitias allaturum. Sed Bartholomæus inde irrita spe & sine ope redijt. Itaque cum Alphonso V. Portugalliæ Rege Columbus eam rem communicat, eumq; supplex rogat, vt sibi naues aliquot armis & commeatu instructas tradi iubeat, se verò fidem ac iusiurandum dare, tandiu in Occidentem nauigaturum, quò ad ditissimas auri, gemmarum, aliarumq; deliciarum, quibus precium est, prouincias perueniret,

ret. Verùm ſicuti Columbus à Genuenſibus ſuis pro vano habitus erat, ab Anglis ridiculus, ita tum quoque à Luſitanis pro futili & deliro circulatore deriſus eſt. Erãt tum in Luſitania homines, qui Coſmographicam artem profitentes, nullam ſe eius partem ignorare arbitrabantur. Itaque ſuperciliosè Columbũ deſpicientes, Regi ſuadebãt, ne quam peregrini hominis ſomnijs fidẽ adhibere vellet, quippe amentem eſſe, neque in Occidente aurum aut diuitiarum quicquam exiſtere poſſe, veluti exploratũ affirmabant. Imò neminẽ ſubiectam æquinoctiali lineæ plagam transgredi poſſe, quin immodicis ſolis ardoribus torreretur, ſiquidem eo in ſpacio maiorem æſtus eſſe vim, quâ perpetua inter duos tropicos ſolis orbita & curſus eſt.

Columbus vbi in Portugallia ſe ac verba ſua ludibrio eſſe vidit, in Caſtallam profectus, aulam Ferdinandi & Iſabellæ Regum adit, eiſque ſuas cogitationes vt cæteris exponit, ſimulq; eas quàm efficaciſſimis poteſt rationibus, exemplis & teſtimonijs confirmat. Sed il-

lis, etsi principia ipsa arriderent, incredibilia polliceri videbatur. Tandem consumptis aliquot in aula annis, cum in proposito constanter perseueraret, & tantæ rei spem exemplis, & demonstrationibus euidentissimis confirmaret, ad extremum quorundam Hispaniæ procerum ope atque interuentu, aditum ad Isabellam Reginam obtinuit: itaque tempus familiariter cum ea colloquendi nactus, adeò firmissimis rationibus eam labefecit, vt dictis suis assensum fidemq; præbere cogeret: donec tandem persuasa promitteret, se ea de re cum Rege acturam, omniq; ope atque opera enixuram, ne quid illi rei ad inceptum illud exequendum necessariæ deesset. Quamobrē breui, Deo bene iuuante, & magnanimæ eius Reginæ supplicatu, Rex Ferdinandus liburnicam vnam, & duas carauellas Christophoro Columbo instructas & armatas tradit.

Ipse cum Bartholomæo fratre ineunte Augusto, Anno, M.C C C C.X CII. è Palos portu vela in altum faciens, Gomeram Insulam tenuit, quæ vnà è septem Canariis est. Ibi aliquot

aliquot dies commoratus, vt aquam & cætera inde neceſſaria ſumeret, cœptum iter Occidentem ſolem ſecutus, peragere inſtitit.

Porrò cum emenſa aliquot dierum nauigatione, nondum terra vlla in conſpectu eſſet, milites in Columbum fremere incipiunt: ille mitigatis eorum animis, triginta quinque dies nauigãdo extrahit, neq; vlla tũ quoq; tertæ nota aut indicium apparebat. Itaque ſocij apertè Colũbo minari, & probra pro ſe quiſq; ingerere, Genuenſem impoſtorem & planum palàm vocitantes, quippe neſcire eum quorſum tenderet, aut quo appelleret, & ſe eius ductu in certam perniciem ruere. Hic Columb⁹ pro virili ſimul rationes ſuas firmare, ſimul eos precari, orare, ne animis per impatientiam deficerent, ſibi ſpẽ eſſe, Deo bene iuuante, breui terram nouam in conſpectu fore: his tum vocibus ſedati, cum aliquot præterea dies nauigaſſent, nec vlla tellus occurreret, fremitum in nauibus redintegrant, & ſe reduci iubent, alioquin pertinacius vltra tendentem in mare proiecturos, quippe vlterius progredientibus

non ſuffecturos commeatus, maximè aquã, quæ in Hiſpaniam reuerſuris neceſſaria foret. Ad extremum eò res redijt, vt promitteret reuerſuros, niſi intra triduum terram vidiſſent, interea perſpicuè oſtendens, non tantum ſuffectura ad reditum alimenta, ſi moderatè vti vellent, ſed multò etiam longiùs. Itaq; proſperè iter exequi pergens, poſtridie eius diei demitti vela iubet: ac credibile quidem eſt, cũ id diceret Columbus, haud procul terrã abfuiſſe, idq; ex cœli conſpectu deprehendiſſe, aura & nubeculis, quæ circa orientem ſolem in horizonte apparerent: aut certè inſtinctu quodam ingentis & inuicti animi.

Nocte, quæ eum diem ſecuta eſt, nauta quidam Lepienſis, è ſummo mali faſtigio alta voce proclamans, ignem inquit, ignem proſpicio, tum è veſtigio excipiens adoleſcens quidam, Salſedo nomine, Colũbi famulus, nautę hęc proferenti reſpondit, Talaſſiarcha meus herus iam ante id dixit, tum Columbus famuli reſponſum confirmans, verum eſt, inquit, iam ante dixi, nec diu eſt, quòd illum ignem,

de

de quo est sermo, conspexerim. Atque adeò verum est, quodam die Iouis, duabus horis post mediam noctem, Columbum euocasse nobilem quendam virum Hispanum, nomine Escobedo, Regi Hispaniæ à cubiculis, & dixisse, ignem video, nec procul à terra aliqua abesse se suspicari. Itaque solum Columbum manet gloria conspectarum primũ Indiarum. Quãta itaq; omnes voluptate perfusi fuerint, postquã nouam eam terram conspexêre, nemo dicendo assequi possit: alii perfusi lachrymis Columbum amplectebantur: nonnulli venerabundi manus eius deosculabãtur, & qui eum offenderant, ignorantiæ petebant veniam: denique omnes sese admirandæ eius virtuti humiles seruos ac deuotos ferebant. Interea Columb⁹ demitti scaphã in mare iubet, egreditur in terram, & deiecta arbore crucem ex ea factam in nomine D. Iesu crucifixi in littore statuit, ac noui illius mundi ius ac possessionem Regum Catholicorum nomine vsurpat. Hoc modo Columbus propria virtute atq; ingenio secũdum Dei gratiã, primus Indiam nouã aperuit.

Neq; minus tamen ex tàm mirabili opere, cuius ipſe autor & effector extitit, mille in eum inuidorum calumniæ exortæ ſunt, vt mox dicam. Primum enim regij fiſci procuratores, poſtquam in Hiſpaniam reuenerat, litem ei intenderunt, iam à fratribus Pinzonib. Martino & Franciſco, duarum carauellarum magiſtris, apud Regem accuſato, quòd niſi ipſi eum à fœdo incepto deterruiſſent, regredi in Hiſpaniam ex itinere non viſa India paraſſet: quæ lis nec poſt eius mortẽ, annis viginti poſt, cum filij eius morte finita fuit.

Ad eum itaque modum Columbus arte Coſmographica excellenter inſtructus primus Indiam Occidentalem aperuit: Cubæ Inſulam derectam Fernandinam in memoriam gratiamq; Ferdinãdi Regis nuncupauit: Haytin Inſulam Hiſpaniolę nomine inſignijt, portum illic regium celebrauit. Hiſpani, cùm neminem ex omni Indorum multitudine viderent, cui non aurum & argentum in brachijs, collo, & auribus fulgeret, ingenti gaudio perfuſi ſunt. Cæterùm cum peteret Columbus ex indige-

indigenis, vnde metallum illud fuluum nanciscerentur, illi nutibus & signis demonstrant, è quibusdam fluminibus mediterraneis peti, quæ ex altissimis montibus decurrerent. Columbus ipse nõ mediocri lætitia affectus, propter nouas illas repertas terras, auri adeò & argenti feraces, cum Hispaniam repetere, & alterius inuenti mundi nuncium ipse Regi ferre cuperet, cum bona Caici gratia, domum cocto laterculo extruit, eo loco duodequadraginta Hispanos relinquit. Hæc prima domus ab Hispanis in India extructa est. Columbus cum reliquis soluit, inde secum sex Indos, omne aurum quod à Caico acceperat, Psittacos & alia Indiæ noua referens, prospero cursu, & incolumibus omnibus in Hispaniam peruenit. Appulsum Rex & Regina quàm honorificentissimè exceperunt, considere eum coram se iubentes, & in aula quidem Indos à se aduectos, quòd prorsus nudi essent, mirabundi omnes intuebantur. Rex verò Columbum insignibus honorum titulis auctum, summũ Oceani Præfectum designat (Almirantem

vulgò appellant) & ei omnium regionum ex India redituum decimam attribuit. Bartholomæum quoque ipsius fratrem Hispaniolæ Insulæ præficit. Columbus omnem Regi itineris, & rerum ab se gestarum successum exposuerat, & præterea gradu ex ea Insula facto, amplissimas, & ditissimas alias oras aperturũ se promiserat. Itaque Rex trium liburnicarum, & quatuordecim carauellarum classem instrui iubet, & in eam vltra mille ac quingentos homines imponi, maximam partem mechanicarum artium opifices, & quidem earum, quæ illi terræ maximè necessarię essent: tandem rebus omnibus instructus, Anno 1493. die 2. Sept. è portu Calicio soluit. Columbus itaque iam Almirans regius in Indiã renauigans multo alacriùs quàm priùs secabat fluctus, quatuor Indos reuehens, quos Rex baptizari curauerat. Delatus in Hispaniolam Insulam, principium Coloniæ dedit, quam in memoriam Isabellæ Reginæ Isabellam vocauit: mox ad Cibaui aurarias (is locus est Insulæ, vnde aurũ effodiebatur) arcem extruit & munit, Bartholomæ-

lomæum fratrem Insulę Præfectum relinquit. Aperit deinde Cubæ latus meridionale, & Lamaicam & alias Insulas. Portum S. Nicolai nomine insignem facit, morbo deinde correptus, simul ac conualuit, in Hispaniam regreditur, vt se purgaret de supplicio ab Hispanis sumpto. Vela itaque in Hispaniã secundo cursu facit, Regi nouas ab se repertas terras exponit, aurum & alia rara offert, aduexerat tantũ auri, vt aliquot etiã palę librales essent. Deinde ex commentarijs, quæ attulerat, actorum eius integritate perspecta & probata, Rex eum vltrò consolatus, gratias quoque pro tantis eius in se meritis atque officiis egit, monuit tamen vt in posterum pœnarum acerbitate remissa, cum Hispanis, qui tam longinquas terras sui obsequij causa peterent, paulò mitius ageret. Mox duodecim carauellas armari iubet, easq; omni genere commeatus instructas Columbo ad nouam expeditionem tradit. Ipse confestim duo ex ea classe nauigia ad Hispaniolam rectà tendere iubet, & vt fratrem suum adeãt, edicit. Almirans è portu S. Lucari soluens, cũ

reliqua classe Anno 1498. 28. Maij cursum in Maderam direxit, ea vna est ex septem Lusitanorum Insulis, quas illi Azorias appellant, & cum vix tandem Indiam attigisset, in Cubaguam appulit, quam ipse perlarum Insulam nuncupauit. Detecta vnionum Insula Cumanæ fluminis ostium inuehitur, inde soluit, & Velicaput circumuectus, mox traiecto mari breui in Hispaniolam appulit, vbi omnia plena tumultibus reperit. Cùm verò toti in eo essent, Almirans & eius frater, vt regulos & rebelles populos in Regis fidem reducerent, eodem tempore literæ tum ipsius Almirantis, tũ Roldani rebellis in ea Insula in Hispaniam peruenerunt, quæ res non mediocri dolore Regẽ & Reginam affecit, cum res Hispaniolæ adeò turbatas, & miserum rerum statum intelligerent. Nobiles per omnẽ aulam spargunt, Columbum & eius fratrem iam partis opib. quæ priuatum modum excederent, Insulas pro se vsurpare velle, & nuper repertæ oræ omnis principatum inuadere. Rex itaque nouum Insulæ Præfectum mittit. Almirans & Bartholo-

mæus

meus frater, noui Præfecti appulsu audito, ad eum honorificè excipiendum, vt regio missu venientem reuerenter obuiam egressi sunt. In portum vt peruenerant, rati vt sibi, sic alijs sincerum animum esse, pro amica complexus & salutationis vice capti fratres in vincula tradũtur, mox iectæ vtrique catenæ, & seiuncti alter ab altero, quo grauius dolerent duabus carauellis in Hispaniam mittuntur. Miserabilis equidem casus, ac mutationis rerum humanarũ exemplũ memorabile, &c. Simul ac celoces in Hispaniam venerunt, & nunciatum Regi, tàm claros viros compedibus vinctos adeò fœdo ac miserabili habitu adduci, motus in misericordiam Rex, cursore Calicium misso, emitti illos è custodia, & leuari vinculis iubet, deinde splendido comitatu cultuq;, vt talibus viris dignum erat, in conspectum suum venire. Vt in Regiam peruenerunt, comiter excepti & auditi sunt, ac cum ibi obtinuisset veritas, pœnæ in noxios decretæ, statim etiam à Regibus dignitates pristinæ, reditus & stipẽdia, quæ ab eo tempore, quo in carcerem cõ-

iecti fuerant, ipsis ablata erant, restituta sunt. Noluerunt tamen, vt ad Indiarum gubernationem redirent, quoniam animaduertebant nimiam esse morum ipsius cum Hispanorum moribus antipathiam. Cum enim vir esset integer, & gratiam Dei in se collatam in orbe illo ignoto reperiendo agnosceret, ægrè ferebat tam egregium donum libidine, vitaq; inordinata Hispanorum contaminari, atque Indos, quos ad Christum adducere conabatur, instar asinorum & mulorum haberi.

Quartam insuper nauigationem Columbus in Americam instituit, de qua & quæ reliqua ad vitam eius pertinent, in quarto Americanæ historiæ libro, cuius infra mentio fit, latius agitur.

Non ita multò post, Columbus fesso ægroq; tot itinerum laborib. corpore, in morbum incidit, neq; longè post, graueſcente eius valetudine indies, extinguitur, cum ita honoratæ vitæ suæ cursum clausisset, octaua die Maij Anno 1506. corpus eius, vt testamẽto cauerat, Hispalim delatum in Cœnobio Fra-

Fratrum Certoſinorum humatum eſt. Eum propter excellentem Coſmographiæ peritiã, tanquam orbis ingeniorumq; præfectum generalem hoc loco præmittere volui, quo reliqua mundi luminaria huius radiis magis illuceſcerent. Qui fuſius de rebus ab eo geſtis inquirere auet, legat Americanarum rerum librum quartum à Theodoro de Bry elegantiſſimis iconibus illuſtratum, & publicè in lucem editum.

AZO BONONIENSIS IVRISCONSVLTVS.
Fons olim hic leoum dictus, Juryq, lucerna;
Actæus cujuš fluxit ab ore favus.

AZO BONONIENSIS.

MVLTVM est benè vixisse, suo sæculo profuisse, & de omnibus benè fuisse meritum, & laudem præcipuã inter suos fuisse adeptum: attamen pauxillum id existimatur, si tantorum bonorum atque honorum fama ad posteritatem non propagetur. Cum igitur ex infinitis hominibus literatis, & bonarum disciplinarum scientia claris, breuem numerum desumpserim hoc opusculo tractandum: eos tantũ excepi, quorum imagines mihi communicatæ sunt: & descriptio vitæ vniuscuiusq;, quæ licet in plerisque breuior & contractior videatur, quàm lectoris desiderium requireret, cum fusiorem totius vitæ explicationem non potuerim apud recentiores auctores inuenire, benigno lectori sufficient hæc paucula, quæ à nobis in medium proponuntur. At cum in de-

scriptione vitæ alicuius, cõsiderandum statim occurrat, quo loco, quibus parentibus natus sit, qui, qualesq; illius mores, quæ doctrina, & quæ ex ijs omnibus commoda & incommoda per totius vitę seriem subsecuta sint, ex quibus apparet, in his patriam, parentes, animi corporisq; habitum obseruari debere. Cum igitur res ita sese habeat, ex ijs omnibus, quorũ vitã tractaturi sumus, Azonem illum Bononiensem Iurisconsultum tota Italia celebrem assumemus, à quo principium ordiemur, non quòd reliquis sequentibus præferendus sit, sed quòd in hac classe annorum serie præcedat: à quo progrediemur vsque ad eos, qui nostro tempore doctrina & eruditione florent.

Azo igitur Bononiensis natione fuit, parentibus honestissimis & luculentioris fortunę genitus, qui filium statim à pueritia bonis disciplinis institui curauerunt. Adultiorem tandem attingens ætatem, Ioannis Bosiani Cremonensis viri doctissimi auditor fuit: Præceptoriq; nõ inferior doctrina & iurisprudentia. Quam scientiam summa felicitate exercuit,

dum

dum viueret, tàm ſcribendo quàm docendo publicè. Tanta enim auditorum frequentia legiſſe dicitur, vt Bononia ſcholaſticorum Iuris plena fuerit, qui eò confluebant ex omnib. Italiæ & Galliæ regionibus, exciti fama celebritam excellentis Doctoris, cuius ſolertia plurimi inſignes Iuriſperiti redditi ſunt. Florebat enim Azo temporibus Friderici ſecundi Roman. Imp. Anno ſalutis 1230. Multa ad Ius ciuile pertinentia opera edidit, quibus apud poſteros famam acquiſiuit æternam: vt ſummã Iuris notabilẽ. Super Digeſto veteri libros 24. Super codice lib. 9. Præterea optimos in Legibus adparatus confecit: & pluribus ſummis additiones appoſuit.

Eius diſcipuli fuerunt plurimi fama celebres: Inter quos fuit Bernardus de Orna Prouincialis, qui librum de conceptionibus libellorum conſcripſit.

Odofredus Beneuentanus eiuſdem auditor fuit, qui & Iacobi Baldouini Præceptor fuit: cuius opera ſunt de libellorũ formatione, de Ordine Iudiciario, & de arte Notariatus.

Sed inter eius auditores numeratur Magnus ille Acurti⁹ Florẽtinus: qui celebris viuebat ſub Friderico II. Rom. Imperatore.

I. C. AEGIDIVS DE FOSCARARIS
Hoc visa est olim doctore Bononia felix
Diffluxit lacrymis quo moriente Themis.

ÆGIDIVS DE FOSCARARIS.

AEGIDIVS de Foſcararis, ſiue vt alij malũt, de Foſcarijs, Bononienſis patria, parentibus Patricijs, & locupletibus oriundus, qui filiũ bonis literis inſtituẽdum à prima ſtatim pueritia procurarunt. Is vt ingenio erat acuto, & diligentia ſingulari, laboribusq; in ſtudio indefatigabilis, breui temporis ſpatio tantum profecit in re literaria, vt coëuos, & condiſcipulos rerum cognitione & ſcientia bonarum diſciplinarum longè ſuperare à Præceptoribus judicaretur. Adultior factus, animum addixit ad ſtudium Iuris: in quo ſine difficultate excellẽs redditus eſt, tàm in Iure Canonico, quàm in Legibus Imperialibus, & conſilijs, in quibus perfectiſſimus habebatur, & apud omnes Italos celebris.

Scripſit De ordine Iudiciorum libros 5. De officio Tabellionatus lib. 1. & Quæſtiones varias

varias Iuris, quæ omnia commendantur maximè ab ijs, qui Iurisprudentiam tractant.

Mortuus est Bononiæ, sepultusque in cœmiterio templi S. Dominici, sepulchro marmoreo & eminenti, cum hac inscriptione: M.CC.LXXXIX. IND. II. DIE IX. IAN. ÆG. D. FVSCARARIS DCR. MORTE QVIESCIT. C. DOCTO. HE. EGIDIVS MOIBZ. EXIMIV9. C. DVX VIR LVSTRATOR STVDII VERIQ. REPERTOR C. CANONE FVLCITVS MTEQ. DE. SOLIDVS. C. CL9RVM CL9SIS CLEMENS VT SIS SIBI TESTIS.

MAGNVS · ALBERTVS BOLSTADIVS COGNOMENTO
Mitra pedumq; oneri tibi quondam, Alberte, fuerunt
Dulcius est Sophiæ delituisse sinu.

ALBERTVS MAGNVS.

ALBERTVS Bolstadius, propter doctrinam & Philosophiæ studium, disciplinarumq; omnium bonarum exactam cognitionẽ, Magni cognomento appellatus, natione fuit Sueuus, Laugingæ oppido non procul à Danubio sito, natus est parentibus honestis, Anno M. CCXCIII. Is à prima ætate bonis literis institutus Parisios se contulit, vbi Philosophiam, & Aristotelicam doctrinam magna cum laude, & auditorum frequentia professus est. Vnde post aliquot annos Coloniam Agrippinam se conferens, habitum Fratrũ Prædicatorum suscepit: docensq; bonas disciplinas, inter innumeros, quos habuit, discipulos familiarissimè vsus est SS. Thoma Aquinate, & Bonauentura, qui duo postea in clarissimos viros euaserunt, & sua tempora, posteritatemque

que doctissimis scriptis illustrarunt. Albertus verò propter insignes animi dotes, perfectāq; in sacris literis, & Philosophia cognitionem, vocatus est Ratisbonam Boiorum ciuitatem clarissimam, communibusq; Principis, & Sacerdotum omnium, populiq; suffragijs Episcopus tam clarę vrbis factus est. Qui cùm aliquot annis eam Ecclesiam summa cum laude & integritate rexisset, quia videbatur publicis his occupationibus à studijs priuatis distrahi, functionē hanc onerosam alteri cessit, & Coloniam Vbiorum reuersus est: vbi in suo monasterio priuatus reliquum vitę exegit docendo & scribendo. Illicq; Anno ætatis 87. mortuus est, Christi verò 1280. Rudolpho Romanorum Imperatore regnante. Sepultus in medio templi choro. Necromantum & Magum illum quidam contumeliosè traduxerūt, quē constat vitæ sanctimonia & integritate clarū vixisse.

Eius opera propè infinita recitantur: inter quæ hæc censentur præcipua. Summa Theologiæ libri 4. Super sentētias libri 4. De

4. coēuis

4. coëuis lib.1. De homine lib.1. De bono lib.1. De vita ſpiritali lib.1. In officium miſſæ lib.1. De corpore Chriſti lib.1. De eodem 32. ſermones lib.1. De muliere forti lib.1. Super libris Dionyſij libri 5. De multiplici timore lib.1. De laudibus S. Mariæ lib.3. Defenſio mendicantium ordinum lib.1. De partu & formatione hominis lib 2. De origine animæ lib.1. Super oratione dominica lib.1. De arte prędicandi lib.1. De reparatione lapſi lib.1. De adhęrẽdo Deo lib 1. In quinque libros Moſis: In libros Ioſuæ, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, In Eſdram, Nehemiam, In Tobiam, In Iudith, In Heſter, In Prouerbia, In Eccleſiaſtem, In Cantica canticorum, In librum Sapientiæ, In Eccleſiaſticum, In libros Machabæorum, In Iob, In Prophetas Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem, & in alios 12. Prophetas: In Euangelium ſecundum Matthæum, Lucam, Marcum, & Iohannem. In Epiſtolas Pauli. In Apocalypſin. Præterea Sermones de tempore, De Sanctis, De Animalibus libri 20. Paradisũ animæ lib.1. Orationes ſuper Sen-

tentias & Euangelia. De differentia Spiritus & animæ. De diuinatione, & Prophetia. Diuerſarum quæſtionum lib. 1. De natura locorum. De cauſis elementorum. De motibus animalium. De intellectu, & intelligibili. De iuuentute & ſenectute. De vita & morte. De plantis & vegetalibus. Summa Philoſophiæ. De vnitate intellectus. Quæſtiones contra Auerroiſtas. De vnitate formæ. Philoſophia moralis. De Monaſtica. De œconomica. De politica. De Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia. De Sphæra. De aſtris. Speculum Aſtronomiæ. De mineralibus. De natura Deorũ. De ſecretis naturæ. De 12. Alphabetis. De magiſtris eligendis. De ſomnijs. De vniuerſalibus. De prędicamentis. De ſex principijs. De diffinitionib. De cauſis. De Grammatica. De Rhetorica. De medicina. De lanificio. De agricultura. De aratura. De nauigatione. De metaphyſica lib. 13. In Phyſicam Ariſtotelis lib. 8. De cœlo & mundo. lib. 4. De generatione & corruptione lib. 2. De ſcientia meteororum lib. 4. De anima. De nutrimento &

nutri-

nutribili. De somno & vigilia. Quæstiones 15. De perspectiua. Et in omnes libros Aristotelis: Et alios plurimos tractatus scripsit: vt de Magia, Librũ de aggregatione. De periculo missæ. De sacramentis De immortalitate animæ. De apprehensione: & de metallicis libr. 5. qui impressi sunt Argentinæ Anno 1341. cum Raimundi Lullij libris de quinta essentia.

Hæc tam varia rerum diuersarum cognitio, vita solitaria, rarus cum hominibus congressus, & admiranda vitæ austeritas, qualis esse solet in vita contemplatiua, bonum virum suspectum reddiderunt apud inuidos, & viros malos, qui omnes ex se metiuntur, malæ cum Genijs & dæmonibus conuersationis: quamvis eius vita, & scripta longè aliter de eo testimonium reddant.

DANTES ALIGER FLORENTINVS
Qui potuit patria magnum Florentia dãtem
Pellere: nempe illo digna Rauẽna fuit.

DANTES ALIGERVS.

DANTES Aligerus Poêta ſui ſæculi nulli ſecundus Italus natione, patria Florentinus, vbi octoviratũ ſumma inter ſuos poteſtate exercuit: erat enim parẽtibus claris, & diuitibus genitus, & ab ipſa prima ætate omnibus diſciplinis, & Philoſophia optimè inſtitutus: Et ideo inter ſuos ſummo loco, & autoritate habitus. Vnde tamen bellis exardentibus, & factionibus publicis preſſus, cum aliis plurimis exactus eſt. Ex Italia primùm ſe contulit in Galliam. Lutetiæ Pariſiorum propter excellentem bonarum literarum cognitionem primo in honore exceptus eſt: vbi ſæpe magna omniũ admiratione, & applauſu publicè diſputauit, tam in Philoſophicis, quàm in ſacris literis: primamque laudem inter viros doctos

ſui temporis adeptus eſt. Tandem à Rege Aragonum accitus, ab eo ſingulari honore cultus eſt, & multis beneficiis exornatus. Cumque in patriam reditum deſperaret, contraria factione primum locum inter Florentinos vſurpante, eſſetque omnibus Italiæ Principibus, & ciuitatibus propter virtutem, & doctrinã cariſſimus, vt exilij tædia dulci aliqua conſolatione leniret, ad ſcriptionem animum adplicuit: Erat enim non tantùm Græcè & Latinè peritus, ſed in lingua Hetruſca facundiſſimus: propterea quoties ad colloquia Principum admittebatur, tanta ſermonis elegantia, tanta vbertate, & eloquentiæ floribus omnium in ſe animos cõuertebat, vt nemo illum nõ diligeret, & admiraretur. Viuebat eo tempore inter omnes Italiæ optimates fama celeberrimus Canis Scaliger, cognomento magnus, propter magnanimitatem & virtutes: Veronæ principatum tunc obtinebat, maioremque anni partem Sirmij, quæ eſt Inſula lacus Benaci, moram faciebat, conſortio doctorum virorum vnicè delectatus: Is ad ſe Dantem

tem accerſiuit, & multis muneribus exornauit: cùm enim princeps eſſet doctus, eloquẽs, & liberalis, omnibus literatis ſuas ædes tanquam Muſarũ diuerſorium propoſuit. Dantes igitur huius liberalitate, ſicut aliorũ Principum donis, locupletior redditus, exilij ſui acerbitatem moderatiùs tulit: Otioque blandiore fruens, totum id tempus, quod illi reliquũ fuit à publicis occupationibus, ſcriptioni impendit; in qua ſtudij parte hodie quoque cæteris Italis meritò præfertur. Scripſit enim Comædiarum libr. 1. De Monarchia mundi lib. 1. Epiſtolas plures, & diſputationem de aqua & terra: quæ Mantuæ inchoata Veronæ tandem deciſa eſt. Scripſit & Hetruſco ſermone poemata doctiſſima de Paradiſo, Purgatorio, & Inferno. Mortuus eſt tãdem Rauennæ Anno Chriſti 1321. Ludouico Bauaro Imperium Romanorum moderante: eius ſepulchrum viſitur Rauennæ marmoreo ſacello, vbi eius ſimulacrũ erectum eſt pluteo incumbens: parte ſuperiore ſub arcu inter palmæ & lauri incuruatos ramos, maiuſculis literis ſcul-

ptum est, honori & virtuti. Infra verò arcæ, qua inclusum seruatur Dantis corpus, hæc inscriptio legitur tabula marmorea:

Iura Monarchiæ, superos, Phlegethõta, lacusq;
Lustrando cecini, voluerunt fata quousque:
Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,
Actoremque suum petijt felicior astris,
Hic claudor Dantes patrijs extorris ab oris;
Quem genuit parui Florentia mater amoris.

IN EODEM SACELLO AD SInistrum parietis latus lata tabula marmorea hoc inscriptum est.

EXigua tumuli Dantes heic sorte iacebas
Squalenti nulli cognite penè situ:
At nunc marmoreo subnixus clauderis arcu,
Omnibus & cultu splendidiore nites.
Nimirum Musis Bembus incensus Hetruscis,
Hoc tibi quem in primis hæ coluere, dedit.

Anno salutis M. CCCC. LXXXII. VI. KAL. IVN. *Bernardus Bembus ære suo posuit.*

EIVS-

EIVSMODI Epitaphia plurima olim excepi multis in Europæ locis, cum deliniatione genuina marmorum, ſignorum & ædificiorum: quæ licet mihi ex maiori parte bellis his ciuilibus perierint, ſuperſunt tamen adhuc aliqua, quæ Deo volente, ſi vita ſit ſuperſtes, aheneis typis excuſſa in publicum daturus ſum.

VI.

FRANCISC. PETRARCHA FLORENTINVS.
Italia scriptis vivit celeberrimus omni
Qui nunc Euganeo colle Petrarcha Jacet.

FRANCISC. PETRARCHA.

ANno Domini 1300. cum Florentia in factiones duas albam & nigram (ita dictæ sunt ab amictu capitis discolore) diuisa esset: nigriq; antea vrbe per violentiam expulsi essent, patriæ tandē restituti, albos ciuitate exegerunt, bonis eorū ad fiscum publicum relatis. Inter exules fuerunt Dantes Aligerus, & Petrarcha cognomēto de Parenzo. Hic cum Brigitta vxore nobili muliere, ex familia Canigianorū orta, Aretiū se contulit: vbi Anno 1304. 20. Iulij natus est illis Franciscus filius. Quidam volunt natum fuisse apud Ancisam, agri Florentini vicum, vnde infans in cunis cum parentibus Aretium deportatus est: Inde paulo post cum tota familia Pisas profectus est, studens qua posset ratione, Pisanorum fauore & solicitatione, Florentiam

rentiam reuerti: Sed cum in patriam reditum nõ posset impetrare, nauigium nactus opportunum, quod in Galliam nauigabat, Massiliam petiuit, vnde Auenionem cum tota familia migrauit. Erat enim Auenione Pontifex Romanus. Ibi primũ Franciscus puer, vt erat ingenio excitato & docili, bonis literis institutus est: iamque factus adultior, à parentib. missus est Carpentoratũ, postea ad Montem Pessulanum, vbi quadriennio integro legum studio dedit operam, annosq; iam natus viginti tres, mortuo vtroq; parente Anno 1327. Auenione discedens, recepit se Valclusam. Villa enim erat quinque ab Auenione Leucis Gallicis, vbi prædiola quædam, & domũ antea coëmerat eius pater. Cumque illic loco amœnissimo aliquãdiu habitasset, vt erat ingenio bono, comi, & faceto, cõuersatus est familiariter cũ Cabrieni domino, qui filiã habebat Lauram nomine: Puellæ forma & venustate allectus Petrarcha, eam ardẽter deperiit: quam postea æterna Poësi immortalitate donauit. Sed cum Ludouicus Bauarus Romanorum Impera-

Imperator, qui Gibelinam factionem fouebat,cum exercitu in Italiam veniſſet, Petrarchæ ſpes facta eſt in patriam redeundi. Diſcedens igitur è Gallia Mediolanum venit,vbi ab Azzone Galeacij Vicecomitis filio benigniſſimè exceptus eſt: Sed cùm ſenſiſſet ſibi denegari Florentiam reditum, Auenionem poſtea reuerſus eſt: vbi amicitiam contraxit cũ Stephano Columna,qui apud Ioann. XXI. Pontificem maximum,plurimum autoritate pollebat: Eodemque affectu exceptus eſt à Ioanne Cardinale,& à Iacobo Lumborienſi Epiſcopo, Stephani fratribus. Non tamen potuit diu aulam Pontificiã ſequi,aulicæ vitæ pertæſus,laborum tœdiorumq;,& vitiorum plenæ. Redire igitur in ſuam villam Valcluſam conſultius iudicauit,vt illic in ſeceſſu amœno ſtudijs liberius vacare poſſet. Dumque illic viueret,ſcripſit plurima Poëmata Latina,maximè ſuam Africam:vnoque die literis à Senatu Pariſino inuitatus eſt,& à Romano, vt Lauream adipiſceretur; ſed ſuaſu Cardinalis Columnę, & Tomæ Meſſinatis amici ſui intimi hortatu,

Romam nauigauit. Quò priusquàm appulisset, Neapolim se contulit, vt Robertum Siciliæ Regẽ inuiseret. A quo multis affectus donis & honoribus, literas ad Senatum Romanum commendatitias accepit. Romam venit Anno Christi 1341. ætatis verò suæ 32. coronãque lauream solemni pompa accepit 8. Aprilis, applaudente toto populo. Hinc illius fama per totam Italiam sparsa, à multis Principib. & ciuitatibus vndique vocabatur. Venit tandẽ Parmam cum Cortegij domino, cuius fauore Archidiaconatum Parmensis ecclesiæ adeptꝰ est: ibiq; aliquot annis degit, donec Anno ætatis 40. à Florentinis aliquibus amicis solicitatus est, vt reditum in patriam poscceret. Aretiũ igitur veniens, omnem mouit lapidem auxilio & fauore amicorum, vt à sua ciuitate reciperetur: cum tamen negotium sibi ex animi sententia videret minimè succedere, Parmam tristis redijt, vnde traiectis Alpibus Valclusam repetiuit. Neque multo post in Italiã reuersus est, vt inuiseret Scaligerum Veronæ dominũ, & Iacobum Cararam Patauij Principẽ: à quibus ho-

bus honorificentissimè exceptus est: maximè à Carara, qui illi Canonicatum obtulit Patauij: vbi non multo post eodem tempore mortuus est Carara Princeps, & Laura Cabrierea, quam tantopere amauerat, horumq; mortem summo cum dolore, & mœstitia tulit, Lauræ potissimũ, cuius desiderio excitatus, Valclusam venit, ibique hęsit dolens ac mœrens, atq; in eo secessu secundam suorum poëmatum partem conscripsit: Mortuisq; Columnensib. amicis, Gallia relicta Italiam repetere statuit, vt illic reliquum vitæ absolueret. Veneti Patauini & Veronenses reuerso plurimum honoris detulerunt: Sed ante cæteros Galeacius Vicecomes Papiæ, & Barnabas Mediolani, qui illũ summo cum gaudio exceperunt, & inter præcipuos consiliarios delegerunt: tantique fecerunt, vt in omnibus conuentibus celebriorib. communi mensa in conuiuijs cum Principib. assederit. Ingrauescente tamen ætate, postquã iam sexagesimum quintum annum superasset, cum quodam amico intimo, cum quo familiariter antea vixerat, & omnium cogitationum, &

num, & consiliorum fecerat participem, recepit se ad Euganeos montes prope Patauium, secessitque in vicum, qui Arqua vocatur, vbi domum, hortos, & colles habuit fructiferos, & amœnissimos. Eo in loco senex cũ amico, & aliquot famulis multos exegit annos, Poesi & Philosophiæ vacans: Et licet is locus omnibus necessarijs advitam rebus abundaret, siquid tamen prẽterea requireret, famulos Patauium ablegabat, quod ab Arqua decẽ tantum milliaribus Italicis distat, & inde consequebatur facili negotio, quæcunq; requirebantur ad studia, & valetudinem conseruandam. Ad eum iam ætate grauem missus est à Florentinis Ioannes Boccatius de Cetaldo, qui illum senatus autoritate in patriam reuocaret, honores, & patrimonij bona restitueret: Petrarcha restitutione hac multa affectus est lætitia, suisq; ciuibus gratias egit; sed locum mutare noluit senectute iam extrema pressus in qua ætate habitationis commodæ locum, victusq; rationem diuersam non poterat subire. Paulo enim post Anno Christianæ salutis

1374.

1374. ætatis verò ſuæ 70. die 18. Iulij vitam cum morte mutauit: eius corpus conditum eſt ſepulchro rubri marmoris, quatuor columnis fulto, ad quas gradibus duobus conſcenditur. Marmori hoc epitaphium inſculptum eſt.

Frigida Franciſci tegit hic lapis oſſa Petrarchæ:
Suſcipe virgo parens animam, ſate virgine parce,
Feſſaque iam terris cœli requieſcat in arce.

In ſecundo gradu ſepulchri hæc leguntur.

Viro inſigni Franciſco Petrarchæ Laureato, Franciſcolus de Borſano Mediolanenſis gener, indiuidua conuerſatione, amore, propinquitate, & ſucceſſione iunctus memoriæ. Moritur anno domini 1374. die Iulij 18.

Hic enim Frãciſcolus de Amicolis de Borſano duxerat vxorem Franciſcam filiam Petrarchæ, illegitimo toronatam: & ſoceri heres ex teſtamento ſcriptus eſt.

Mortuus eſt Petrarcha Carolo quarto Imp. Rom. Et Gregorio vndecimo Pont. Max.

Eius opera hæc recenſentur. De præſenti mundo lib.1. Africa ad Rupertum Regem. De conflictu curarum. Hiſtoria Chriſildis. Vita Scipionis Africani. De Pomœriis ad Sagemorum. De vita ſolitaria. De remediis vtriuſque fortunæ. De communi mundi contemptu. De vita ſapientis: inuectiuæ cõtra Medicum. Bucolica, Eglogæ: & alia venuſtiſſima Poemata quæ ſcripſit lingua Hetruſca.

BARTOLVS DE SAXO FERRATO
Jura doces populos æqua libranda bulmco
Intricata tuis, Bartole, temporibus.

BARTOLVS DE SAXO FERRATO.

ARTOLVS de Saxo ferrato (vrbs est Vmbrię quæ Sentinum olim dicebatur) natus est anno 1303. parentibus honestæ conditionis. Petri Assisij in Philosophia auditor fuit, & in Iurisprudentia præceptores habuit Cinum, & Iacobum Botigarium. Vir fuit ingenio subtili & acuto, facundæ eloquentiæ, & multi consilij: assiduus in studio legum, sobrius in victu: memoria labili: cui defectui vt succurreret, quęcunque meditabatur, scripto statim mandabat: Ideo delicias omnes postponens, & liberiora corporis exercitia negligens, totum se studiis dedebat, nullam sibi à serioribus meditationibus relaxationem concedens. Scuerus

in omni re, maximè in delictorũ pœnis, quas iusto acerbiùs exigebat à reis, dum criminalium causarum Tuderti Iudex esset constitutus. Hæc nimia seueritas illi crudelitatis notã inussit, illumque populo reddidit odiosum. Existimabant enim omnes Tudertini doctrinam, & bonarum disciplinarum scientiã morum eruditionem debere gignere, & truculẽtam istam crudelitatem mitigare, quæ incultum & barbarum animum plerumque sequitur, & humanitatis expertem. Summum ius summa sæpe est iniuria. Clementia Principem generosum, & optimates in magistratu constitutos adprimè decet. Ij enim Deum, cuius sunt ministri, imitari debent: qui non exactè punit sontes: sed maiori misericordia erga genus humanum vtitur, quàm acerbitate, licèt crimina sontium mereantur duriùs castigari. Cùm igitur Bartolus propter nimiam seueritatem suis esset ingratus, & odiosus: neque ferre posset publicum contemptum & inuidiam, relicta vrbe secessit in villam, quam habuit amœnissimam, vbi scriptioni incumbẽs, multos

multos annos priuatus exegit. Pisis interim & Perusij magna auditorum frequentia, & laude docuit ius ciuile: eius autoritas magna erat per totam Italiam propter soliditatẽ consiliorum quibus res Principum adiuuabat. Erat enim Caroli quarti Rom. Imp. cõsiliarius, àquo nobilitate donatus est. Mortuus est Perusij anno ætatis quinquagesimo sexto: Christi vero 1355. Carolo 1111 Rom. Imperatore, & Innocentio VI. Pontifice Maximo.

FLAVIVS BLONDVS FORLIVIENSIS
Flauius ecce iterum, Roma instaurata, triumphos,
Itque antiqua tibi nomina restituit.

BLONDVS FLAVIVS.

BLondvs Flauius Foroliuiẽsis, homo multæ eruditionis, Romam veniens propter insignem qua pollebat doctrinam, statim omnibus innotuit: Et vt illo sæculo scientiæ raræ erant, barbarie occupante omnes ferè Christiani orbis Academias, quotiescunque ex illo ignorantiæ barathro emergebat aliquis cognitione bonarum disciplinarum clarior, statim excipiebatur cum plausu & admiratione omnium: Idem accidit *Blondo* postquam Romam venit, fauore aliquot Cardinalium, qui apud Pontificem gratia & authoritate valebant, commendatus est Eugenio P. M. in cuius aulam receptus, Epistolarum Magister factus est. Vxorẽ habuit honesto loco: ex qua suscepit quinque filios: qui omnes paternæ doctrinæ, & virtutum, sicuti & facultatum heredes facti sunt. Pater licet gra-

cet grauibus assiduisque negotijs in aula Pontificia occuparetur, non tamen desiit multa scribere, quæ in lucẽ emissa sunt magno Reipublicæ literariæ emolumento. Scripsit enim Decades tres de gestis Romanorum lib. 31. Vel Decades tres. De Roma triumphante libr. 10. de Roma instaurata libr. 3. De Italia illustrata lib. 8. Præter hæc extant illius epistolarum ad diuersos lib. 1. Orationum lib. 1. & alia plurima opuscula eruditione plena. Clarebat Anno Domini 1435. Mortuus est Romæ iam septuagenarius: sepultusq; in capitolio, in superiore parte graduum aræ cœli, eo loco vbi visitur Lucæ Gaurici monumentum. Marmori inscriptum est. BLONDO FLAVIO FORLIVIENSI historico celebri, multorũ Pontif. Rom. secretario fidelissimo, Blondi V. Patri benè M. vnanimes posuere. Vixit annis LXXI. obijt prid. Non. Iunij An. salutis Christianæ M. CCC. LXIII. Pio Pont. Max. sibi natisq; fauente.

IOANNES BOCCATIVS DE CETALDO
Qui maria et terras scripsit Boccatius iste est,
insignis Variæ conditor historiæ.

IOANNES BOCCATIVS.

IO AN. Boccatius de Cetaldo, patria Florentinus, Philosophus & Astronomus doctissimus. Ideo in aula Romanorum Pontificum primum locum inter literatos obtinuit. Fuit enim Pontificiarum epistolarũ magister, in qua vacatione occupatus est multis annis. Floruit eodem quo Petrarcha tempore: ad quem etiam missus est à Senatu Florentino, vt illum in patriã ab exilio longo reuocaret, restitutis omnibus facultatibus, quæ fisco publico adscriptæ erãt, expulso Florentia Petrarchæ parente. Boccatius multa reliquit scripta, quæ autoris doctrinam & laboriosas lucubrationes satis testantur. Edidit enim lib. de Genealogia Deorum, qui continet tomos 14. De viris illustribus lib. 1. De claris mulieribus lib. 1. De heresib. Boë-

morum lib. 1. De victorijs Sigismundi Rom. Imper. lib. 1. de Bellis Imperatorum lib. 1. De Montibus, Fontibus, Fluminibus, libr. 3. De bellis Florentinorum lib. 1. De rebellione terrarum Ecclesiæ lib. 1. De victoria Tartarorum lib. 1. De stagnis & paludibus lib. 1. De nominibus maris lib. 1. De Cõstantinopoli capta lib. 1. Librum Epistolarum, & Bucolica non inerudita, aliaq; plurima. Reliquit & librum centum nouorũ, quem Decameron vocauit, lingua Hetrusca conscriptum, quo historiæ plurimæ facetæ continentur. Interfuit Concilio Constantiensi: in quo cremati sunt Hieronymus de Praga & Ioan. Hessus: De Hieronymo scribit Boccatius dignum fuisse vita, propter insignem doctrinam, & constantiam singularem, si ab Ecclesiæ doctrina non recessisset. Mortuus est Anno ætatis suę 62. Carolo 4. Romanorum Imperiũ tenente, & Gregorio vndecimo Pontifice Maximo.

X.

IVRIS CONSVLT' BALDVS PERVSIN9
Esse Perusino potes cum in monte celebris,
Miror Ticini te voluisse mori.

BALDVS PERVSINVS.

ALDVS Perusij natus, ex Vbaldorum nobili familia: Is generis splendori adiecit doctrinam excellẽtem in Iurisprudentiæ studio, & alijs liberalibus disciplinis: auditor enim fuit Bartoli de Saxoferrato: præceptorique nõ cessit scientiarum cognitione. In patria docuit summa cum laude & auditorum frequentia, qui vndique Perusium confluebant ad illũ audiendum. Sed postquã magnus ille Galeacius Vicecomes Mediolanẽsis Academiã Ticini erexisset, & scholas studiis bonarũ litterarũ florẽtes excitasset, accitis vndiq; celeberrimis professoribus, qui iuuentutẽ tam in Philosophia, quàm in Iurisprudentia instituerent, constitutis vnicuique, pro ratione & dignitate professionis, luculentissimis stipendijs, Baldũ quo-

que Perusio euocauit, qui summa auditorum frequentia Papiæ, quæ est Ticinũ, ius aliquot annis publicè docuit. Peruenit ad annum ætatis septuagesimum sextum. Decessit è vita paulo ante Galeacij mortem. Sepeliri voluit amictus habitu S. Francisci, ratus id plurimũ ad animæ salutem conducere. Quod etiam à Rudolpho Agricola factitatum tradunt, & ab alijs multis. Baldus florebat Anno 1365. sepultus Anno 1400. Scripsit super Codice lib. 9. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo lib. 12. Super ff. Inforciati lib. 14. Super Institutis lib. 4. De vsu Feudorum lib. 1. Super Autenti. lib. 1. Super secundo Decretaliũ lib. 1. Additiones Speculi lib. 1. Consiliorum lib. 1. Comment. super totum corpus Iuris ciuilis. Practicam, Margaritam seu repertorium, & modum arguendi.

PETRVS ANCHARAN.
I. C.
BONONIEN SIS
Attica Cecropio plandet dum turba Solom,
Ancharane, tibi laus erit Italia.

PETRVS ANCHARANVS.

PETRVS Ancharanus Bononienſis, ex illuſtri Farneſiorum familia; vir præter ſingularē doctrinam tam in Philoſophia, quam in ſtudio Iuris, longo vſu rerum politicarum prudētior redditus, eloquentiſſimus & multa autoritate apud ſuos pollens, propter ſalutifera conſilia, quibus tam ſcriptis, quam voce patriam iuuans Principibus ciuitatibuſq;, & Academijs totius Italiæ plurimùm commēdabatur. Præceptore vſus erat Baldo, ex cuius intima familiaritate multa ſecretiora Iuriſprudentiæ hauſerat documēta. Florebat in Italia anno Chriſti Seruatoris 1410. Sigiſmundo Romanorum Imperatore. Scripſit ſuper Decretalibus lib. 5. Super 6. Decretalium lib. 1. Super Clementi-

nis lib. 1. De regulis Iuris libr. 1. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo lib. 12. Consiliorum lib. 1. In primo Decretalium, de constitu. c. 1. Canonum stat. in 2. Decret. de cõfessis & de probatio. c. ex parte. & c. tertio loco. Et rursus de probatio. c. in præsentia. & de foro compe. c. postulasti. Sepultus est Bononiæ in templo S. Benedicti. parte superiore monumenti literis Romanis scriptum est. D. O. M. Petro Ancharano Iuris Ponti. & Cæs. clarissimo interpreti, eius amantissimi sacrum hoc instauratũ posuere Anno salutis M.CCCC.LXXXXVII.

Et in parte inferiorẽ literis Gotthicis hæc leguntur.

Canonis hic speculum, ciuilis & anchora Iuris.
Hic iacet, æternas mens tenet alma domos.
Nomen erat Petrus: genuit Farnesia proles
Nunc Ancharanum dat sibi iuris opes.
Quis superauit eũ virtute micante? quis isto
Consilijs hominum clarior antè fuit?
Pro meritis nũc astra dedit sibi Iuppiter almus,
Et voluit gelido membra iacere solo.

IOAN. FRANCISC. POGGIVS FLORENT.
Felle armata tibi manus est; multoq; cachinno
Finxisti et nudo scripta proterua sale.

IOAN. FRANCISC. POGGIVS.

IOANNES Frãciſcus Poggius Florentinus, Iuriſcõſultus & Theologiæ Doctor: Homo doctus & admirandæ facundiæ, in accuſationibus potiſſimum, & inuectiuis, quas ſcripſit in Philelphum, & Laurentium Vallã: Hunc enim vatiniano oderat diſſidio: Et in eum ſcripſit libros duos, quibus illum amarè perſtringit: illi quoque Valla non leniore ſtylo reſpondit: tanta fuit eo ſæculo inter viros doctos acerbitas & inuidia, qui pares ferre, multo minus ſuperiores, non poterant. Et hoc vitium propagatum vidimus vſque ad noſtra tempora. Multi enim ſe ſcripſiſſe non arbitrantur doctè, niſi alios reprehendant, & ex alieno vituperio ſuam laudem adſtruant, quæ dum faciunt docti quidem, ſed non eruditi videntur,

cum bonarum disciplinarum cognitio erudire mores hominum, non exasperare debeat. Poggius hæc scripta reliquit. De situ Indiæ lib. 1. Epistolarum lib. 1. Orationum lib. 1. De varietate Fortunæ. Historiam Florentinorum, & vt erat Græcæ linguæ peritus, Dionysium Siculum Latinitate donauit, & Xenophontis Cyropædiã. De officio Principis, & alia multa. Interfuit concilio Constantiensi, in quo excellentes aliquot habuit orationes funebres. Et eo tempore eius opera inuenti sunt Quintilianus, & Asconius Pædianus. Scripsit & quædam turpia, nec lectione bonorũ digna. Nam, vt ait Trithemius, hoc opus à Catalogo illustrium scriptorum reijciendũ censemus, quoniam eius lectio deuotos offendit, incautis nocet, & carnales inficit. Claruit anno 1420. Sigismundo Rom. Imp. Sepultus est Romæ, in Templo S. Gregorij. Eius Epitaphium tale est.

DEO OPTI. MAX. Ioanni Francisco Poggio Florentino, cum virtute ac constantia, mor. grauitate, vita integerrimè acta, paterna,

terna, ſuaque laude eloquentiæ, ac literarum, Iuris quoque ciuilis, ac Pontificij, diuinæque ſcripturæ cumulata doctrina, religiosè viuenti, religioſius ſupremo die functo Vicentius Lucæ Maretinus, fratris eius gener, parentis apud ſe locum ſemper adſequuto optim. meren. poſuit.

Vixit Annos LXXIX. Menſ. III.

XIII.

LAVRENTI VALLA ROMANVS
Defuncto valla Musis plorantibus inquit
Phœbus, hic antistes nostri Hiliconis erit

LAURENTIUS VALLA.

LAVRENTIVS Valla Patricius Romanus, & Canonicus S. Ioannis Laterani, Grammaticus, Rhetor, & Philosophus clarissimus, Theologiæ Doctor, Græcę & Latinæ linguę peritissimus. Inimicissimus fuit Poggio, qui in oppido ditionis Florentinorum natus, Romæ summa in autoritate viuebat in aula Pontificia literarum Apostolicarum scriptor, vir quidem facetus, & dicterijs clarus, paulo ą; amarior quàm par erat: Is in Vallam multa scripsit acerbiore stylo, cui & Valla respondit non leniori scripto. Scripsit præterea plurima alia eruditione plena: vt sũt elegantiarum linguæ Latinæ lib. 6. de reciprocatione sui & suus, in Antonium Raudensem: annotationum lib. ad Alphonsum Regem Arragonũ epistola apologetica, quæ inscribitur Duo Tarquinij. In Benedictum Morandum Bononiensem libr. 2. In Bartolomæum Faciũ

I. C. IOANNES DE IMOLA BONONI.
Pro bene digesto si gratia Jure sequatur,
Accedet titulis civica palma tuis.

IOANNES DE IMOLA.

OANNES de Imola patria Bononienſis, ſed cuius parentes olim Imola Bononiã tranſmigrarãt, &ciuitate donati propter eorum autoritatem, & facultates, quæ non erant mediocres. Hic Ioannes ſtatim à pueritia bonis literis inſtitutus eſt, patre ſumptibus non parcente, vt in virum doctum filius euaderet: factumque eſt vt non ſolùm in Philoſophicis optime erudiretur, ſed maximè in Iuriſprudẽtiæ ſtudio, ad quod pater illum deſtinarat, vt patriæ honori, & familiæ emolumento eſſet. Nã cùm tria illa ſtudia cæteris excellãt, Theologiæ, Iuriſprudentiæ, & Medicinæ: Dat Galenus opes, dat ſuluum Bartolus aurum. Et præter opes, quæ ex Iuris ſtudio acquiruntur, maximũ id viſum eſt prẹmium ſcientię, quod

in administratione Reipublicæ, in consilijs principum admittuntur cum summo honore, & autoritate Iurisconsulti. Ioannes igitur in hac vacatione studij factus prouectior, Doctoratus gradum Bononiæ accipiens, publicè docuit, & multa scripsit, quæ cum gloria, & laude ad posteritatem transmissa sunt, vt sunt super tribus libris Decretalium libr. 3. Super sexto Decretalium separatim lib. 1. Super Clementinis lib. 1. Super ff Inforciati lib. 14. Super ff. nouo, & alia quædam, quæ non sine vtilitate ab ijs, qui Iura secuntur, legi videmus. Mortuus est Bononiæ tempore Sigismundi Romanorum Imperatoris, & Eugenij IIII. Pontificis Maximi. Anno salutis humanæ 1436. Sepultus est in Peristylio templi S. Benedicti, cum Martino Sulimano, cum hac inscriptione. D. M. S. Ioannis de Imola Pont. Cæs. Q. Iuris consultiss. ossa in subposito Garisendorum sepulchro requiescunt. Minus Garisendus ille & ipse interpres, Amitæ suæ coniugi fecit.

CONSVLT' IVRIS
PAVLV'S DE CASTRO
Vt favere tibi Senæ, tua floret ad Arnum
Gloria Medoaco nec minor extat honos

PAVLVS DE CASTRO.

PAVLVS de Castro à nonnullis in agro Patauino natus creditur, parẽtibus honestis & mediocris fortunæ. Hic ab ineunte ætate bonis disciplinis eruditus, Iurisprudentiæ studio sese addixit: in quo tantos fecit progressus, vt sui temporis Iurisconsultos, aut superaret, aut saltem æquaret. Cuius doctrina cùm esset omnibus cognita, à multis Principibus, & ciuitatibus delegatis splendidissimis stipendijs ad docendum vocatus est. Professus est Iura in omnibus ferè totius Italię Academijs, tanta autoritate & discipulorum frequentia, & concursu, vt qui Paulum docentem non audiuisset, is titulos Iurisconsulti ferre meritò non crederetur. Neque solùm docẽdo dum viueret auditoribus profuit, verum etiam scribendo po-

steritati consuluit. Leguntur enim adhuc hodie multi cum vtilitate libri, quos conscripsit in hac facultate: vt sunt super codice libri nouē. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo libr. 12. Super ff. inforciati libr. 14. Super Institutis lib. 4. Consiliorum probatissimorum libr. 1. Scripsit prēterea Singularia, & opus Consiliorum in duo volumina partitum. Ostenduntur & alia eius opuscula eruditione plena: vt est Repetitio in 1. ff. vet. de Iudicijs L. Si de vi.

Mortuus est tempore Sigismundi Romanorum Imperatoris, & Eugenij quarti Pontificis Maximi, Anno Christi 1437.

LEONARDVS ARETINVS.
Gothorum historiam scribentem et Punica bella
Aonius olim hunc pavit Apollo favis.

LEONARDVS ARETIVS.

LEonardvs Brunus Aretinus Hiſtoricus, Orator, & Philoſophus doctiſſimus: Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimus: quarum nitorem retroactis ſęculis offuſcatum priſtino ſplendori reſtituit. Floruit enim tempore Pontificum Romanorum Innocentij VII. Gregorij XII. Alexandri V. Et Ioannis XXIII. quorum fuit epiſtolarum magiſter. Sed poſtea à Senatu Florentino accerſitus, ſummus ciuitatis Cancellarius vnanimi Patrum conſenſu electus eſt: in quo ſtatu reliquam vitę partem ſumma autoritate & gloria tranſegit. Scripſit plurima eruditione plena. Inter eius opera hæc præcipua recenſentur. Hiſtoria ſui temporis de geſtis Florentinorum lib. 12. Hiſtoria Gotthorum lib 4. Hiſtoria primi belli Punici lib. 14. Vita Ariſtotelis. Vita Gracchorum, Pauli Æmylij, Catonis

Posterioris, Sertorij, Ciceronis; Dialogum de moribus conscripsit,& librum contra Hypocritas. Commentarios in œconomica Aristotelis,epistolarum volumen. Et ex Græcis trãstulit multa in Latinum sermonem, vt Basiliũ de instituendis discipulis. Xenophontis librũ de tyranno, & apologiam pro Socrate. Platonis Gorgiam, Phædonem,&aliquot epistolas. Aristotelis Ethicorum & Politicorum libros. Æschinis orationem contra Ctesiphontem. Et multorum vitas ex Plutarcho: Præter orationem, in qua Heliogabalus artem meretriciam commendat: Et Historiam amatoriam, quæ cum Epistolis Æneæ Syluij continetur. Mortuus est Florentiæ annis,opibus,& gloria locupletat⁹,Imperatore Friderico III.&Eugenio IIII. P. M. VII. EID. MART. ANNO. M. CCCC. XLIII. ætatis suæ Anno LXXIIII. Sepultus in templo S. Crucis, sepulchro marmoreo magnificẽtissimo,cũ hac inscriptione.

Postquam Leonardus è vita migrauit, Historia luget,eloquentia muta est,ferturq; Musas tum Græcas tum Latinas lacrymas tenere non potuisse.

XVII.

HIERONIMVS FRACASTORIVS
Cretharí docui arcanas Amythaonis artes,
Barbiton Aonijs & resonare modis.

HIERONYM. FRACASTORIVS.

IERONYMVS Fracastorius patria Veronensis, vir cõsummatissimæ doctrinæ: Medicꝰ enim Poëta, Astrologus, & Philosophus fuit sua ætate doctissimus: in quibus studijs tantam acquisiuit laudem, vt vsque ad hodiernum diem antiquis comparandus meritò iudicetur. Eius Poemata tanti fiunt apud omnes literatos, vt illa conferant cum Vergilianis: tanta in eis eloquẽtia, tanta dicendi vis, & facultas, sermonisq; puritas, vt ęterna laude non sine causa ad cœlum euehantur, vnde à multis diuinus vocatur Fracastorius. Is cum totam ætatem in arte Medica, & in indaganda rerum natura sedulo impendisset: in eo omnem mouens lapidem, vt literatos iuuaret, & omnibus prodesse

 posset,

posset, Patauij, vbi tunc summo in honore habebatur, naturæ concessit: Anno Christianæ salutis M. D. LIII. ibique sepultus, funus prosequente publico luctu tota Academia, & Ciuitate. Eius opera hæc ad posteritatem peruenerunt. Carmen elegantissimum de morbo Gallico, quod dedicauit Petro Bembo Cardinali, libris tribus. Homocentrica, & de causis criticorum dierum. De Sympathia & Antipathia lib. I. De contagione, & morbis contagiosis lib. 3. Item Alcon carmen de cura canũ venaticorum. Omnia eius opera tanta perfectione scripta sunt, vt in ijs requiri nihil possit: de eo Iulius Cæsar Scaliger Veronensis aliquando scripsit.

Hic situs est Fracostorius Hieronymus: vrna
Quem capit, hic cepit pectore cuncta suo.
Sidera digessit: reuocauit funera, Rerum
Naturæ imperij conscius, atque Dei.
Aut Heliconiadum fontem sibi sustulit omnẽ:
Aut tumulus vertex hic Heliconis erit.

XVIII.

GEORGIVS TRAPEZVNTIVS
Dum servit Getico Tragi subjecta Trapecus
In latio vivès commodiore loco.

GEORGIVS TRAPEZUNTIVS.

GEORGIVS Trapezuntius, ex Creta duxit originem, vbi natus est anno 1396. Patre Trapezuntino ciue, qui se eò contulerat. Romã veniens propter insignem eruditionem Pontifici gratus, Secretarius Apostolicus factus est. Primus omnium Græcorum Græcas literas docuit summa cum laude: clarebat enim anno Christi 1430. Eugenio quarto Pontificatum tenente: illũ Trithemius Gregorium vocat. De quo quidam memoriæ tradiderũt, extremo senio pressum, & morbo graui detentum, postquam ad valetudinem rediuisset, literarum omnium fuisse oblitum, neque legere aut scribere potuisse, quod ex dolore illi euenisse ferunt: propterea quòd eius opera Põtifici maximo oblata, centum ducatis tantùm compensata fuissent. Is autem è Vaticano Palatio domum se confe-

rens, indignatione percitus ex ponte Aelio pecuniam ab ingrato acceptam in Tyberim abiecit, addita exclamatione: Periere labores, pereat & eorum ingrata merces. Deceſſit Romæ ſenex admodum. Dũ viueret ſcripſit plurima: nempe Rhetoricorum libros quinque. Dialecticam breuem. Commentaria in Philippicas Ciceronis. In Claudij Ptolomæi centum ſententias, & librũ de Antiſcijs. Tranſtulit etiam ex Grẽcis in linguam Latinam Cyrilli commentarios in Euangelium Ioannis, & de Trinitate lib. 14. Euſebium de præparatione Euangelica. Almageſtũ Ptolomæi. Chryſoſtomi Homelias in Matheum. Iſagogem & commentaria in magnã Ptolomæi compoſitionem. Rhetoricorum Ariſtotelis libr. 3. Comparationem Ariſtotelis cum Platone: vbi Ariſtotelem, quem mirificè admiratur, longè præfert Platoni: cuius vitam & doctrinam famoſis ſcriptis inſolenter, & amarulenter inſectatur. Opera quoque Gregorij Niſſeni latinitate donauit. Erat Peripateticæ Philoſophiæ ſectator & ſtudioſus.

XIX.

BESSARIO PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLI.
Frons tibi Threcia fuit olim cincta tiara:
Nunc te Romana purpura veste tegit.

BESSARIO.

BESSARIO natione Græcus, patria Trapezuntinus, Patriarcha Constantinopolitanus. qui Eugenij quarti tempore in Italiam venit ad Concilium Florentinum. Philosophus, & Orator summa doctrina præditus. Primus omnium ex Græcis fuit, qui communibus Patrum suffragijs, cum Isidoro in Senatum Cardinaliũ electus est. Homo certè propter insignem eruditionem, ac vitæ sanctimoniam nõ solùm dignus qui inter Cardinales censeretur, sed qui Pontificatum summum teneret. Eo enim Reipublicę gubernacula moderante, sperare omnes poterant doctrinæ, religionisque, ac morum emendationem. Eius tanta fuit liberalitas erga viros doctos, vt eius domus artium liberalium officina diceretur: neque minùs ipse assiduus erat in bonorum autorũ lectione. Ve-

netijs Bibliothecam libris Græcis & Latinis instructissimam erexit, quos ex Græcia in Italiam multis impensis emptos transportari curauit. Bibliothecæ præfecit Marcum Antonium Sabellicum Roma magno stipẽdio accersitum. Scripsit & ipse plurima volumina doctrina & vtilitate plena. Vt cõtra Marcum Episcopum Ephesinũ, de Spiritu sancto malè cum Græcis sentientem in Concilio Florentino. Platonem in primis colebat, pro cuius defensione, & laude scripsit contra Georg. Trapezuntium lib. 5. Transtulit ex Aristotele Metaphysicorum libros quatuordecim. Scripsit & laudes Trapezuntis patriæ suæ, & Isthmi. Consolationes ad Imperatorem Græcorum: Et orationes de bello Turcis inferendo. Trãstulit & Theophrasti Metaphysica: & libr. 4. Xenophontis, de factis & dictis Socratis. Græce quoque scripsit ad Plethonem siue Gemistum, cuius fuerat discipulus: & Epistolas responsorias ad eundem. Mortuus est Rauennę ex legatione Gallica rediens, Anno ætatis LXXVII. Friderico Imperatore & Sixto IIII.

P.M.

P. M. Anno Domini M. CCCC. LXXIIII. Eius corpus Romam trãslatum, & in templo Apostolorum magnifico cõditum est monumento, quod ipse viuens sibi erigi curauerat, cum hac inscriptione. Bessario Episcopus Tusculanus S. R. E. Card. Nicenus. Patriarcha Cõstantinop. nobili Græcia ortus oriundusque, sibi viuens posuit.

Anno salutis M.CCCC.LXXVI.

THEODORVS GAZA
THESSALA LIQVISTI REGNA ET PENEIA TEMPE:
AD TYBERIM QVONIAM GLORIA MAIOR ERIT.

THEODORVS GAZA.

THEODORVS Gaza patria Theſſalonicenſis, vir nobilis, Græcæ Latinęq; linguæ peritiſſimus, omniũ ſui temporis hominum doctiſſimus habitus eſt. Literas Latinas in Italia didicit, in quarum cognitione tantum profecit, vt ſumma felicitate, & omniũ admiratione Latina Græcè, & Græca Latinè exactiſſimè verterit. Nõnunquam tamen Latina vocabula noua fecit. Stylo vſus eſt non affectato, ſed puro & facili, veteres Latinos imitatus. Eius doctrinam mirificis laudibus extollit Hermolaus Barbarus. Beſſarioni Patriarchæ Conſtantinopolitano, & Cardinali Niceno familiaris fuit, & amicus: à quo multis honoribus & beneficijs cumulatus eſt: eiusq; commendatione ſacerdotium

in magna Græcia adeptus, ætatem illic absoluit feliciter, studijs & lectione bonorum autorum incumbens. Eius opera hodie extãt plurima: Græcæ Grammaticæ lib. 4. De mensib. Atticis liber Græcus. Ciceronis de Senectute, & Somnio Scipionis, quæ in Græcum sermonem transtulit. Æliani de instruendis aciebus. Dionysij Halicarnassæi de compositione orationis. Theophrasti historia de plantis. Aristotelis de historia animalium. lib. 9. De partibus animalium & eorum causis. lib. 4. De generatione animalium lib. 5. Problematũ sectiones 38. Alexandri Aphrodisiensis Problematum lib. 2. Chrysostomi Homiliæ 5. de incomprehensibili Dei natura: Et præter hæc alia plurima eruditione plena reliquit. Obijt Romæ, quo ex Græcia venerat, Anno Christi M. CCCC. LXXVIII. Friderico III. Romanorum Imperatore, & Sixto IIII. summum Pontificatum tenente. Quidam tradiderunt eius corpus in Græciam fuisse transportatum, & ibi tumulatum, vbi sacerdotium obtinebat.

XXI.

I. C. ALEXANDER TARTAGN. IMOLENS.
Felsina Tartagno leges et jura docente
Florent æterno nomen honore gerens.

ALEXAND. TARTAGNVS.

ALexander Tartagnus Imolæ natus est: Vixit Romæ Friderici tertij Romanorum Imperatoris tempore: Legum Doctor, & Iurisperitus tota Italia celeberrimus. Publicè magno auditorũ conuentu per triginta ferè annos docuit Papiæ, Ferrariæ, & Bononiæ: Eius enim tanta fuit per totam Italiam autoritas, vt quicunque illum docentem non audiuerat, vix inter doctos numerari posset. Scripta reliquit nonnulla, quæ in hodiernum vsque diem à Iurisperitis magno cum fructu leguntur: inter quæ primum locum obtinent. In sexto decretalium liber vnus. In Clementinis liber vnus. In Codice lib. 9. Super ff. veteri lib. 24. Super ff. nouo lib. 12. Super ff. Inforciati lib. 14. Lege de eo Trithemium, & supplementum Chronicorũ. Mortuus est Bononiæ locuples, annis, & gloria ple-

nus. Sepultusq; est in templo Sancti Dominici, Anno Christianæ salutis M. CCCC. LXXVII. Sepulchrum eius marmoreū, maximo sumptu, & splendore erectum. Eius corpus arca summo artificio elaborata ex marmore conditum est: in cuius frontispitio legitur hoc Epitaphium.

Alexandro Tartagno Imolensi Legum veriss. ac fideliss. Interpreti Q. V. ANN. LIII. filij pientiss. Patri ob B. M. P O S. Obijt Anno M. CCCC. LXXXVII.

PHILOS. BARTOLOME. PLATINA CREMONENSIS
Pontificum vitas vero quid profuit ore
Dicere si infesti sunt tibi Pontifices.

BARTOLOMÆVS PLATINA.

ARTOLOMÆVS, vel vt alij volunt Baptiſta Platina, Veronenſis patria, humili loco, & obſcuris natus eſt parentibus: ſed qui propter eruditionē à doctis ſummo honore colebatur. Maximè poſtquā veniſſet Romā, à Pio II. Pont. Maximo ſingulari fauore & beneuolentia exceptus eſt, & Sacerdotio donatus, & multis muneribus locupletatus: Abbreuiator enim Apoſtolicus factus eſt, vt erat homo multæ literaturæ, Rhetor & Philoſophus acutiſſimus. Tandem in odium Pauli II. P. M. venit, quòd illius vitia non ex omni parte poſſet ferre, per calumniatores & inuidos (qui peſtes ſunt ordinariæ omnium aularum) apud Pontificem redditus odioſus, ab eo primùm beneficio Ec-

cleſiaſtico, boniſque omnibus ſpoliatus eſt: poſtea in carcerem coniectus, & equuleo adplicatus, infinitis tormentis vſque ad mortem cruciatus, & excarnificat⁹ eſt. Extincto tãdem apoplexia poſt conuiuium Paulo, Sixtus IIII. Ligur illi in Pontificatũ ſucceſſit, Anno Domini 1470. Is Platinã vinculis liberauit, prioribuſque honoribus, & beneficijs reſtituit, & præter hæc Bibliothecæ Vaticanæ præfecit: in qua adminiſtratione egregiã nauauit operã, doctorumque hominum exterorũ beneuolentiam acquiſiuit, omnes ad colloquia familiariſſimè, & humaniſſimè admittens, & ad lectionem librorum, quorum curam gerebat. Id enim ſibi ſemper propoſuit, vt quibuſcunque poſſet officijs de omnibus optimè promereretur. Scripta eius extant plurima. De geſtis Romanorum Pontificum lib. 1. De natura rerum. De honeſta voluptate & valetudine lib. 10. Epiſtolarum lib. 1. Dialogi de vero & falſo bono, de vera nobilitate, & optimo ciue, & contra amores. De Pace Italiæ componenda, & bello Turcis indicendo. De rebus Mantuanis,

tuanis, & Gonzagarum familia lib. 6. Panegyricum in laudem Beſſarionis : Et quædam de arte culinaria: quæ tanti viri autoritatem non mediocriter minuerunt, vt illi obiecit Actius Sincerus, hoc Epigrammate.

Ingeniã, & mores, vitasq;, obitusq; notaſſe
Pontificum, argutæ lex fuit hiſtoriæ:
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ.
Hoc, Platina, eſt ipſos paſcere Pontifices.

Expreſsè enim (cùm eſſet Bibliothecæ Pontificiæ præfectus conſtitutus, illique plus otij in ſtudijs concederetur) Vitas Põtificum deſcribendas ſuſcepit, vt Pauli II. vitia notaret, immanitatem, ſuperbiam & auariciam, quæ viro alioqui excellenti, & nobili Barbarorum apud Venetos familia orto, plurimum infamiæ attulerunt. Opus hoc Platina dicauit Sixto Pontifici, qui Pauli arrogantiam ſemper odio fuerat proſecutus. Platina iam admodum ſenex, & locuples è vita deceſſit Romæ, Anno Chriſti 1581. Friderico III. Romanorum Imperatore, & Sixto quarto Pontificatum tenẽte:

te. Sepultus est in Exquilijs, in templo S. Mariæ Maioris, cum hoc Epitaphio:

Quisquis es (si pius) Platinam, & suos ne vexes.
Angustè iacent, & soli volunt esse Demetrij alumni.

Domum habuit instructissimãm, cum amœnis hortis in Quirinali. Hanc Platina moriens reliquit Põponio Læto amico superstiti, cum laureto adiacente, ex quo coronarẽtur in posterum Poetæ, alijque Philosophi, qui ad doctorum sodalitium admittebantur: quique reliquis exhibita suæ doctrinæ probatione, laurea digni iudicabantur: quod paulo post multis cõtigit: Sed exquisitissimis ceremoniis Marcus Antonius Sabellicus coronatus est in cœtu omnium, applaudente tota Academia.

PHILOS MARSILIVS FICINVS FLORENTI
Interpres diui vigilans, Ficine, Platonis,
Ingenio est illi lux data quanta tuo.

MARSILIVS FICINVS.

MArsilivs Ficinus patria Florentinus, Platonicæ doctrinæ ſummus admirator, & cultor, Græcæ & Latinæ linguæ peritiſſimus: homo ingenij acuti, & vigilantis: vnicè adamatus à Coſmo Florentinorũ Principe, propter exquiſitam ſcientiarum omnium, qua pollebat, cognitionẽ. Fuerat enim Marſilius cum Angelo Politiano bonarum literarum ſtudijs excultus, opera & ſumptu Laurentij Medices, qui & ipſe doctus, doctorum omnium Mæcenas vocatus eſt, tantaque autoritate, moderatione, & prudentia rempublicam Florẽtinorum rexit, vt Pater Patriæ dici iure mereretur. Poſt cuius mortem, non minore apud Coſmũ gratia valuit, & ab eo diuitijs, & honoribus ditatus, otio literario vacans, Principis beneme-

meriti ſuaſu, Latinos fecit Iamblicum, Syneſium, & Pſellum, Platonicos autores, ipſumq; totum Platonem. Scripſit & alia inſignia opuſcula, quæ à doctis cum ſingulari delectatione, & fructu leguntur: inter quæ eſt Theologiæ naturalis lib. 1. De intellectu & intelligentia lib. 1. In conuiuium Platonis lib. 1. de triplici vita, lib. 3. De Medicina, Aſtrologiaq; (quas ad ſacerdotes pertinere propriè aſſerit.) de vita mundi: de Magia, & Magis qui Chriſtum ſalutarunt. Antidotum Epidemiorum, & curationem valetudinis. Et Epiſtolarum librum. Vertit & Græcos in Latinum ſermonem (præter ſuperiores quos diximus) Xenocratis de morte. Speuſipi, Alcinoi, & Pythagoræ opuſcula. Dionyſium Martyrē de myſtica Theologia. Plotinum cum commentarijs. Paraphraſes in Theophraſtum, & Priſcianum: de ſenſu, phantaſia, & intellectu, & alia plurima. Vertit & Mercurium Triſmegiſtum, de poteſtate & ſapiētia Dei. Mortuus eſt tandem Ficinus in villa Coregiana, quò ſeceſſerat, Anno ætatis ſuæ 71. Chriſti verò. 1483. Clarebat Friderico

derico III. Rom. Imp. Et Sixto IIII. Innocentioque VIII. PP. MM. Sepultus est Florentiæ in templo S. Mariæ, cum hoc Epitaphio.

En hospes, hic est Marsilius Sophiæ pater: Platonicum qui dogma culpa temporum situ obrutum illustrans, & Atticum decus seruans Latio dedi fores primus sacras, diuino apperiens mentis actus numine. Vixit beatus ante Cosmi munere, Laurique Medicis: nunc reuixit publico S. P. Q. F. Anno Salutis M. D. XXI.

XXIV.

PHVS. ANGELVS POLITIAN PHILOSO:
Cecropias iterum reptat Demetrius oras
Angelus, Oenotrij quo doceantur erit.

ANGELVS POLITIANVS.

ANGELVS Politianus, ex Monte Politiano Hetrurię oppido, natus eſt Anno Domini 1454. Is ſumptu, & promotione Coſmi Florentinorum Principis, cũ Marſilio Ficino bonis literis inſtitutus eſt: in quibus tanta felicitate profecit, vt breui temporis interuallo ſui temporis homines doctos eruditione aut æquaret, aut ſuperaret. Græcæ Latinæq; linguæ peritiſſimus, Grammaticus, Orator, & Poëta inſignis. Dictus enim eſt communi ſui ſæculi conſenſu, Poëta nobilis, propter excellẽtiam carminis, quo commendabatur, dum illuſtraſſet Iuliani Medicis ludos ſolemnes, viciſſetque doctiſſimo poëmate celebrem illum Poëtam Lucam Pulcium. Græcas literas Politianus docuit Florentiæ magno auditorũ confluxu.

Quò

Quò cum veniſſet Demetrius Chalcondules Byzantinus, qui cum alijs multis tyrannidem Turcicam fugientibus in Italiam ſe recepit, Scholamq; ab Argyropylo deſtitutam reſtauravit. Fuit enim Petri & Coſmi Medicũ præfectus inſtitutioni, & Laurentij, Coſmi nepotis. Dum igitur eodem tempore literas Græcas Florentiæ docerent Chalcondyles & Politianus, auditores Demetrio relicto auditioni Politiani malebant vacare, quem magis idoneum in docendo iudicabant. Id Chalcõdylem offendit, æmuloq; cedens, Mediolanũ ſe tranſtulit, quo vocabatur à Ludouico Sforcia Principe, qui ſummo ſtudio nitebatur vt Mediolanenſis iuuentus ab aliquo viro Græcè docto inſtitueretur in primis Græcanicæ linguæ rudimentis. Politianus florebat ſumma inter Italos gloria Maximiliano Romanorum Imperatore, & Alexãdro ſexto Borgia Pontifice Maximo, Anno Domini 1493. Mortuus eſt ætate media, annũ agens quadrageſimum quartum: cuius obitu tota Italia ſplendorem ſuum ſe amiſiſſe rata eſt, tam glorioſa nominis

eius

cius fama apud omnes visa est: quem si ad maturam senectutem seruassent Superi, non est dubium quin magnis illis viris, Philosophis antiquis conferri meritò potuisset. Defuncto Petrus Crinitus tale scripsit Epitaphium.

Hic hic viator paululum gradum siste:
Vatem potentis spiritus vides clarum:
Qui mente promptus acri, & arduũ spirans,
Ad summa quaq; & alta consequi suetus,
Is ille ego Angelus Policianus sum.
Fouit benigno me sinu Flora, & illic
In fata cessi, Parthenopæos Reges
Cum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu vale: Et hoc sis meriti memor nostri.

Eius opera, quæ viuens edidit, multa extãt. Epistolarũ lib. duodecim. Miscellaneorũ cẽturia vna. Dialectica summa arte constructa. Prælectio in A. Persiũ. Sylua Nutricia. De poëtica & Poëtis, carmine Heroico. Sylua, cui Rusticus nomen est. Sylua cui titulus Manto. Sylua, cui titulus Ambra. Elegia in Alberiæ mortẽ. Epigrãmata varia Græca & Latina. De

cõiuratione Pacciana contra Laurentiũ & Iulianum Medices, & alia quædam. Ex Græcis in Latinam linguam vertit Herodiani Hiſtoriam. Enchiridiũ Epicteti. Alexandri Aphrodiſij ſuper nonnullis phyſicis dubitationibus, ſolutionum libr. 1. Plutarchi Chæronæi amatorias narrationes. Scripſit & in priora Ariſtotelis Analytica prælectionem, cui titulus Lamia: Et aliam cui titulus Panepiſtemon. Præfationem in Homerum. Epiſtolam ad Laurentium Medicem de Ira. Extant & alia plurima eiusdẽ opera, vt oratio ſuper Statij ſyluis, & Fabio Quintiliano: oratio pro Oratoribus Senenſium ad Alexandrum vt. P. M. oratio pro Oratoribus Florentinorum ad Alphonſum Siciliæ Regem. Alia ad eundem gratulatoria. Item alia pro Prætore, ad dominos ſummum magiſtratum ineuntes: & Magni Athanaſij in Pſalmos opuſculum Latinitate donatum, aliaq; plurima.

IASON MAYNVS MEDIOL. PATR.
Eloquio & legum studio præclarus Jason
Insubrum eximio vexit honore decus.

IASON MAYNVS.

IASON Maynus Patricius Mediolanensis, Eques auratæ militiæ, & Senator Ducalis. Vir corporis habitu elegãti, moribus facilis, in colloquiis familiaribus facetus, & hilaris: in rebus magnis grauis, acutus, & perspicacissimi iudicij: prudens in consilijs: cuius autoritas maxima fuit apud Fridericum, & Maximilianum Imperatores Romanorum: ad quos missus est legatus à Ludouico Sfortia Duce Mediolanensium. Illum nõ solùm Imperatores summa beneuolentia, & honore sæpius exceperunt, sed in eum liberalissimi fuerunt, ornaruntque illum multis luculẽtis muneribus, & priuilegiis, quibus sub Imperij dominio ius & autoritatem obtineret amplissimam. Cum Alexander VI. Borgia Pontifica-

tum Maximũ iniret, Anno Domini 1491. ab omnibus Christianis Principibus legati Romam missi sunt, qui illi gratularentur: cõmunique omnium sentẽtia Maynus, qui eò quoque à Principe Mediolanensi fuerat missus, iudicatus est omniũ eloquentissimus, ac præcipuo honore dignus. In eo enim conuentu coram nouo Pontifice orationem habuit, in qua omnes ingenij vires, & facundiã admirabilem Senatui Apostolico ostendit. Vtque erat excellens Philosophus, in Iurisprudentia nulli suo tempore cessit. Docuit summa auditorum frequentia Pisis, Paduæ, & Papiæ, vbi primum semper locum inter Iuris professores consecutus est, per spatium fere quinquaginta annorum. Mortuus est Papiæ 84. ætatis anno: Christi verò 1519. Maximiliano I. Rom. Imp. & Alexandro VI. P. M. Scripta eius hæc leguntur. Super tit. de act. & institutis lib. 1. Super codice lib. 9. Super ff lib. 50. Scripsit & Epistolas diuersas: & orationes. Et Epithalamium Maximiliani Imp. & Mariæ Blanchæ. Et super totum ius ciuile.

XXVI.

BAPTISTA MANTVANVS
HISPANIOLA
Mantua Baptistæ mirata poëmata vatis,
Isse, ait, Andino carmine texit opus.

BAPTISTA MANTVANVS.

BAPTISTA Mantuanus, Monachus ordinis Carmelitarũ, vir multæ eruditionis, tam in Theologia, quàm in liberaliũ artium cognitione, ideo à ſui ordinis religioſis Princeps, ſiue Antiſtes generalis communi omnium ſuffragio electus eſt. Philoſophus excellens, & ſtudio literarum Hebraicarum clarus, quas Theologis neceſſarias in primis iudicabat. Ac ne videretur aliquid intactũ relinquere, ad Poëſim animum addixit, in qua mirum eſt, quam breui tempore profecerit: in qua facultate dictus eſt iter aperuiſſe poſteris, ad Heliconẽ & Parnaſſum, multis iam retro actis ſæculis ſpretum & inuſitatum. Fueruntque eius ſcripta tanto in precio & æſtimatione, vt Baptiſtæ Hiſpaniolæ (ſic enim cognominabatur, licet Mantuæ natus) opera cum Vergilianis conferrentur. Pius

interim fuit, & sui ordinis obseruantissimus, sobrius in victu, & vitæ continentissimus; quique existimaret piaculum grande, si quis sacrosancta Poësi in impudicis amoribus, & nugis abuteretur: quæ non nisi ad res sacras, sanctorum & bonorum virorum laudes diuinitus literatorum animis inspirata erat. Florebat anno Christi 1494. Maximiliano Imperatore tota Italia celebris. Mortuus est Mantuæ in patria, 81. ætatis suæ anno. Scripsit plurima: ex quibus hæc citantur præcipua. De beata vita ad patrem suum lib. 1. Suburbanũ de Bucol. lib. 1. vita Parthenices lib. 3. de S. Catharina lib 1 De calamitate suorum temporum libr. 1. Panegyricum Roberti, & somnium de eodẽ. Liber Epigrammatum ad Falconem. Consolatio super morte, & de mortis contemptu lib. 11. De expugnatione Granatæ lib. 4. De vita Ludouici Bononiensis lib. 1. vita Alberti Carmelitæ lib. 1. cõtra Poëtas turpiloquos lib. 1. De ortu religionũ lib. 1. Apologia pro fratre Petro lib. 3. Introductoriũ subtilis Scoti lib. 1. Orationũ lib. 1 Carmina diuersa, & Epistolę varię ad diuersos. Et de Patientia prosa oratione.

GROENINGVS RODOLPHVS AGRICOLA
GAZA VT AD ERIDANVM GRÆCAS DEDVCERE MVSAS
AVSVS ES HAS FLAVO CONCILIASSE NICRO.

RVDOLPHVS AGRICOLA.

RVDOLPHVS Agricola natione Frisius, in pago nõ procul à Groninga natus, parentibus honestis, sed tenuioris fortunæ. Is à prima ætate bonarum literarum studio flagrans totum se Musis dedidit: vtque posset maiores suarum lucubrationũ fructus referre, Groninga, vbi prima studiorũ fundamẽta feliciter iecerat, discedens, in Brabantiam ad Louanienſem Academiã se contulit, vt auditione doctissimorum, quibus ea Ciuitas semper fuit celebris, perfectiorem rerum cognitionem sibi adquireret. Neq; eum spes fefellit, nam vt ingenio erat excitato, & indefessi laboris, tantum breui profecit, vt Lauream philosophicam adeptus sit. Vtque posset in Græcis literis promoueri, iam ætate prouectior, cum alijs suæ nationis studiosis iuuenibus, in Italiam profectus est, fama tot claro-

rum virorum illectus. Docebat tunc Ferrariæ vir singularis famæ Theodorus Gaza, sub cuius doctrina & institutione Agricola eo vsque prouectus est eruditionis, vt iam nulli condiscipulorum in cognitione linguę Græcę cedere videretur. His ornatus dotibus, & eruditione locupletatus, in Germaniam redijt, vbi omnium applausu vbique est exceptus: certabatur enim passim, quis Agricolam apud se retineret: Vicerunt tandem Heydelbergenses Academici, qui illũ ad se attraxerunt, amplissimis Palatinorum Principum stipendijs. Ibi igitur disputationum Logicarum Moderator factus, Aristotelicæ Philosophię interpres accuratissimus iudicatus est: Professor non solũ diligens, sed scriptor assiduus. Edidit enim librum de inuentione Dialectica: De vniuersalibus quæstiones aliquot. In orationem pro lege Manilia. Progymnasmata Aphthonij Sophistæ. Præexercitamẽta Prisciani. Orationes aliquot. Epistolas. Paræneſin Isocratis ad Dæmonicum. Luciani Mycillum, & lib. de non credendis delationibus: aliaq; plurima. Mortuus

tuus est Heydelbergæ Anno Christi 1485. Sepultus apud Franciscanos habitu S. Francisci amictus. Eius Epitaphium hoc tantum continet. Deponenti anathema; Relinquenti Benedictio. Super monumento ad parietem affixa est tabula cum hac inscriptione Hermolai Barbari Patriarchæ Aquileiensis.

Inuida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam Fryſij ſpemq́ decusq́ ſoli.
Scilicet hoc viuo meruit Germania laudis,
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Et in superiore monumenti parte, hæc adscripta sunt.

Rodolphi Agricolæ Phryſii memoriæ posuit Viglius Zuichemus.

XXVIII.

HERMOLAVS BARBARVS VENETVS
Adria te genuit. Patriarcham Aquileia notavit
Missa tibi nomen, Roma dedit tumulum.

HERMOLAVS BARBARVS.

ERMOLAVS Barbarus, ex illustri Barbarorum apud Venetos ortus est familia: cuius nobilitas excellẽti doctrina, & rerum publicarũ vsu æquata est. Existimatus enim est sui ſęculi eruditissimus, & eloquentissimus. Et hanc rerum scientiam ornabat corporis vegeti præstantia, decor, & viuacitas in vultu, mores politi, gratia in omni actione, & suauis facilitas in conuersatione, & societate amicorum. Hæ tã insignes animi corporisq; dotes illum gratum reddebant omnibus, potissimum suis Venetis, quorum rempublicam consilijs, & prudẽtia plurimum iuuit, & promouit; primũ semper locum inter suos apud Principem obtinens, qui eius familiaritate, & consuetudine

familiari mirum in modum delectabatur. Hæ virtutes illum commendarunt Alexandro VI. Borgiæ P. M. à quo literis inuitatus est vt Romam veniret, & Pontificis amicitia frueretur. Eò postquã veniſſet, præsentia tanti viri famã de eo sparsam auxit: charus fuit Pontifici, charus toti Apostolico Senatui, charus omnibus extitit: neq; mirum: Gloria enim erat Nobilitatis Venetæ, & sui sæculi splendor. Vt igitur tantis animi dotib. aliquis tribueretur honos, Alexander illum creauit Patriarcham Aquileiensem, adprobantibus hanc electionem omnib. Cardinalib. & Ecclesiæ Præsulib. apud quos aliquandiu magna cũ laude, & admiratione versatus erat. Sed nõ multo post Romæ, contagio pestis sæuiente, è vita sublatus est, ad collem hortulorũ quò secesserat: sepultusq; ad portam Flaminiam (quæ est porta Populi) Anno Domini 1494. Illi tale Epitaphium positum est.

Barbariẽ Hermoleos Latio qui depulit omnẽ,
Barbarus hic situs est: vtraq; lingua gemit.
Vrbs Venetũ vitam, mortẽ dedit inclyta Roma.
Non potuit nasci, nobiliusue mori.

Antequam moreretur factus erat Patriarcha & Archiepiſcopus Aquileienſis, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

Tot tantisq; dignitatibus, honoribus, & facultatibus locupletatus, non deſijt tamen in tam variarum curarum, & occupationũ fluctibus, aliquas horas ſurripere, quas Muſis tribueret, & dulciorib. ſtudijs impenderet. Non enim ſibi ſoli natum ſe eſſe credidit, ſed poſteritati, cuius commodis & vtilitati conſulere pulchrum eſſe iudicauit. Quod vt præſtaret, indeſinentibus lucubrationibus, & indefatigato labore ſcripſit plurima, quæ ad hodiernũ diem Reipublicæ literariæ magno cum fructu communicantur, vt ſunt: Caſtigationes in Plinium. Liber contra barbaros Philoſophos. Liber de cœlibatu. Quæſtiones Geometricæ lib. 1. Conuenientia Aſtronomiæ & Medicinæ lib. 1. Compendium Galeni, lib. 1. lib. de præceptis conſcribendæ Hiſtoriæ ad Sabellicum. Rhetorica Ariſtotelis. Dialectica vniuerſa. Interpretatio Dioſcoridis. Tractatus de fide Catholica Patriarchæ Conſtantinopolitani con-

tra Turcas, quem Latinum fecit. Plutarchi Isis & Osiris. Præfationes in Paraphrasim Physices Themistij, in libros Aristotelis. Castigationes in Pomponium Melam. Præter exactã in Philosophicis cognitionem Poëta fuit tersus, grauis & lepidus. Scripsit carmine de re vxoria. Et versuum de varijs tractatibus plusquam duodecim millia. Extant & illius orationes plurimæ, & epistolæ: & infinita opuscula, de quibus expressè tractant Gesnerus, & qui Biliothecas collegerunt.

XXIX.

CONC. DOMI. IO. PICVS MIRANDVLAE COMES
Roma tua quondam stupuit virtute, tuaque
Doctrina, Et tersi floribus eloquij.

IOAN. PICVS MIRANDVLA.

IOANNES Picus, Mirandulę Dominus & Cõcordiæ Comes, ab Italis Phœnix cognominatus, quòd præter ſuæ gentis illuſtria ſtemmata, antiqu ã familiæ nobilitatẽ, vir fuit omnibus corporis animique dotibus excultiſſimus: Princeps formoſus, comis, facetus, morumque integritate & gratia omnes ad amicitiam, & ſui admirationem pelliciens. Doctrinæ enim erat admirandæ, & eloquentiæ facũdiæque primariæ: in diſputationibus ſubtili ingenio, & perſpicaciſſimæ prudentiæ. Exactè tenebat linguas Græcam, Latinam, Hebræã, Chaldaicam & Arabicam. Vtque erat excelſi ſpiritus, ingenioque ad maxima quæque euecto, ardore iuuenili impulſus Romam venit, vbi concluſiones nongentas, in omni ſcientiarum

tiarum genere disputãdas proposuit; quarum quingentæ sunt in Philosophia veterum, Mathematica, Cabala & Magia. In quib. inuictũ se, & admirabilem omnibus præstitit, cũ omnibus tanto ingenij acumine, tanta facundia, tanta gratia respõderit, vt de omnibus tryumphum retulerit. Eius opera hæc sunt. Heptaplus de opere sex dierum Geneseos. Tractatus de Ente & Vno. Oratio de hominis dignitate. De Christi regno, & vanitate huius mundi. Commentaria in Psalmos. De Phantasia lib. 1. De vanitate Astrologiæ, & de diuinationibus quæ per eam fiunt. Mortuus est Florentiæ 33. annos natus. Anno Christi 1483. (quo Carolus octauus Galliæ rex Neapolim ingressus est) Sepultus est ibidem, in templo S. Marci. Eius tumulis adscriptum est.

D. M. S. Ioannes iacet hic Mirandula: cætera norunt & Tagus & Ganges, forsan & Antipodes. Obijt Anno Salutis M. CCCC. LXXXIX. VIXIT ANNOS XXXII. Hieronymus Beniuenius, ne disiunctus post mortem locus ossa separaret, quorum animos in vita

in vita coniunxit amor, hac humo ſuppoſita poni curauit. Obijt Anno M.D.XXXXII. Vixit Annos LXXXIX. Menſ. VI.

Ioannes Frãciſcus Picus Mirãdula, Galeoti Pici filius, Græcè & Latinè doctiſſimus: is Ioãnis Pici patrui inſtitutus exemplo, omnem operam nauauit, vt aliquam perfectionem in rerum cognitione obtineret: in qua nulli ſui ſæculi erudito cedere viſus eſt: ſcripſit enim per ſe plurima: & quæ patruus imperfecta reliquerat, ea collegit, & abſoluta publicauit. Ipſe autem ſcripſit libros nouem de rerũ prænotione. De veritate religionis, contra ſuperſtitioſas vanitates. De morte Chriſti & propria cogitanda lib. 3. De ſtudio diuinæ & humanæ Pliloſophiæ libr. 2. De diuini amoris imaginatione. Scripſit & vitam Ioannis Pici patrui ſui. Defenſionem opuſculi de Ente & Vno à patruo conſcripti. In ſermonem admonitorium gentium Iuſtini Martyris. Declarationem capitis, in Chriſto Pater, & Chriſtus in nobis: quod à Gratiano ponitur in Decret. de conſ. diſt. 2. Stauroſticum poêma Heroicũ,

de myſterijs dominicæ crucis. De fide, & ordine credendi theoremata ad Iulium II. P.M. Epiſtolarum libros 4. Hiſtoriam ſuorum temporum vniuerſam. Librum de Prouidentia. De Dialectica ad filium lib. 5. Hymnos carmine Hexametro. Dialogum de ſerena conſciẽtia. Tranſtulit ex Græco in ſermonem Latinũ Theophraſti librum de igne. Examen vanitatis doctrinæ Gentium, & veritatis Chriſtianæ diſciplinæ. De appetitu primæ materiæ, de elemẽtis, de imitatione ſtyli, ad Petrum Bembum. Et de immortalitate animæ. Hæc & alia plurima leguntur opera huius Ioannis Franciſci Pici, qui tandem cum Alberto filio immaniter cæſus eſt à Galeotio fratris filio. Habuit pro ſymbolo & emblemate S. Franciſci effigiẽ, cum inſcriptione AMORIS MIRACVLVM. quo oſtẽderet amicos eo affectu erga ſe inuicem eſſe debere, vt communicent cũ omnibus paſſionibus amicorum: & hoc ſymbolum acceperat à Patruo Ioanne Pico: quod & ſculpi aureis ducatis quos cuderunt, vterque voluit.

MARCVS ANTONIVS COCCIVS SABELLICVS.
Instruxit Cumas Anien, tibi laurea Roma
Concessa est, tumulos Adria mœsta dedit

M. ANT. COCCIVS SABELLIC.

MARCVS Antonius Coccius natus est in villa Varronis, via Valeria, ad Anienem Fluuium, qui ex Trebianorum montibus ortũ ducens, in Tyberim supra Romam illabitur. Coccij pater fuit faber ferrarius, homo plebeius, & sua arte victitans, facultatibus nõ admodum magnis: quas tamen lubentissimè impendit, vt filius liberaliter institueretur, quẽ mira ingenij promptitudine, & discendi cupiditate ferri animaduertebat. Puer breui temporis spatio tantum in bonis literis promotus est, vt adhuc impubes Tibur se contulit, ibique iuuentutem in schola publica instituit summa felicitate, simulq; alios docendo seipsum instruebat in omnium artium liberalium scientia: inquibus tantos fecit progressus, vt à literatorum

ratorum collegio Romam sit accersitus Pomponij Læti solicitatione, qui eo tempore primum locum Romæ inter eruditos obtinebat. Is Coccium obtulit sodalitio doctorum, qui illum solemni ceremonia, & cõmuni omniũ consensu sacra Laurea in Quirinali coronarunt, illiq; Sabellici nomen indiderunt. Moris enim erat, vt qui Laurea Romæ coronaretur, nomen mutaret. Sabellici fama excitus Venetorum Senatus (qui semper doctos amauit) illum ad se Roma euocauit, vt publicas scholas moderaretur, constituto illi trecentorum ciquinorum aureorum stipendio. Vbi postquam aliquot annis summo omnium applausu docuisset, & à Bessarione Cardinali Niceno, & Patriarcha Cõstantinopolitano Bibliothecæ (quam libris ex Græcia in Italiam comportatis instructissimam Venetijs erexerat) præfectus esset, iam senex in amorem nescio cuius scorti illectus, tandiu turpi Veneri, cui assuetus erat à iuuentute, operam dedit, donec morbo Gallico lethaliter afflictus, magno suo, omniumq; dolore extinctus est Anno ætatis

tatis ferè ſeptuageſimo: Chriſti verò 1507. vnde de eo quidam ſcriptum reliquit:

In venere incerta tamen hic contabuit, atq́;
Maluit Italicus Gallica fata pati.

Conditus eſt ſepulchro quod ſibi fabricarat: cum hac inſcriptione.

Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas,
Scribentem capit hac Coccion vrna breuis.

M. Ant. Coccius Sabellicus viuus ſibi F.

Illius opera elegantiſſima & eruditione plena hæc extant: Hiſtoria de geſtis Venetorũ libris 33. Rapſodiæ hiſtoricæ Enneades vndecim. Exemplorum Ethnicorum & Chriſtianorum per omnes gentes factis dictiſuè inſignium libri 10. Epiſtolarum familiarium lib. 12. Orationes 12. De ſitu vrbis Venetæ libr. 3. De Venetis magiſtratibus lib. 1. De Prætoris officio lib. 1. De officijs Scribæ lib. 1. Genethliacũ vrbis Venetæ: De apparatu eiusdem. De vetuſtate Aquileiæ. De ortu & vetuſtate Vincentię.

De

De tumultu Italiæ. De luctu Coriolani. De munitione & cæde Sontiaca. De incendio Carnico. De Barione cymba. De origine Hũni vel Vtini. De rerum artiumq; inuentorib. De laudibus Deiparæ virginis Elegiæ 13. De reparatione linguæ Latinæ lib. 2. Annotationes in Plinium, Liuium, Valerium Maximũ, Lucanum, Papinium & Catullum, quæ priores dicuntur. Item posteriores in Plinium, Ciceronem, Lucanum, & Argonautica Flacci, & interpretatio Paraphrastica in Suetonium Tranquillum.

XXXI.

HIERONYMVS SAVONAROLA FERRARIENSIS.
Desine Alexandri verbis perstringere mores,
Qui libertatem reprimet igne tuam.

HIERONY. SAVONAROLA.

IERONYMVS Sauonarola Ferrariæ ad Eridanum natus, inter Dominicanos, quorum ordinē ſequebatur, & habitum ſumpſerat, Prædicator acerrimi ingenij, ſummæ doctrinæ & eruditionis. Vir auſteræ vitæ, & morum ſanctimonia omnibus admirandus: vehemens in reprehendendis vitijs, eloquentiſſimus in concionibus: tanta vi dicendi, & facundia pollebat, vt quòvellet animos auditorum perſuaſos flecteret. Ideo quoties ad populum verba haberet è ſuggeſtu, tantus ad illum audiendū cōfluxus erat, vt ampliſſima templa multitudinem capere non poſſent. In eo maximè incumbens, vt religionem incuria Pontificum neglectam reſtauraret, & repurgaret ab igno-

rantia multorum, qui instruendæ plebi præfecti erant. Cumq; propterea miraculo esset omnib. & vbique celebri exciperetur applausu, multam sæpius dicendi libertatem vsurpauit, non sine vitæ discrimine, & Pontificũ Ecclesiasticorum inuidia. Neque tantum sacras literas tractabat, verumetiam Politicis se immiscebat, consilijs Principum communicans, & suadens liberè quæ bona, quę honesta, & salutaria videbantur, nemini parcens, quoties reprehensione opus esset. Hæc licentia, & dicendi Parrhisia illi tandem obfuit. Prædixisse enim fertur Florentinis multo rerum successu tumentibus, & seditionibus, factionibusq; intestinis inter se dissidentibus, breui illis instare libertatis suæ subuersionem. Cumque in Alexandrum VI. P. M. liberiùs inueheretur, & eius mores amarulentiùs perstringeret, captus est Florentiæ, & in vincula coniectus, Pontificisque iussu, autoritate publica primò ad palum alligatus & strangulatus, tandem cũ duob. socijs crematus est, Anno ætatis 55. mense 8. Christi verò 1498. 10. Kal. Iunij. Scripta

hæc

hęc reliquit. Quadrageſimale lib. 1. Super Pſalmos & Prophetas. Compendium totius Philoſophiæ tam naturalis, quàm moralis. Opus de diuiſione, ordine, & vtilitate omniũ ſcientiarum. Triumphum Crucis: Commentarios in Alcoranũ, quod omni ratione carere probat. Et prophetiam, in qua multa de hoc noſtro ſæculo, & regnorum commotione prædixit.

IOANNES IOVIANVS PONTANVS
Littora Parthenopes dum tu Pontane tenebas,
Illic Cassalides sedem habuere Deæ.

IOAN. IOVIAN. PONTAN.

IOANNES Iouianus Pōtanus, Ponte Caſtellano (quod eſt oppidum Vmbriæ Ceretanis proximū) natus eſt, patre non ignobili, & mediocris fortunæ. Is à prima ætate bonis diſciplinis eruditus, nulli ſui ſæculi Poêtæ, aut Oratori, ſcribendo, vel docēdo ceſſit. Propter inſignem doctrinā, morumque præſtantiam Neapolin vocatus eſt, vt curam inſtitutionis ſuſciperet Alphonſi Iunioris Regis Aragonum: Factus eſt & Epiſtolarum magiſter, ſuffectus in locum Antonii Panhormitæ. His dignitatibus auctus, mirum non eſt ſi multas opes accumulauerit, ſibique palatiū ſumptu, & ornamentis inſigne conſtruxerit, quod adhuc hodie extat: ſed infeſtatione geniorū malorum deſertum. Scripta eius hæc ſunt. De obedien-

bedientia lib.5. De fortitudine lib. 2. De liberalitate, de beneficentia, de magnificentia, splendore,& cultu,de conniuentia. De Principis educatione,& eius institutione.De Prudentia lib. 5. De magnanimitate lib.2. De fortuna lib 3.De immanitate. Dialogorum libri aliquot. De sermone lib.6. De bello Neapolitano lib.6. Centum Ptolomæi sententiæ factæ Latinæ,& commentarijs illustratæ. Poëmata plurima. De stellis lib.5.Meteororum lib.1.De hortis Hesperidum lib.6. Lepidina siue pastorales Pompæ.7. Bucolica Melissæus, Mæon, & Alcon. Amorum lib. 2. De amore coniugali lib.3. Tumulorum lib. 2.De diuinis laudibus lib.1. Hendecasyllaborum siue Baiarum lib. 2. Eridani lib. 2. Iambici, & Lyrici versus, & alia poematia. Mortuus est annum agens 77. Anno Salutis 1503. Sepultus Neapoli proprio sacello quod condiderat : in conditorio quod eius, Ariadnes vxoris, & liberorum ossa complectitur. Cui inscriptum est. Ab hoc Pōtanorū cōditorio nemas ne fœmina ex agnatione arceatur. Pontani Epitaphium tale est.

Viuus

Viuus domum hanc mihi paraui, in qua quiescerem mortuus. Noli obsecro iniuriam facere mortuo, viuēs quam fecerim nemini. Sum etenim Ioan. Iouianus Pontanus, quem amauerunt bonæ Musæ, suspexerunt viri probi, honestauerunt Reges Domini. Scis iam quis sim, aut qui potiùs fuerim. Ego verò te hospes noscere in tenebris nequeo, sed te ipsum vt noscas rogo. Vale.

Totum sacellum circumquaque marmoreis tabulis cum inscriptionibus elegantibus est exornatum, & extrinsecus doctissimis sententijs insignitum.

RAPHAEL MAFFEVS VOLATER: RANVS.
In Volaterrano recubat qui monte sepultus
Maffeus urbana clarvit historia.

RAPHAEL MAFFEVS.

RAPHAEL Maffeus Volaterris Hetruriæ vrbe ad Cæcinnã fluuium sita originẽ ducens, gente nobili, & autoritate apud suos clara. Hic Raphael primos ætatis annos studijs bonarum disciplinarum impendens, in virũ doctissimum euasit; quod eius scripta satis testantur. Vir fuit habitu corporis venusto, facundia elegante, & morum grauitate vitæque sanctimonia clarus Eius opera præcipua hæc citantur. Commentariorũ Vrbanorum libri triginta octo. Oeconomicum Xenophontis ab eo interpretatum. De Principis & Ducis officio lib. 1. Monodia seu funebris oratio Gregorii Nazianzeni latinitate donata. Instituta Monachorum. Præcopij Cæsarienſis de bello Persico & Vandalico lib. 2. De fide Christiana lib. 10. Basilij oratiunculæ decem. Et alia quædam ex Græcis Theo-

 logis,

logis, quæ in latinum ſermonem tranſtulit, magna cum laude, & reconditæ eruditionis adprobatione. Vixit inter ſuos quietè, & præcipua admiratione virtutis. Mortuus eſt Volaterris in patria, annos natus pluſquam ſeptuaginta: Chriſtianæ verò ſalutis Mileſimo quingenteſimo vigeſimo primo. Conditus eſt in templo Sancti Lini prope ſummum altare, arcu marmoreo, vbi eius imago ſaxea incumbens arcæ, quæ oſſa continet, poſita eſt cum hac inſcriptione. SIC ITVR AD ASTRA: Arca marmorea qua corpus clauditur, laureã in modum coronæ triumphalis implexã habet, vbi ſculptum eſt. ΑΠΝΟΟΣ ΠΝΟΩ. Et infra tale legitur Epitaphium.

CHRISTO SERVATORI.

RAPHAELI MAFFEO GERARDI MAFFEI F. DOCTRINA PIETATE AC SANCTITATE CVM QVOVIS ANTIQVO COMPARANDO, VT EIVS INDICANT OPERA EGREGIA, TESTANTVR MIRACVLA. VIXIT ANNOS LXX. MENS.

MENS. XI. DI. VIII. OBIIT ANNO SALVTIS M.D. XXI. VIII. KAL. FEBRVAR. MARIVS MAFFEVS EPISCOPVS CAVALICENSIS FRATRI SANCTISSIMO P.

PHILIPPVS DECIVS MEDIOLANENSIS. I.C.
Sanctarum intercant numerosa volumina legum
Hic, per quem subito restituantur erit.

PHILIPPVS DECIVS.

PHILIPPVS Decius natus Mediolani, clariſſima & opulentiſſima Galliæ Ciſalpinæ vrbe: Parentes eius ex Dexio originem ducebãt, familia honeſta, & locuplete. Philippus à pueritia literis optimè inſtitutus, Iuriſprudentiæ cognitionem tantam acquiſiuit, vt tota Italia ſuo tẽpore clariſſimus omniũ haberetur, ab omnib. ferè Academijs expetitus, & propoſito luculento ſtipendio accerſitus, quod ad mille & quingentos aureos nummos peruenit annuatim pro lectura. Tanta fuit eius autoritas, tanta æſtimatio, vt amictus aurea toga ſuggeſtum aſcenderit, ſtipatus infinita auditorum frequentia, qui Præceptorem titulo excellentiſſimi Iuriſconſulti ornabant. Illius opera ſunt hæc præcipua: Conſiliorũ libri quatuor. Cõmentaria

mentaria de regulis Iuris. Lecturæ ſuper Decretalia & ſuper ff. & codice: & alia quædam, quæ à Legum ſtudioſis magna cũ vtilitate leguntur. Poſtquam in omnibus Italiæ Academijs Ius publicè ſumma cum gloria docuiſſet, Senas tandem ſe cõtulit, vbi mortuus eſt, Anno Chriſtianæ ſalutis M. D. x x x v. Eius corpus conditũ eſt in campi ſancti periſtylio, ſub arcu magnifico, ſepulchro elaboratiſſimi marmoris, vbi & eius videtur ſedens ſtatua. Epitaphium tale legitur.

PHILIPPVS DECIVS SIVE DE DEXIO MEDIOLAN. IVRISCONSVLTVS CELEBRI FAMA NOTISSIMVS, CVM PRIMVM LOCVM STVDII IN IVRE CANONICO VEL CIVILI TENVISSET PISIS, SIENÆ, FLORENTIÆ, PADVÆ, PAPIÆ, ET DEMVM VLTRA MONTES IN GALLIA, REVOCATVS IN ITALIAM AB EXCELSA FLORENTINORVM REPVBLICA, POSTEA QVAM STIPENDIVM MILLE QVINGENTORVM AVREORVM IN AVRO PRO LECTVRA CONSECVTVS FVISSET, DE MORTE COGITANS HOC SEPVLCHRVM SIBI FABRICARI CVRAVIT NE POSTERIS CREDERET.

ACTIVS SINCERVS NEAPOLITANVS.
Nomen habent Acci per te Sebethides undæ,
Vt per Sebethi flumina nomen habes.

ACCIVS SINCERVS.

ACCIVS Sincerus Neapoli natus, patre equestris ordinis, viro claro inter suos & luculentarum facultatum. Hic Accius prius vocabatur Iacobus Sannazarius, quod nomẽ gentilitium mutauit iã adultior. Is propter doctrinam, facundiam insignem, morumq; facilitatem Ferrando Aragonum Regi factus est amicus, & inter charíores aulicos, & familiares receptus, cuius amicitiam singulari fide & constantia coluit quam diu vixit. Expulsum enim Neapoli Regem in Galliam vsque exulem secutus est: vnde reuersus ab eo multis honoribus, & beneficijs affectus est. At inter aulica munia, seriasq; occupationes, non desijt bonas sequi Musas, & doctissimis lucubrationibus augere, & promouere Rempublicam literariam: potissimũ illo insigni Poẽmate De partu virginis: in quo

de perfectione poëseos videtur cum antiquis decertare. Composuit & Lamentationem de morte Christi, & Eglogas aliquot, & Epigrammatum perfectissimorum librum. Cassandrã habuit coniugem eximiæ castitatis & eruditionis mulierem. Mortuus est annum agens septuagesimum secundum: Sepultus est ad Mergillenem villam amœnissimã, quam habuit ad radices montis Pausylippi ad littus marinum, in templo S. Mariæ, quod ipse condiderat & dedicarat. Monumentũ est sumptuosissimum ex marmore candido: in cuius elatiore parte Accij est statua pectoretenus, cum hac inscriptione: ACCIVS SINCERVS: Subtus est ingens Pyla marmorea, qua defuncti corpus clauditur: ad sinistram est Apollinis statua, ad læuam Mineruæ. Inferiori parte legitur Epitaphium hoc breue.

DA SACRO CINERI FLORES. HIC
ILLE MARONI
SINCERVS MVSA PROXIMVS
VT TVMVLO.
VIXIT ANN. LXXII. M. I. D. XXIX.

Egref-

Egreſſis templum Sanctæ Virginis apparet ſemita inter lauros, & amœnas arbores, per quam conſcenditur ad ſepulchrum Vergilij, quod non multo ſpatio diſtat medio Pauſylippo. Hodie tantùm moles rudis, & aſpera extrinſecus: Pars interior eſt camerata forma rotunda, in medio conſpicitur ingens baſis, ſuper qua ante aliquot annos repoſita erat vrna lapidea in qua claudebantur Vergilij cineres: ſed factum eſt, vt ab aliquibus ſcholaſticis furto ſublati ſint, dum nemo ſacrilegium tantum timeret: Hæc cauſa fuit cur ex marmoribus, quibus monumentum erat ornatum, extrueretur templum inferius, dedicatum S. Mariæ, à Pied'di grotta dictum: ad Baſim quę cineres Poêtæ continebat ſcriptum erat.

Mantua me genuit: Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Hodie & hæc inſcriptio ſublata eſt: ſed ſuper oſtio monumenti alia tabula marmorea ſuſpenſa eſt: in qua hæc leguntur.

Qui cineres? tumuli hic veſtigia: conditur olim
Ille hoc qui cecinit paſcua, rura, duces.

Totus Pausylippus ingenti & alta spelunca patet, per quam ex Neapoli Romam itur Puteolos, & Baias; Hunc ingentē & horrendum antri peruij meatum asserunt factum fuisse à Vergilio arte Magica, sed fabulam esse verisimile est: aut fuisse alium Vergilium diuersum à Marone Andino. De hoc Mago Vergilio proditur historia à recentioribus, illum adamasse scortum Romanum, quo vt potiretur corbi se imponi permisit, vt ad fenestram attolleretur cubiculi meretriculæ, quæ illū appensum funi spectandum proposuit populo. Hac petulantia irritatus Vergilius, arte magica effeciſſe dicitur, vt ignis totaurbe extingueretur: & vt flammę copiosæ scintillarēt ex pudendis mulierculæ, ex quibus oportuit vnūquemque ignem accendere: & locus vbi hæc gesta dicuntur adhuc hodie ostenditur ad arcum Titi Vespasiani, ad dextram descendentibus ad Amphitheatrum: sed ridicula est fabula & commentum.

HVLDRICHVS ZASIVS CONSTANTIENSIS. IC.
Brisgoum patriæ præfers Huldriche Tribunum,
Iura ubi cum summa publica laude doces.

HVLRICHVS ZASIVS.

VLRICHVS, vel Vdalrichus Zasius patriã habuit Cõstantiam vrbem celebrem Sueuiæ, ad lacum Potamicum sitam, quẽ Rhenus medium præterlabitur: olim Gannodurum teste Ptolom. libr. 2. cap. 9. Parentes Zasij honesti fuerunt ciues, & fortunæ mediocris. Is natus est Anno Domini 1461. Ab ineũte ætate Philosophiæ, & studijs bonarum disciplinarum operam dedit. Postea Iurisprudentiæ summa diligentia incumbens, in ea perfectissimã cognitionem acquisiuit. Friburgum tandem ab Academicis Cõstantia vocatus, stipendioque non vulgari proposito, Curiæ præfectus est, & in Doctorum Iuris collegium communibus totius Academiæ suffragijs adoptatus, cuius

postea decus, & ornamentum eximium extitit, leges docendo, & scribendo, præsertim de instaurando Iure municipali. Eius opera sunt hæc. Intellectus singulares. Commentaria in legem 2. De Origine Iuris. Tractatus substitutionum. De infantibus Iudæorum baptizandis. Apologia contra Eccium. Item contra Stellam Aurelienſem, Epitome in vſus Feudales. Summa in digestum vetus. Lecturæ in aliquot titulos primæ partis Digesti veteris. In titulum, si certum petatur in 2. parte. Super tit. de Actionibus in Institutis. Consiliorum libri duo: & alia quædam, quæ imperfecta reliquit.

Diem postremum obijt Friburgi Brisgoiæ, vbi sepultus est, in summo templo, monumẽto satis splendido, cum hoc Epitaphio.

HVLRICHO ZAZIO IVRISCONSVLTO SVORVM TEMPORVM TOTO ORBE CELEBERR. HVIVS ACADEMIÆ ORNAMENTO SINGVLARI FRIBVRGEN. IN RESTAVRANDO IVRE MVNICIPALI IAM OLIM STRENVAM OPERAM NAVANTI ALIISQ: MVLTIS NOMINIBVS DE SE BENEMERITO MAGISTRATVS OFFICII MEMOR FIERI IVSSIT.

CONCESSIT NATVRÆ ANNO SALVTIS M. D. XXXV. VIII. KAL. DECEMB.

DAMVS · DESIDERIVS · ERASMVS · ROTERO
Qui te nō norit Musas quoque nescius ar
In sanctamo sedem nanq; Helicone tenes.

DESIDERIVS ERASMVS.

DESIDERIVS Eraſmus natus Roterodami vrbe Batauorum non ignobili, Anno Chriſtianæ ſalutis 1465. Prima ſtudiorum rudimẽta poſuit Dauentriæ, Præceptore Alexandro Hegio viro literatiſſimo, & iuuentutis moderatore celeberrimo: Sub cuius diſciplina cum ſatis profeciſſet, Louanium Brabantiæ Academiam petiuit: ibiq; in omni bonarum diſciplinarum exercitio animum inſtruens, magnam de ſe omnibus expectationem concitauit. Vnde Cantabrigiã, & Bononiam ſe conferens, illic quoq; diligentem in ſtudijs nauauit operam. Tandem ad ſacram Theologiam animũ applicans, Doctoratus gradum Taurini ſuſcepit. Cum autem adhuc eſſet iuuenis, habitum monachalem ſumpſerat, vt literis poſſet in cœnobij receſſi-

bus liberius vacare. In ea tamen profeſſione non diu perſeuerauit, quæ ad inſtitutum vitæ, quam ſibi proponebat, non admodum facere videretur: cum ſtatuiſſet omnes Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ Academias perluſtrare. Factum igitur breui eſt, vt ob inæſtimabilem in omni liberalium artium eruditionem, & admirabilem vim ingenij, facundiæq; vbertatẽ, & morum ſuauitatem, eius fama per omnes Chriſtiani orbis regiones celebris vagaretur: propoſitisq; vberib. & honorificis ſtipendijs vndiq; vocaretur ad docendum, à prȩcipuis Academijs Europæ, à Pontificibus Romanis, à Regibus, & Principibus: Sed ſui iuris eſſe maluit: & priuatis ſtudijs incumbere, vacans ſcriptioni, quæ poſſet poſteritati vtilis & fructuoſa haberi. Ferunt illi à Pontifice oblatam Cardinalitij ſtatus dignitatem, quam cum recuſaſſet, cum miraculo à cæteris Patribus Eccleſiaſticis exceptum fuiſſe hunc contemptum, vocatumq; Eraſmum ſapientem beſtiam, qui tantam dignitatẽ, tamq; ſpecioſos, & fructuoſos titulos imprudenter reſpueret, quos alij ſũmis

mis votis,& laborib. ambirent, & quouis precio ſibi compararent. Cumq; multis in locis maiorem vitæ partem charus omnib. exegiſſet, vrgente iam ſenio Baſileam Rauracorum vrbem ſe recepit,ad Rhenum ſitã, loci amœnitate captus,& ſodalitio multorum doctiſſimorum hominum, quibus ea ciuitas ſemper ornata eſt. Academiæ illius Rector factus, cũ ſcholaſticorum inordinatam licentiam,& petulantiam refrænare tentaret,ab ijs malè exceptum ferunt: His irritatum contumelijs fama eſt diſcerpſiſſe,& cremaſſe priuilegiorum partem illius Academiæ (quæ cum Magontina totius Germaniæ creditur antiquiſſima) vt his deperditis ſtudioſæ iuuentutis proteruia retũderetur:quod aliquando me audiuiſſe recordor à piæ memoriæ Præceptore meo Hugone Babelo,qui tunc temporis Baſileæ Eraſmo viuebat amicus & familiaris.

Eius opera ferè infinita ſeruantur, multis in locis impreſſa,ſed maximè in Frobenniana Typographia Baſileę,quę omnia nouem Tomis complexus eſt. In primo Tomo continẽtur

tur hęc. De copia rerũ ac verborũ lib. 2. Theodori Gazæ, Grammatices Græcæ lib. 2. latinè redditi. De conſtructione octo partium orationis lib. 1. Ex Luciano verſa opuſcula. De ratione ſcribendi Epiſtolas lib. 1. Declamatio de pueris liberaliter inſtituendis. De ratione & ordine ſtudiorum. Declamatio in laudẽ Medicinæ. Declamationes Libanij ab eo verſæ. Parabolæ ſiue ſimilia. Colloquiorũ familiariũ liber. De recta Latini Græciq; ſermonis pronunciatione. Ciceronianus Dialogus. De ciuilitate morum. Galeni Paraphraſtæ Menodoti exhortatio ad artiũ ſtudia Latinè reddita. Galeni de optimo docendi genere. Epitome in libros elegantiarum Laurentij Vallæ. Euripidis Hecuba & Iphigenia. Commentaria in Nucem Ouidij, & Epigrammata varia.

In ſecundo Tomo continentur Adagiorum Chiliades quatuor.

In tertio Epiſtolæ, & præfationes in diuerſos autores.

In quarto habentur quæ ad morum inſtitutionem pertinent ex Plutarcho verſa. De deſcri-

descriptione adulatoris & amici. Quomodo vtilitas capiatur ex inimicis. De tuenda bona valetudine. Vtrum grauiores sunt animi morbi vel corporis. De cupiditate diuitiarum. De cohibenda iracundia. De curiositate. De vitiosa verecundia. Apophthegmatum libr. 8. Encomium Moriæ. Panegyricus gratulatorius ad Philippum Maximilani Imp. filium. Institutio Principis Christiani. Isocratis libellus de regno administrãdo. De clamatio de morte. Quærela pacis profligatæ. Xenophontis Tyrannus. De senectutis incommodis.

In quinto Tomo hæc collecta sunt. Enchiridiũ militis Christiani. Oratio de virtute amplectenda. Methodus compẽdio perueniendi ad verã Theologiam. Paraclesis ad Christianæ Philosophiæ studiũ. Enarratio in primũ Psalmum Dauidis. Commẽtarius in secundũ. Paraphrasis in tertium. Concio in quartum. Enarratio in 14. & 22. Cõsultatio de bello Turcis inferendo. De amabili concordia Ecclesię. Enarratio in Psalmos 28. 33. 38. & 85. Concio de magnitudine misericordiarum Dei. Virginis,

& Martyris comparatio. Concio de puero Iesu. Epistola consolatoria ad virgines sacras. Christiani matrimonij institutio. Vidua Christiana. Ecclesiastæ lib. 4. Catechismus. Precationũ liber. Pæan & obsecratio ad beatam Mariã. De cõtemptu mundi epistola. Disputatio de pauore Christi instante mortis supplicio. Præparatio ad mortẽ. Odæ & Hymni. Institutũ hominis Christiani, & Odiliæ epitaphiũ.

In sexto Tomo est nouum testamentum cum annotationibus.

In septimo Paraphrases in vniuersum nouum Testamentum.

In octauo Theologica ex Græcis versa ex Chrysostomo, Athanasio, Origene, Basilio & alijs.

In nono hæc leguntur, Apologiæ ad M. Dorpium, ad Iacobum Fabrum, ad Iacobum Latomum, ad Iacobum Briardum, ad Iacobũ Lopim Stunicam. Aduersus Sanctium Carãzam. Nicolaũ Ecmondanũ. Prologus, Elenchus, Diuinationes, Supputationes in Natalẽ Bedam. Apologiæ aduersus Petrum Sutoris

Car-

Carthusiani. Declarationes aduersus censuras Theologorũ Parisiensiũ. Responsio ad Petri Curtij defensionẽ. Apologia aduersus monachos quosdam Hispanos. De ciborũ delectu, siue de hominũ cõstitutionib. De libero arbitrio. Hyperaspistæ Diatribes lib. 2. Epistolæ aduersus Pseudoeuãgelistas. Ad Eleutheriũ. Ad Grunnium. Ad fratres Germaniæ inferioris. Spongia aduersus aspergines Hutteni. Pentalab. aduersus febricitantẽ quendam. Aduersus mendaciũ. Antibarbarorum lib. Et aduersus impudentes quosdã graculos. Longum esset enumerare minora opuscula, & emẽdationes, castigationesq; autorũ, tam Græcorum quàm Latinorum, quos Erasmus à barbarie, & mendis scriptorum repurgauit: de quib. omnibus exactè tractauit Gesnerus in sua Bibliotheca.

Lepida de Erasmo & Rege Angliæ Henrico VIII. Narratio.

LIBET hoc loco subijcere lepidã narrationem, de ter maximo illo literarum præside Erasmo, quam retule-

runt viri primarij eius regni. Rebus enim à D. Martino Luthero per Germaniam in causa religionis passim motis, ob scripta quædam & conciones, quas communis patriæ & libertatis Germanæ asserendæ gratia contra Leonis X. bullas Italicas indulgentiarum ille habuerat publice, quæ sane non vulgus subditorum modò, sed & nobiles pariter & Principes, ipsosque adeò Reges & summos Monarchas totius Christianissimi suspensos, & conturbatos habebant, vt qui euentus tantorum moliminum prospicere satis non possent. Inter cæteros verò HENRICVS eius nominis octauus, Rex Angliæ, diligenter & accurate super ea re inquirens, non tantum per suum regnum viros eruditione, & pietate insignes audiebat, sed & exteros accersebat, quorum iudicia exploraret. Eodem tempore Des. Erasmi Roterodami existimatio per totum terrarũ orbem erat celebratissima, tam ob literarum humaniorũ studia repurgata, quàm sacrę paginæ dexteriorem intelligentiam; Literis itaq; ad Erasmum scriptis hortatur eũ, vt ad se veniat, qui

tametsi

tametsi itineris difficultatem, aliasque incõmoditates causaretur, Rex tamen non destitit, donec eũ ad se pertraheret, erat enim grauissimum negocium cuius nomine cum eo conferre desiderabat. Posteaquam Erasmus in Angliam adueniisset, Rex de præsentia eius certior magna solennitate eum excipit, deinde in priuatum colloquium eum assumens, multa de religionis controuersia vltro citroq; ad aliquot dies cum eo confert, quo colloquio finito, vbi iã Erasmus reditũ ad suos in Hollandiam vrgeret, veniâ quidem à Regia Maiestate sed satis difficulter impetrata, digreditur, numeratis ipsi in honorarium 50. aureis Anglicis: Sed is dimissus, vbi ad viculum Graue sintam veniisset, (vicus ille maritimus est & naues conscensuris vel egressuris primus patens.) ab Ordinarijs regijs inspectoribus in illum ex officio inquisitum est, (non tantum enim naues illi, sed & personas singulas, cuiuscunque vel sexus vel ordinis fuerint tanta cura perquirũt, vt membratim etiam omnia perscrutentur, si quid pecuniæ latentis penes eos

inueniant, vbi plus, quam quod viatico ſufficiat repertum eſt, ſuperfluum Fiſco regio adiudicant, tantum ſolummodo relinquentes, quantum ad iter cuiuis inſtitutum commode abſoluendum ſatis eſſe videtur. Quare bonus ille noſter Eraſmus eò vbi veniſſet, loci & moris ignarus, in eoſdem inquiſitores incidit, qui Anglicos 50. aureos repertos Fiſco regio addicunt, monetâ reliquâ, quã pro viatico ſecum habebat ipſi relicta. Eraſmus rei inſperatæ euentu ſuſpenſus, totque iam Angelottis minutus (vt qui aliâs ingenio eſſet ſic ſatis auaro) à quibuſdam admonetur, vt retro iret ad Regiam Maieſtatem inſtitueret, & apud eandem de damno paſſo conquereretur, is ergô niſi pecuniæ iacturam pati vellet, vt pareret neceſſe habuit, quantumuis antea abitum feſtinarit: quem vbi reuerſum Rex in aula ſua cõſpexit, quaſi rerum omnium ignarus, & rei nouitate motus, ſic facete eum alloquitur: Ecquid rei nouæ Eraſme hoc eſt, an in Hollandiã reuerſus nondum abijſti: Ille omnia vt euenerant ordine Regi ſubtriſtior exponens, de pecunię, ſuæ

ſuæ iactura Regem edocet, quibus Rex auditis in riſum ſolutus & fideliter ab officiatis ſuis factum prædicans, bono animo eſſe Eraſmũ iubet, addẽs ſimul, ſi ſecus à ſuis viſitatoribus actum foret, ſuam Maieſtatem in illos omnes laqueo animaduerſuram fuiſſe. Ita ad triduũ circiter denuò inter aulicos verſatus Eraſmus, tandem alijs quinquaginta Angelottis numeratis optimâ veniâ & ſalui conductus literis datis honorificentiſſime dimittitur: dantur etiã literæ ad Viſitatores, in quibus iubebantur priores 50. confiſcatos Anglicos Eraſmo reſtituere. Quare iam ſumma duplicata, id eſt centum Anglicorum aureorum (faciunt autem ſinguli aurei anglici duos Rhenenſes aureos, ſiue in argentea noſtra moneta tres florentinos vulgò ſic appellatos.) Eraſmus auctior ad Hollandos ſuos reuertitur, relinquens aulicis Anglis non illepidam ſui recordationem.

Mortuus eſt Eraſmus Baſileæ annum agẽs ſeptuageſimum. Anni Chriſti 1536. Eidibus Iulij.

Eius

Eius corpus conditum est in summo templo, funus procurãtibus Nic. Episcopio, Hier. Frobennio, & Bonifacio Amerbachio, amicis & heredibus testamento relictis.

Super tumba sepulchri humi iacẽte inscriptum est. DES. ERASMVM ROTERODAMVM AMICI SVB HOC SAXO CONDEBANT IIII. EIDVS IVLIAS. ANNO M. D. XXXVI.

Tholo templi ingenti marmore hæc excisa sunt.

CHRISTO SERVATORI. S.

DES. ERASMO ROTERODAMO VIRO OMNIBVS MODIS MAXIMO: CVIVS INCOMPARABILEM IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE ERVDITIONEM PARI CONIVNCTAM PRVDENTIA POSTERI ET ADMIRABVNTVR ET PRÆDICABVNT, BONIFACIVS AMERBACHIVS, HIERONYMVS FROBENNIVS, NIC. EPISCOPIVS HEREDES ET NVNCVPATI SVPREMÆ VOLVNTATIS VINDICES PATRONO OPTIMO NON MEMORIÆ

[QVAM IMMORTALEM SIBI EDITIS LVCVBRATIONIBVS COMPARAVIT IS TANTISPER DVM ORBIS TERRARVM STABIT SVPERFVTVRO AC ERVDITIS VBIQ. GENTIVM COLLOCVTVRO] SED CORPORIS MORTALIS QVOD RECONDITVM EST ERGO HOC SAXVM POSVERVNT. MORTVVS EST IIII. EIDVS IVLIAS IAM SEPTVAGENARIVS. ANNO A CHRISTO NATO M. D. XXXVI.

CARD. PETRVS BEMBVS VENETVS
Seu Veneti pars sis, Romanu sive Senatus,
Accipies magnum laude utriusq; decus.

PETRVS BEMBVS.

PETRVS Bembus Patricius Venetus, præter illustrẽ sui generis nobilitatem, illi accessit & doctrina singularis, facundia admiranda, & summa vitæ integritas. Quæ virtutes illum patriæ, totique Italiæ commendarunt: Romano potissimum Pontifici: qui vt eius nomẽ gloriæ splendidioris titulo ornaret, & augustius redderet, Romanę Ecclesiæ, Senatusque Apostolici Cardinalem creauit: Amplissimisque beneficijs cumulauit. Is Ciceronianæ eloquẽtiæ sedulus admirator, & imitator extitit; Orator, Poëta, & Historicus suo tẽpore nulli secundus, antiquis certè conferendus. Is plurimos ingenij felicis partus monimenta posteritati reliquit: inter quæ hæc habentur præcipua.

cipua. De imitatione sermonis lib.1. Epistolarum lib.1. Historiarum Venetarum lib.12. Scripsit & carmine poêma venustissimum Benacum. De Aetna, & de culice. Peruenit vsque ad annum septuagesimum septimum. Morti concessit Anno salutis 1547. 15. Cal. Februarij. Eius Epitaphium tale legitur.

O TVSCÆ O LATIÆ MVSÆ DECVS OPTIME VATES ET VENETÆ SCRIPTOR NOBILIS HISTORIÆ. FLENS TIBI PVRPVREOS FLORES SPARGITQ. RECENTEM ADRIACVM PELAGVS TYBRIS ET ARNVS AQVAM. ET NYMPHÆ INSCRIBVNT TVMVLO HOC MISERABILE CARMEN. MORS RAPVIT BEMBVM DELICIAS HOMINVM.

PAVLVS IOVIVS NOVOCOMENSIS.
Diligeris Cyrnæ, coleris quoque, Paule, Leoni.
Doctus eras medicus, doctus es historicus.

PAVLVS IOVIVS.

PAVLVS Iouius Nouocomenſis vir multæ eloquentiæ, ingenijq; acerrimi, Medicinam primò exercuit nõ ſine felici ſucceſſu. Scripſitque librum de piſcibus Romanis. Poſtea ad Hiſtoriam ſcribendam animum adplicans, aliquot Pontificum Principumq; Italię, maximè Vicecomitum Mediolani vitas edidit. Elogiaq;, & Icones illuſtrium virorum, qui tam armis quàm literis clari euaſerunt, ſcriptis ſuis adiunxit, quorum ipſe imagines ad viuum expreſſas Comi in ſuo Muſæo ſeruabat. Scripſit hiſtoriã ſui temporis, de rebus quæ quinquaginta annis geſtæ erant in Italia, Hungaria, Aſia, Africa, alijsq; regionib. In qua deſcriptione mirum eſt quantum laudis & famæ promeritus ſit apud poſteritatem. Licet eius hiſtoriæ libri ſex primæ decadis magna

gna reipublicę literariæ iactura perierint, dum Roma capta est ab Hispanis, duce Carolo Borbonio. Expugnata enim vrbe, hostes mœnib. excepti omnia prædati sunt: Iouius paulo ante suam historiam manu scriptam cum centū circiter libris argenti elaborati, & alijs aliquot precioſioribus ſuę ſupellectilis rebus recondiderat in sacrario Mineruæ, vt tutius illic asseruarentur. Sed auaricia militū nihil intentatū relinquente, postquā templum Mineruæ ingressi Erreras Cordubensis, & Antonius Gamboas Nauarræus Centuriones, tormentis & verberibus æditum adegerunt, quæ abscondita essent in suo templo palam faceret. Tum cum cæteris sacris Iouij scrinium in medium productum est: quo aperto Erreras vasa argētea ad se recepit, libris, quos inutilē sarcinam iudicabat, neglectis. At Gamboas cui plus iudicij fuit, contemptos libros accepit: Erant enim iam emendati, & membranis transcripti, concinneq; simul compacti, exceptis sex libris primæ Decadis, qui chartaceis libris mandati erant. Membraneos Gamboas abstulit, nil curans

rans chartaceos(qui postea sordido ministerio adplicati, discerptique perierunt) cumq; cognouisset autorem sese recepisse in molem Adriani,quę Castellum sancti Angeli hodie nũcupatur,vbi Clemens VII. Põtifex Maximus fuga elabens cum multis Cardinalibus,& Ecclesiæ patrib. se occluserat, Iouium per interlocutores adijt, & cum eo egit de redemptione suorum scriptorum. Is metu iacturæ irreparabilis tantorum laborum & lucubrationum,non desijt importunus esse Pontifici,donec precio à Gamboa suos reciperet libros: quos Hispanus restituit,accepto aliquo beneficio ecclesiastico in patria,cuius donationem expedito diplomate confirmauit. Tantum enim Iouius autoritatis apud Pontificem adeptus erat, vt ab eo Episcopatu Nucerino donatus esset, præmio certè tanta virtute & doctrina digno. Neque minore gratia apud magnum illum Cosmum,Florentinorum Principem valebat,cum quo aliquandiu vixit Consiliarius, & aulæ sectator. Tandem Florentiæ mortuus est annum ætatis agens sexagesimũ

nonum M. VII. D. XXII. post Christum natum 1552. tertio eidus Decembris. Eius corpus cõditum est in templo S. Laurentij: cuius monumento inscriptio hæc addita est literis tantum pictis, nam sepulchrum nullis ferè ornamentis illustre erectum est.

HIC SITVS EST IOVIVS ROMANÆ GLORIA LINGVÆ:
PAR CVI NON SCRIPTO NON PATAVINVS ERAT.

In parte superiore ad parietem scriptum est.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI HISTORIARVM SCRIPTORIS CELEBERRIMI HIC DEPOSITA SVNT OSSA DONEC EXIMIA EIVS VIRTVTE DIGNVM ERIGATVR SEPVLCHRVM. VIX. ANN. LXIX. MEN. VII. D. XXIII. OB. III. ID. DECEMB. M. D. LII.

XL.

MARCVS HIERONYM. VIDA CREMONENSIS.
Vergilio gaudent Thebana mœnia Mantus;
Vt vicina suo est læta Cremona Vida.

MARC. HIERON. VIDAS.

MArcvs Hieronymus Vidas patriam habuit Cremonã, Galliæ Cisalpinæ vrbem percelebrem, nõ procul à Mãtua dissitam. Huius parentes nõ fuerunt ignobiles, neque tenuium facultatum: qui filium bonis disciplinis institui summa diligentia curauerũt, adhibitis ad eius institutionem doctis, & solertibus præceptoribus. Cumque esset in Philosophiæ studio optimè eruditus tam in patria, quàm Mantuæ, Patauium missus est, vbi studiorum cursum absoluit: & Bononiæ, vbi sacris literis incumbens, & Poësi, tantum in ijs profecit, vt proximè ad Vergilianam excellentiam illum peruenisse omnes iudicent: cuius rei insigne testimonium præbet insigne illud, & nunquã satis

laudatum opus Christiados: Poêma procul dubio, quod tam materia, quàm cõpositione, & stylo debet meritò præferri cæteris omnibus scriptis, quæ à nostri sæculi poêtis melioribus tradita sunt: continet enim vitã Christi ac gesta libris 6. Scripsit & eadem felicitate De arte Poêtica lib. 3. De Bombycum cura & vsu lib. 2. De ludo scachorum libr. 1. Hymnos, Odas, Bucolica, & aliquot Epistolas, quæ omnia hodie non sine autoris admiratione, & æterna laude à bonarum literarum studiosis leguntur. Cuius virtutem & doctrinam vt aliquo honoris titulo, & commoditate compẽsaret Pontifex Maximus, Episcopatum Albæ illi detulit, donationem adprobantibus communi suffragio omnibus Ecclesiasticis Patribus. Mortuus est anno ætatis LIX. M. V. D. X. Florebat in Italia celebris, anno Christianæ salutis M. D. X X X.

BEATVS RHENANVS SELESTADI
PHI. ENSIS
Te Venerande senex Musæ, te Phœbus amavit
Vita tibi exacta, quæ fine labe fuit.

BEATVS RHENANVS.

BEATVS vel Bildius Rhenanus natus est Selestadij Alsatiæ oppido celebri, Anno Domini 1485. Primis adolescentiæ annis in patria vsus est pręceptoribus viris doctissimis Cratone Vdēhemio, & Hieronymo Gebuilero, qui suo tempore primam laudē Selestadij obtinebant in instituenda iuuentute; ad quod munus à Senatu propositis vtrique optimis stipendijs delecti erant. Beatus autem iam in Philosophia, & bonis literis eruditior redditus, Lutetiam Parisiorum profectus est, vt in celeberrima, & florētissima totius Europæ Academia perfectam scientiarū cognitionem adipisceretur. Vbi postquàm aliquot annis degisset, voti cōpos factus, Basilæam Rauracorum vrbem petiuit; tunc fama immortali, & per totum orbem sparsa florebat magnus ille Erasmus Roterodamus Ger-

maniæ Phœnix : cui ſtatim familiaris & amicus intimus redditus eſt. Conciliant enim facilè doctos viros arcto amicitiæ vinculo bonæ Muſæ. Beatus à multis Academijs,& Principibus propoſita magna mercede, vocatus eſt ; quia tamen munia publica detrectaret,& literarium otium amaret , vitam priuatã maluit ſequi,& domi viuere ex fortunis , quas ex annuo patrimonij reditu quotannis colligebat,vt liberiùs ſcriptioni vacare poſſet.Scripſit enim obſeruationes in Plinium.Rerum Germanicarum lib. 3. Annotationes in Liuium; Et Corn. Tacitum. Velleij Paterculi librum reſtituit.In Tertullianum argumẽta & annotationes. Præfatus eſt in opera Senecæ, in Theophraſtum Aeneæ , in omnia fere opera Eraſmi,cuius vitam & mortẽ deſcripſit. Duas Gregorij Nazianzeni Epiſtolas vertit , & alia quædam.

Mortuus eſt Argẽtinæ dũ rediret ex Thermis Martijs, Anno Chriſti 1547. Eius corpus deportatum Seleſtadium , & monumento, quod paratum illi fuerat,illatum. Vixit annos 62. menſes 4.

ANDREAS NAVAGERIVS VENETVS HISTORI.
Historice Orator celeberrime, docte Poeta,
Gallica pullato rege sepulchra subis.

LVCAS GAVRICVS.

LVCAS Gauricus Fani Picentinorum vrbe, non procul à Senogallia, & Ancona ad mare Adriaticum sita, natus est: Parentes eius inter optimates patriæ censebãtur. Fratrẽ habuit Pomponium, vterque optimis disciplinis optimè ab ineunte ætate institutus est. Lucas Venetijs florebat inter eruditos Anno Christi 1550. Romam cum esset profectus, & Pauli III. Farnesij amicitiã sibi conciliasset, propter eruditionem, Episcopatu donatus est. Alij Lucam hunc Neapolitanum fuisse asseuerant. Scripsit plurima: Alfonsi Regis Castellæ, & Elisabethæ Reginæ tabulas astronomicas castigauit: & tabulas Io. de Monte Regio, & Io. Blanchini, Laurentijq; Bonim contri libros de reb. cœlestibus. Fecit & annotationes in Ptolomæi Almagestum, & Ephimerides. Scripsit & Isagogem in totã

ferè Astrologiam. Tractatus de ventis. De Aëris qualitate ex Theophilo. De peragrationibus Lunæ, ex Hephestionis Thebani iudicijs. De conceptu natorum, & septimestri partu, ex Valente Antiocheno. Castigauit librum Homar de natiuitatibus. Et Abrahami Iudæi de ijsdem. Fecit & tractatum Astrologicum. Et Calendarium Ecclesiasticum 2000. annorum interstitio duraturum. Et de miraculosa ecclipsi, quæ in morte Christi contigit. Mortuus est Romæ Anno Domini 1537. Sepultus est in Capitolio, in superiori parte graduum Aræ cœli, prope Flauij Blondi monumentum. Eius epitaphium tale est. D. O. M. S. LVCÆ GAVRICO GEOPHONEN. EPO. CIVITEN. OBIIT DIE VI. MARTII M. D. LVIII. VIXIT ANN. LXXXII. M. XI. D. XXVII.

Monumento adsculpta sunt eius insignia: sequitur.

D. D. SEBASTIANVS BENEINCASA GEOPHONEN. ET OCTAVIANVS CANIS BONON. HEREDES EX TESTAMENTO B. M. P.

Eius

Eius frater perijt in monte qui Stabijs imminet, ad viam Surrentinam, cum mulierem nobilẽ, cuius amore flagrabat, adire vellet. Eius opera multa extant in Architectura, Phyſionomia, & arte Chymica.

LVCAS GAVRICVS GEOPHONENSIS EP.
Dum cœli arcanos motus et sidera tractas,
Est data Pontificis munere mitra tibi.

ANDREAS NAVAGERIVS.

ANDREAS Nauagerius ex illustri genere Nauageriorum, Venetorum Patritiorum ortum ducens, patriam nobilitatem cumulauit bonarum scientiarum cognitione, in quibus insigniter fuerat educatus, Venetorum instituto, qui nihil priùs ducunt doctrina & eruditione, in quib. laudabili conatu decertant æquales, & eiusdem nobilitatis homines, quantū in illis est, superare. Inde illa prudētia, & Senatus magnificētia: qui propriè sapientes & opulenti dicuntur inter Italię populorum epitheta, à Lælio Cleopasso descripta: sicut Romani põposi & sancti: Neapolitani odoriferi & nobiles. Bononiēses suaues & affectib. indulgentes. Florentini subtiles & cauti. Senenses blandi, & comes: & de reliquis. Nauagerius igitur tantam in Latina lingua puritatē acquisiuit, vt inter primos sui

sæculi Oratores iure numerari possit, maximo in honore in Senatu Veneto semper habitus. Et propter doctrinam, animiq; promptitudinem & facundiam, prudentiamq; in rebus ciuilib. longa experientia, & maturo iudicio cõparatã, Legatus missus est ad Carolum V. Imperatorem, apud quem rebus ex animi sentẽtia perfectis, reuersus Venetias, paulo post à Senatu Legatus in Galliã electus, venit ad Franciscum Valesium Regem: Is vt Musarum patronus, & literatorum omnium liberalissimus fautor semper fuit, Nauageriũ humanissimè excepit, & magnificè tractauit, nam in eo singularis decor corporis, augusta facies, oculi honore lepido flagrantes, loquela melliflua, & quicquid gratiarũ Natura fauens homini tribuit, conspiciebantur. His dotib. cumulatum Rex tanta beneuolentia amplexus est, vt sine eius præsentia esse nõ posset. Accidit autem vt Bloesij oppido ad Ligerim sito, vbi aula regia tunc erat, febre correptus diem postremum obiuerit Nauagerius, anno ætatis suæ 47. cuius mortem Rex indignissimè tulit, funusq; pullato

lato habitu cum lacrymis est prosecutus: tantumq; in eius obsequijs & iustis funebribus luctus fuit publici, ac si Gallia magnum aliquod præsidium amisisset. Tantum in se habet momenti præclara virtus, vt etiam in peregrinis hominib. imo etiam in hostib. sit admirabilis. Nemini dubium est, si huic Nauagerio longior vita à Deo opt. max. prorogata esset, quin Venetos omnes autoritate & fama fuerit superaturus. Sed hanc illi fata immatura morte beatitatem præripuerunt. Veneti tamen illi dū viueret, constituto amplissimo stipendio, munus delegarunt scribendæ Historiæ suæ patriæ: in qua tanta orationis facilitate, puritate, & elegantia vsus est, vt Tito Liuio inferior nulla ex parte habeatur; quod lectio ipsa euidenter testatur. Præter historiam de reb. Venetis, scripsit & alia quædam, quæ à literatis cum singulari delectatione leguntur: duas orationes elaboratissimas, & varia poematia, quæ excussa sunt Venetijs per Ioannem Tacuinum. Item aliquot eglogas, & eius obseruationes, & annotationes in omnia Ouidij Nasonis opera.

Erat enim Poëta, Orator, & Hiſtoricus abſolutiſſimus. Vnde non abs re de eo M. Anto. Flaminius hoc elegans epigramma conſcripſit.

Quot Bruma creat albicans pruinas,
Quot tellus Zephyro ſoluta flores,
Quot ſpicæ Libycis calent in agris:
Quot vindemia porrigit racemos:
Quot vaſtis mare fluctuat procellis
Quum naſcens pluuias reportat hœdus:
Quot ceraunia frundibus teguntur:
Quot cœlum facibus micat ſerenum:
Quot ſunt millia multa baſiorum
Quæ dari ſibi poſtulat Catullus:
Quot q́ ſunt atomi Lucretiani,
Tot menſes, bone Naugeri, tot annos
Viuent aureoli tui libelli.

IACOBVS SADOLETVS CARDINALIS.
Docte deum interpres, non ſolum oracula Chriſti,
Sed dictata ſacro verba Helicone canis.

IACOBVS SADOLETVS.

IACOBVS Sadoletus Mutinæ vrbe Italiæ natus est, parentibus nobilibus & locupletibus, primaque autoritate, & gloria inter suos præditis. Hic cum inter Italos fama singularis doctrinæ qua pollebat, celebris esset, à Leone decimo Pontifice Maximo Romam vocatus est, & Episcopatu Carpentoratensi in Gallia donatus est: in cuius administratione cùm aliquot annis integrè, & fideliter sese gessisset, poscentibus omnibus Romani Senatus Patribus, à Clemente septimo in ordinem Cardinalium receptus est, magna totius Collegij Apostolici lætitia, & congratulatione. Scripta reliquit plurima: librum de pueris rectè ac liberaliter instituendis. De laudibus Philoso-

phiæ.

phiæ. De regno Hungariæ à Turcis capto: Homiliam, cum Oratione exhortatoria ad bellum contra Turcas: Commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos lib. 3. Interpretationem aliquot Psalmorũ: Homilię aliquot, & Epistolarum lib. 16. Et duo Poematia, Curtius & Laocoon. Cumq; annum ętatis septuagesimum attigisset, in febrim lapsus, magno omnium bonorum dolore & tristitia, diẽ postremum obijt Romæ, non sine dati veneni suspitione. Quatuor enim hi Cardinales viri docti & boni, P. Bembus, Iac. Sadoletus, Caspar Contarenus, & Cãpegius, properata morte feruntur occubuisse: causam ignorãt multi, nisi quod fortè cũ ijs qui à Romana Religione discordant, aliquam familiaritatem habuisse credantur. Corpus Sadoleti sepultũ est Romæ in templo S. Petri ad vincula, cum hoc Epitaphio.

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO EPISCOPO CARPENTORACTIS. S. R. E. PRESB. CARD. VIRO MORVM GRAVITATE PRVDEN-

TIA

TIA ET VITÆ INTEGRITATE PRÆ-
STANTISSIMO, DOCTRINA ET ELO-
QVENTIA CVM IIS QVOS MIRATA EST
ANTIQVITAS COMPARANDO, PAVLVS
SADOLETVS EPISCOPVS CARPENTOR-
ACTIS ET CAMILLVS SADOLETVS
FRATRVM FILII MOESTISSIMI MVL-
TIS CVM LACRYMIS PATRVO B. M.
PRO TEMPORE POSVERVNT. VIXIT
ANNOS LXX. M. III. D. VI.

PETRVS ARETINVS
HETRVSCVS.
Principibus populi pendunt tributa ab eisdem
Pendi fuerunt quæ tibi principibus

PETRVS ARETINVS.

ETRVS Aretinus, Aretij Hetruriæ vrbe antiquiſſima natus eſt: virmira dicendi copia, & ſuauitate: quod illũ non ſolùm admirabilem, ſed etiam Principibus, propter ſcõmata, & inuectiuas amarulentas, formidabilem reddidit: qui ab eo multis muneribus ſilentiũ redemerunt. Et id cælandum neutiquam voluit. Curauit enim numiſmata cudi, artificio ſummo elaborata, in quorũ parte priore torquato habitu ſculptus eſt, cum hac inſcriptione IL DIVINO ARETINO. à poſteriore parte ſculptus eſt in tribunali ſedens, & ad eius pedes Regum Principumque legati ſubmiſſionem cum muneribus præſtant: cum hoc ſcripto. *J Principi tributati dai popoli, tributano*

tano il ſeruitor loro. Ambitioſa ſanè, & temeraria viri licentia. Illius Satyricam linguã metuens Carolus. V. ROM. IMP. ad illum miſit auream catenam ingentis ponderis, ex auribus catenatim ſimul connexis factam. Idem fecit & Franciſcus Valeſius Gallorũ Rex: ſed eius catena formata erat ex linguis aureis mutuo plexu recurrentibus, & vinculis ſeſe continentibus. Hæc duo munera illum mutum reddiderunt, quatenus ad maledicentiam de duobus illis Regibus attinebat. Reliqui Principes Italiæ illius amarulentiam compeſcuerunt per ſicarios, qui miſerum hominem innumeris ictibus fere confecerunt. Hoc metu perculſus, à maledictis poſtea abſtinuit: calamumque adplicuit ad ſcribendum de Virgine Maria: De ſancta Catharina. Et de rebus ſacris. Circũfertur & liber de omnibus veneris ſchematibus ſub eius nomine: opus dignum quod cremetur cum autore. Illi poſt mortem ſcriptum eſt hoc Epitaphium Italicè.

(:)

QVI

QVI GIACE L'ARETIN AMARO
TOSCO
DEL SEME HVMAN. LA CVI LIN-
GVA TRAFISSE
ET VIVI ET MORTI. D'IDDIO MAL
NON DISSE
ET SI SCVSO CONDIR. I' NOL
CONOSCO.

PETRVS APIANVS BINVITZIVS ASTROLOGVS
QVOD COELOS PANDIS. RADIO QVOD SIDERA PINGIS
GERMANVS MERITO DICERIS ARCHIMEDES.

PETRVS APIANVS.

PETRVS Apianus cognomento Binuicius, Leiſnicę oppido Miſniæ natus eſt parentibus honeſtis. Vir fuit magnoingenij præditus acumine. Qui cum in omni diſciplinarum genere clarus eſſet, peculiari tamen ſtudio totum ætatis tempus Mathematicis impendit: in quibus omnes ſui ſæculi homines longè ſuperauit, Coſmographus ſummus, & Aſtrologus perfectiſſimus: nemo illi par vnquam extitit in Aſtronomicis inſtrumentis excogitandis. Hæc ſtudia illum non ſolum Germanis, qui Mathematica feliciſſimè tractant, admirandum reddiderunt, ſed etiam omnib. exteris: potiſſimum Carolo V. Rom. Imperatori commẽdatiſſimum & chariſſimum effecerunt: qui illum ad ſe accerſiuit Ingolſtadio Boiorũ vrbe, vbi Mathemata docebat

cebat in florenti Academia : eiusq; doctrina delectatus, illũ nobilitate donatum, equestris ordinis titulo insigniuit, multisq; honoribus & beneficijs cumulauit. Cui vt gratus haberetur, insigne illud opus dedicauit, quod Astronomicum Cæsareum vocatur, vel liber Cosmographicus, siue Geographica instructio, cui est adiectus Quadrans vniuersalis. Et instrumentum Astronomicum sub forma folij Populi. Ipse quoq; Apianus, & Bartolomæus Amantius ediderunt insigne volumen inscriptionum antiquarum tota Europa extantiũ. Petrus Apianus vxorem duxit Catharinam Landisutanam, matronã summæ probitatis: ex qua suscepit filios quinque, Philippum, Theodorum, Timotheum, Claudium, & Carolum: & filias duas Coronam, & Reginam. Philippus in Mathematicis à parente doctus Ingolstadij loco patris suffectus est : qui licet ab exteris Academijs sæpius vocatus sit, ad eã professionem publicè suscipiendam, maluit tamen Patriæ prodesse, quod & domum haberet ornatissimam, & patrimonium satis boni pro-

ni prouentus vnde posset commode viuere. Petrus sub finem ætatis difficili, & acuta nephritide miserè vexatus est, supremumq; diem obijt 21. Aprilis, Anno Domini 1555. magno omnium eruditorum dolore, & reiliterariæ dispendio.

PHILOSOPH
HVGO BABELVS
HIROLYTANVS
Te celebrem extollit, linguam quæ edocta Pelasgam
Est schola præceptis Buslidiana tuis.

HVGO BABELVS.

HVGO Babelus natus est Hippolyti, oppido Sequanorum ad confluẽtiã Dubis & Deſſubris. Parentes eius fuerũt Ioannes Babelus, & Ioanna Xanthia mercatores ſatis amplæ fortũæ. Fratrem vnicum Ioannis nomine habuit, ſorores Ioannam, Suſannam, Eſibæam Annã, & Mariam. Hic Hugo omnibus Germaniæ Galliæq; Academijs perluſtratis, perfectam cognitionem linguarum Græcæ, Latinæ, ac Hebraicæ, ſibi comparauit, quas inenarrabili cum fructu iuuentutem inſtruendo publicè profeſſus eſt: Primò Louanij in Collegio Trilingui Buſlidiano, Petro Nannio, Adriano Amerotio, & Gemmæ Friſio, alijsq; eius ſæculi viris doctiſſimis amicitia, & familiaritate iunctus: Quin

& in Anglia multum laudis acquisiuit, nobilium quorundam adolescentium Præceptor constitutus, quos & Papiam, Patauium, & Bononiam deduxit. Louaniumq; reuersus, gratissimum suorum studiorum Musæum, illic aliquot annos scribendo, & docendo se exercuit, Basilæam veniens Erasmum Roterodamum, Beatũ Rhenanum, & Martinum Buccerum, Sigismundumq; Gilenium, & alios amicos habuit, cum quibus, & cum Simone Grinæo de suis studijs communicabat. Instituerat inter cæteros Antonium Perenotũ Atrebatum Antistitem, Nicolai Granuellani Cancellarij Imperij filium, qui postea Cardinalis factus est, & Neapolitani regni Prorex: ab eo Vesuntionem vocatus est, vt curam susciperet cognatorum, Francisci Dachæi, Thorasij, & Georgij Marciq; Granmontanorum, quib. adiuncti sũt & alij plurimi nobiles Burgundi, & Patricij Vesuntini, Ludouicus Malarmæus, Ioan. Montriuellus, Saugeti duo, & alij: quos postquam aliquot annis incredibili cum profectu docuisset, Atrebatensis Episcopi, &

pi,& Franciſci Bonualoti Veſuntini Archepiſcopi iuſſu, iuuenes tres cognatos Heydelbergam (vt linguam Germanicam diſcerent) deduxit, Anno Domini 1548. Vbi biennio apud Iacobum Mycillum vixerunt: & Spiræ ſeſquianno. Sed poſtquam Henricus ſecundus Galliarũ Rex Metas occupaſſet, Chriſtina Chriſtierni Daniæ Regis filia, & Franc. Lotharingiæ ducis vxor, capto filio Carolo à Gallis, Auſtraſiaque extorris, Heydelbergam venit ad Dorotheam ſororem, Friderici ſecũdi Palatini Electoris coniugem: vbi iuuenes cũ præceptore inuenit, & abduxit in Belgicũ Anno 1551. Tum primum ad veteres amicos reuerſus, cõſtituit Hugo Louanio non ampliùs excedere: At poſtquam Dachæum & Granmõtanos aliquot annis inſtituiſſet, Laurentij Dacholij vſus hoſpitio, illic è vita deceſſit iã nonagenarius, Anno Chriſti 1556. omnem vitæ ætatem otio literario occupans cælebs, ſanctimonia vitæ, integritate, & continentia clarus. Corpus eius elatum eſt aperta facie, & comis coronatis, celebri ſcholaſticorũ ſequentium

multitudine. Nihil post mortem reliquit, præter bibliothecam instructissimam, cuius heredem me reliquit. Scripserat doctissimos tractatus in Theologia: Grammaticam, Dialecticam, & Rhetoricam, cũ venustissimis Poëmatibus ad Franc. Richardotum Præsulem Atrebatum, Gilbertum cognatum, & alios: quæ omnia perierunt cum meis libris, in ea vastatione, qua Lotharingi Montbelgardensem comitatum depopulati sunt.

Epitaphium Babelo tale scriptum est.

Defunctum Musa tristes luxere Babelum;
Luxit & abrupta tristis Apollo lyra.
Doctior hoc nemo vixit: sive ille Pelasgo,
Sive Palæstino solueret ora sono.
Tullius audierat Latio sermone loquentem:
Hic, video, eloquio non mihi cedet, ait.
Dum caneret cithara, modulos miratus Arion,
Threicias, dixit; vincit hic harmonias.
Doctorem non abs re igitur confecta dolore
Ereptum pubes hunc studiosa gemit.

VIXIT

VIXIT ANNOS XCII. MENS. III. DIES. V. O. ANN. SAL. M. D. LVI. CAL. SEPTEMB. IANVS IACOBVS BOISSARDVS AVVNCVLO ET PRÆCEPTORI B. M. P.

Inter eius opera, Poema reliquit doctiſſimum de miſerijs eorum, qui inſtitutioni iuuentutis ſeſe applicant: qui niſi maturè ſuis rebus proſpiciant, vt plurimùm ab ingratis diſcipulis mercedem laboribus indignam referunt; inuidia plerumque eorum, qui Nobiliũ aulas ſequuntur: Et hunc tractatũ dedicauerat Richardoto Epiſcopo Atrebatenſi, cuius amicitiã multis ante annis conciliauerat, tam communicatione ſtudiorum, quàm quòd illum hoſpitio diu acceperat Ferraria reuerſum, quò è Gallia ſe receperat, propter ſuſpicionem doctrinæ, in quam incurrerat apud Sorbonẽſes doctores, cum Blaſio Piperio, qui poſtea Abbas Montis Benedicti in Burgundico Comitatu ad Lycum factus eſt. Vterque vir doctus, & laude dignus: ſed qui propter certas cauſas

cauſas habitum Auguſtinianum abiecerant. Vtrumque tamen Antonius Perenotus Archiepiſcopus Mechlinienſis, & Cardinalis factus, vt in amicitia retineret & officio, Richardotum donauit Epiſcopatu Atrebatenſi, & Piperium Præfectura Cœnobij Mõtis Benedicti. Vterque doctiſſimus, & familiaritate doctiſſimi Præſulis Mæcenatis dignus extitit: à quo cõmodis huius vitæ locupletati, totam vitam ſtudijs impenderunt.

POETA CLEMENS MAROTVS CHAORSIVS
Antè rudis, per te, cantamus instante Thaleia,
Edidicit dulces Gallica lingua modos.

CLEMENS MAROTVS.

CLEMENS Marotus ex vrbe Cahors, (quæ ſita eſt in Cadurcis Narbonenſi Galliæ finitimis, hodie Quercij dicũtur) Parentes illius, honeſta ciuium conditione orti. Is propter ingenij facilitatem ad Poêſim naturali inclinatione ferebatur: adeoque promptus, vt qui eius ſcripta legunt, nihil in ijs requirãt, præter exactiorem Græcæ, Latinęque linguæ cognitionem, in quibus non ſatis inſtructus erat. Quamuis Metamorphoſis Ouidij ab eo verſa, & Pſalmi Dauidis ſatis indicant, non vulgari doctrina fuiſſe præditum. Priores enim Poêtæ Galli, qui Rhytmis rudibus & incultis ſcribebant, à Maroto ad politiorem ſcribendi modum deducti ſunt. Acceptiſſimus igitur factus eſt ma-

gno illi Galliarum Regi Franciſco Valeſio, cui fuit à Cubiculo. Mirificè enim Princeps literatis delectabatur, & maximè Maroti prõptitudine, & loquendi Parrhiſia, ſuauitateq; conuerſationis : propter quæ multis beneficijs à Rege affectus eſt, donec Lutheranæ opinionis ſuſpicionem apud Theologos Sorbonenſes incurrens, è Gallia coactus eſt ſe recipere in Pedemontium, deinde Ferrariam : vnde Turinum reuerſus, ibidem è vita deceſſit Anno Chriſti 15. ætatis ſuæ ſexageſimo.

Hunc Petrus Ronſardus, & Romanum à Roſa, Ioannemque Mariũ Quiſquilias Poêticas vocat (vt Vergilius de Ennio dicere ſolebat) ex quibus tanquam ex ſcoria repurgata, precioſa auri puri fragmenta colligebat. Res enim certa eſt, ſi Marotus cum recentioribus conferatur, lõgè eum differre à præſtantia tot excellentium poêtarum, quibus hodie Gallia exornata eſt : Inter quos præcipui dicuntur Ioannes Auratus reliquorum Princeps. Petrus Ronſardus. Ianantonius Bayfius, Ioachimus Bellaius, Remigius Bellaqueus, Pontus Tyar-

Tyardus, Stephanus Iodelius, Robertus Garnerus, & alij. Qui licet ad illustrandam Gallicam linguam scripserint, arte tamen, & scribendi methodo nulli antiquorum cedunt.

IANVS ATONITVS BAILIVS POETA
Oedipodionis reddentur moenia Thebis,
Si tibi vocali pollice tacta chelis.

IANANTONIVS BAYFIVS.

IANANTONIVS Bayfius familia Bayfiorũ apud Andegauenſes adprimè nobili ortũ duxit, ex qua præclari ſemper pace, militiaq; viri prouenerunt, & qui inter doctiſſimos Gallię numerari meritò poſſunt. Eius pater fuit Lazarus Bayfius, Supplicatoriorum libellorũ magiſter in Senatu Pariſino, vir ſumma doctrina, integritate vitæ, & morum generoſitate cultiſſimus: Is vt de Muſis optimè meritus erat, exiſtimauit ad ſuã laudem plurimũ pertinere, ſi Reipublicæ, & Patriæ liberos educaret, paternarum virtutum, ſicut & Patrimonij heredes. Filium igitur Ianantonium, quem animaduertebat ingenij promptitudine & docilitate valentem, à primis ætatis annis curauit optimis literis inſtitui. Quod vt fieret cõmodiùs, delegit illi Præceptorem in omni litera-

tura

tura doctissimum Ioannem Auratum; à quo cum Petro Ronsardo in domo paterna eruditus est, tam Græcis quàm Latinis studijs. Postquam ex Ephœbis excessisset, factusq; esset sui iuris, omne studiũ ad Poësim applicuit: fuitq; inter præcipuos Poëtas Gallos, qui Vernaculũ sermonem illustrarunt, & repurgarunt ab illa crassa ignorantiæ fece, qua tot sęculis anteactis situ & sordib. obruta squalebat. Omnem elegantiam ex Callimacho, Pindaro, & Horatio simul collegit, & ad vsum linguæ Gallicę artificiosissima methodo adhibuit: Primus etenim dicitur, qui rudes & incultos rithmos, ad suauem harmoniam, & Prosodiam pedibus mensurisq; constantẽ reduxit. Huius ingenio mirum in modum delectatus est Carolus IX: sed potissimũ eius frater Henricus III. qui illũ epistolarum, & regij scrinij Magistrũ fecit, atq; inter eos, qui cubiculo præsunt, numerari voluit, addito splendidissimo stipendio: vt ex tãti viri familiaritate, & quotidiana consuetudine, eum fructum reciperet, qui Principibus generosis à viris literatis præstari solet.

INDEX

INDEX EORVM, QVI LIBRO hoc continentur: cum distichis singulorum iconibus subijciendis.

1 Ioannes Posthius Archiater Palatinus.
Te Posthi, te Phœbus amat, seu carmina pangas,
Paonia veniat seu tibi ab arte decus.

2 Christophorus Columbus Genuensis.
Astrorum consultus, & ipso nobilis ausu
Christophorus tali fronte Columbus erat.

3 Azo Bononiensis. I. C.
Fons olim hic legum dictus, Iurisq; Lucerna:
Actæus cuius fluxit ab ore fauus.

4 Ægidius de Foscararis. I. C.
Hoc visa est olim doctore Bononia felix:
Difluxit lacrymis quo moriente Themis.

5 Albertus Bolstadius Magnus.
Mitra pedumq; oneri tibi quondam, Alberte,
Dulcius est Sophiæ delituisse sinu.

6 Dantes Aligerus.
Qui potuit patria magnum Florentia Dantẽ
Pellere: nempe illo digna Rauenna fuit.

7 Franciſcus Petrarcha.

Italia ſcriptis viuit celeberrimus omni,
Qui nunc Euganeo colle Petrarcha iacet.

8 Bartolus de Saxo ferrato.

Iura doces populos æqua libranda bilance,
Intricata tuis, Bartole, temporibus.

9 Flauius Blondus Foroliuienſis.

Flauius ecce iterũ, Roma inſtaurata, triũphos,
Atque antiqua tibi nomina reſtituit.

10 Ioannes Boccatius de Cetaldo.

Qui maria & terras ſcripſit, Boccat. iſte eſt:
Inſignis variæ conditor hiſtoriæ.

11 Baldus Peruſinus.

Eſſe Peruſino poſſes cum in monte celebris,
Miror Ticini te voluiſſe mori.

12 Petrus Ancharanus.

Attica Cecropio plaudet dum turba Soloni:
Laudibus ad cœlum hunc euehet Italia.

13 Ioan. Franciſcus Poggius Florent.

Fellearmata tibi manus eſt: multoq; cachinno
Tinxiſti, & nudo ſcripta proterua ſale.

Lauren-

14 Laurentius Valla Romanus.

Defuncto Valla Musis plorantibus inquit
Phœbus, hic antistes nostri Heliconis erit.

15 Ioannes de Imola.

Pro benè digesto si gloria Iure sequatur,
Accedet titulis ciuica palma tuis.

16 Paulus de Castro I.C.

Vt fauere tibi Sena, tua floret ad Arnum
Gloria: Medoaco nec minor extat honos.

17 Leonardus Aretinus.

Gotthorũ historiam scribentẽ & Punica bella
Aonijs olim hunc pauit Apollo fauis.

18 Hieronymus Fracastorius.

Cretheidocui arcanas Amythaonis artes,
Barbiton Aonijs & resonare modis.

19 Georgius Trapezuntius.

Dum seruit Getico Regi subiecta Trapezus,
In Latio viues commodiore loco.

20 Bessario Patriarcha Constantinop.

Frons tibi Threicia fuit olim cincta tiara;
Nunc te Romana purpura veste tegit.

7 Franciſcus Petrarcha.

Italia ſcriptis viuit celeberrimus omni,
Qui nunc Euganeo colle Petrarcha iacet.

8 Bartolus de Saxo ferrato.

Iura doces populos æqua libranda bilance,
Intricata tuis, Bartole, temporibus.

9 Flauius Blondus Foroliuienſis.

Flauius ecce iterũ, Roma inſtaurata, triũphos,
Atque antiqua tibi nomina reſtituit.

10 Ioannes Boccatius de Cetaldo.

Qui maria & terras ſcripſit, Boccat. iſte eſt:
Inſignis variæ conditor hiſtoriæ.

11 Baldus Peruſinus.

Eſſe Peruſino poſſes cum in monte celebris,
Miror Ticini te voluiſſe mori.

12 Petrus Ancharanus.

Attica Cecropio plaudet dum turba Soloni:
Laudibus ad cœlum hunc euehet Italia.

13 Ioan. Franciſcus Poggius Florent.

Fellearmata tibi manus eſt: multoq; cachinno
Tinxiſti, & nudo ſcripta proterua ſale.

Lauren-

14 Laurentius Valla Romanus.

Defuncto Valla Musis plorantibus inquit
Phœbus, hic antistes nostri Heliconis erit.

15 Ioannes de Imola.

Pro benè digesto si gloria Iure sequatur,
Accedet titulis ciuica palma tuis.

16 Paulus de Castro I.C.

Vt fauere tibi Sena, tua floret ad Arnum
Gloria: Medoaco nec minor extat honos.

17 Leonardus Aretinus.

Gotthorũ historiam scribentẽ & Punica bella
Aonijs olim hunc pauit Apollo fauis.

18 Hieronymus Fracastorius.

Crethei docui arcanas Amythaonis artes,
Barbiton Aonijs & resonare modis.

19 Georgius Trapezuntius.

Dum seruit Getico Regi subiecta Trapezus,
In Latio viues commodiore loco.

20 Bessario Patriarcha Constantinop.

Frons tibi Threicia fuit olim cincta tiara;
Nunc te Romana purpura veste tegit.

21 Theodorus Gaza Theſſalonicenſis.

Theſſala liquiſti regna, & Peneia Tempe,
Ad Tyberim quoniam gloria maior erit.

22 Alexander Tartagnus. I. C.

Felſina Tartagno leges & iura docente
Floruit, æterno nomen honore gerens.

23 Bartolomeus Platina Cremonenſis.

Pontificum vitas vero quid profuit ore
Dicere, ſi infeſti ſunt tibi Pontifices?

24 Marſilius Ficinus Florentinus.

Interpres diui vigilans Ficine Platonis,
Ingenio eſt illi lux data quanta tuo.

25 Angelus Politianus.

Cecropias iterum repetat Demetrius oras:
Angelus, Oenotrij quo doceantur, erit.

26 Iaſon Maynus Mediolanenſis.

Eloquio, & Legum ſtudio præclarus Iaſon
Inſubrum eximio vexit honore decus.

27 Baptiſta Hiſpaniola Mantuanus.

Mantua Baptiſtæ mirata poëmata vatis,
Iſte, ait, Andino carmine texit opus.

28 Rudolphus

28 Rudolphus Agricola Frisius. (sat
Gaza vt ad Eridanũ Græcas deducere Mu-
Ausus es has flauo conciliare Nicro?

29 Hermolaus Barbarus Venetus.
Adria te genuit: Patriarch. Aquileia vocauit:
Musa tibi nomen, Roma dedit tumulum.

30 Ioannes Picus Mirandula.
Roma tua quondam stupuit virtute, tuaque
Doctrina, & terſi floribus eloquij.

31 Marcus Antonius Sabellicus.
Instruxit cunas Anien: tibi laurea Romæ
Conceſſa est: tumulos Adria constituit.

32 Hieronymus Sauonarola.
Desine Alexandri verbis perstringere mores,
Qui libertatem reprimet igne tuam.

33 Ioan. Iouianus Pontanus.
Littora Parthenopes dũ tu, Pontane, tenebas,
Illic Castilides ſedem habuere Deæ.

34 Raphael Maffeus Volaterranus.
In Volaterrano recubat qui monte ſepultus,
Maffeus vrbana claruit hiſtoria.

35 Philippus Decius Mediolanensis ic.

Sanctarũ intereant numerosa volumina legũ,
Hic, per quem subitò restituantur, erit.

36 Actius Sincerus Neapolitanus.

Nomen habent, Acci, per te Sebethides vndæ;
Vt per Sebethi flumina nomen habes.

37 Hulrichus Zasius Constantiensis.

Brisgoũ patriæ præfers, Hulriche, Friburgum;
Iura vbi cum summa publica laude doces.

38 Desiderius Erasmus Roterodamus.

Qui te nõ norit, Musas quoque nesciat esse:
In summo sedem namque Helicone tenes.

39 Petrus Bembus Venetus Card.

Seu Veneti pars sis, Romani siue Senatus:
Accipies magnum laude vtriusque decus.

40 Paulus Iouius Nouocomensis.

Diligeris Cosmo; coleris quoque, Paule, Leoni:
Doctus eras Medicus: doctus es Historicus.

41 Marcus Hieronymus Vidas.

Vergilio gaudent Thebanæ mœnia Mantûs;
Vt vicina suo est læta Cremona Vida.

Beatus

42 Beatus Rhenanus Seleſtadienſis.

Te, venerande ſenex, Muſæ, te Phœbus amauit:
Vita tibi exacta eſt, quæ ſine labe fuit.

43 Lucas Gauricus Geophonenſis.

Dum cœli arcanos motus, & ſidera tractas,
Mitra tibi cedit munere Pontificis.

44 Andreas Nauagerius Venetus.

Hiſtorice, Orator celeberrime, docte Poëta,
Gallica pullato Rege ſepulchra ſubis.

45 Iacobus Sadoletus Cardinalis.

Docte deûm interpres, nõ ſolũ oracula Chriſti,
Sed dictata ſacro verba Helicone canis.

46 Petrus Aretinus Hetruſcus.

Principibus populi pendunt tributa: ab eiſdem
Pendi ſueuerunt quæ tibi Principibus.

47 Petrus Apianus Binuitzius.

Quòd cœlos pandis, radio quòd ſidera pingis,
Germanus meritò diceris Archimedes.

48 Hugo Babelus Hippolytanus.

Te celebrẽ extollit linguam quæ edocta Pelaſgam
Eſt ſchola præceptis Buſlidiana tuis.

Clemens

49 Clemens Marotus.

Ante rudis, perte (calamos inflante Thalia)
Edidicit dulces Gallica lingua modos.

50 Ioanantonius Bayfius, Poëta.

Oedipodionijs reddentur mœnia Thebis,
Si tibi vocali pollice tacta Chelys.

FINIS.

II. PARS

ICONES VIRORVM ILLVSTRIVM doctrina & eruditione præstantium, quorum ad inter vivos esse, obierunt, aliq; nunc quoq; visati, dura fruuntur cum Vitis eorum, descriptes

a

Et BOISSARDO Vesunt. Recèns in ære artificiosè ac incisa & publicata à THEODORO DE BRY LEODIEN FRANCFORDII ANNO M D LIC

PAVLVS MELISSVS, SACRI PALATII COMES, AVRATÆ MILITIÆ TORQVATUS eques, & ciuis Romanus

in

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI

effigiem, à Theodoro de Bry artificiosissime celatam.

CIVIS *heic labia, & genas, comasque,*
Lector, eminulam virente Lauro
Admirantibus inſpicis Camœnis
BOISSARDVS *meus eſt vetus ſodalis,*
Amicusq; bonus, velutq; frater
Omnis hæret in intimis medullis
Diuerſo varius colore Pictor,
Veſtium Phrygio nitore Textor,
Carminum Latio decore Fictor.
Ternis muneribus remunerauit
Me ſodalis amicus atq; frater
Pictura, & Phrygia plica, & Poëſi.
Quei diſcederet a ſonante lingua?
Quei relinqueret is meos ocellos?
Aut quei deſereret meas medullas?

PETRVS

PETRVS LEPIDVS REGIORVM NEGOTIORVM SVMMVS PROCVRATOR APVD MEDIOMATRICOS, VIRDVnenſes & Tullios, in eandem Dn. BOISSARDI effigiem.

HOSPES, qui vagus in ſcientiarum
Hortis expatiaris, vt Mineruæ
Doctas ingenium excolas per artes;
Quem tu conſpicis hic breui tabella
Expreſſum Bryÿ arte penicilli,
Ille eſt Sequanici ad DVBIS *fluenta*
BOISSARDO *genitus parente* VATES
Phœbo & Caſtaleis Deis amatus:
Ille eſt qui facili ſtylo & colore
Vrbes Oenotriæ, & ſitus locorum,
Portus, Valla, Pharos, lacus, cauernas,
Montes & fluuios ſcaturientes,
Diuerſosq; habitus manu erudita
Iconasq; virûm eruditiorum
Deſcripſit, ſtatuasq; imaginesq;,
Et priſci monumenta cuncta ſecli

Impensisq́, laboribusq, magnis,
Publicam vtilitatem vt adiuuaret,
Solers edidit artifex, typisq,
Æuiterni operis THEODORICI
Libro hoc proposuit tibi videnda.
Tu de te meritis bene has repende
Grates, vt studium vtriusque vultu
Sereno excipias, probesque. Virtus
Illorum expetit vnicum hoc, nec vltra.

CLA-

CLARISSIMO PRÆSTANTISSIMOQVE VIRO LVDOVICO MALARMÆO, DOMINO LORÆI PATRICIOque Vesuntino:

IANVS IACOBVS BOISSARDVS.

PRÆCLARVM *est ita vitam instituere (clarissime* Malarmæe*) vt post obitum memoriam de nobis laudabilem ad posteritatem transmittamus. Promere enim ex nobis semper aliquid oportet, quod alios delectet, aut nos ipsos laudibus illustret. Dum hac vita fruimur, debemus quibus modis possumus beneficiis præsentes promereri, & post mortem monumentis literarum vtiles esse posteritati. Quoniam (vt testis est Romani eloquij Princeps) literæ posteritatis causa repertæ sunt, vt oblivioni subsidio sint. Nam exempla omnia iacerent in tenebris, nisi literarum lumẽ accederet. Nemo ciuis egregius sine bonarum artium cognitione & doctrina iudicari potest. Sunt enim liberalia studia virtutis incunabula & rudimenta, quibus animi generosi ad*

si ad gloriæ cupiditatem accenduntur. Atqui vt beneficium hoc à Deo optimo maximo paucis confertur (nam pauci quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus. *) itaque quibus nomen aliquod celebre per virtutem comparatum est, si calamo scriptoris idonei destituãtur, habent quod non sine culpa intra se doleant, & cõquerantur, dum frustrantur spe commendationis futuræ, eorum gloria quibus regionibus viuũt, & sæculo præfinito circumscribi & arctari videtur: fitq; vt segniùs multò actiones difficiles vitæ perfectioris aggrediantur & suscipiant: Extinguuntur in eorum animis scintillæ illæ laudabiles, quib. lumen maius ad ingratam posteritatem trãsmittendum non datur: Vt enim Honos alit artes, ita quoque marcet contempta virtus: vtque calybei nitidißimus orbis clypei armamentarij thecis reconditus, situ ac rubigine statim polluitur, turpesque notas ac maculas contrahit, quibus illius splẽdor obfuscatur, lumenq; coruscum metalli plane abstergitur & aboletur: Non secus euenire videmus magnis viris, quorum res gestæ, quantumuis excellentes, nisi scriptis doctorum poliãtur, ge-*

nium

nium amittunt, & radiis ſui ſplendoris protinus deſtituuntur. Quod ſibi eueniſſe merito conqueſtus eſt magnus ille Imperator *Macedonum in Sigæo littore parentans Achilli, illiusq; ſepulchro cum lacrymis incumbens*, Fortunatiſſime iuuenis, inquit, probè tecum actum eſt, qui Homerum tuarum virtutum Præconem ſortitus es: at me infeliciſſimum, quem tàm infauſto ſęculo natum voluerunt ſuperi, quo ne vnus quidem idoneus reperiatur, aut ſatis dignus qui ALEXANDRVM decantet. *Nobis Dei fauore talis querimonia non competit: Noſtro enim tempore quælibet Natio produxit hactenus, & producit quotidie magnum hominum numerum, qui doctrinâ celebres exiſtunt, quibuſq; facultas & voluntas neutiquam deeſt commendandi literis eos, qui de Republica bene meriti ſunt, nõ ſolum in bellicis expeditionibus, gubernatione Politiæ, ſalubribus cõſiliis apud Reges & Principes, ſed etiam eos qui ſcriptis adiuuarunt & promouerunt vtilitatem publicam, tàm in Theologia, Iuriſprudẽtia, Medicina, quàm in Philoſophicis & aliis liberalium artium exercitiis: per quæ humana vita*

eruditur & politur, iuuentus instituitur, & formatur, florent regna & ciuitates, & vniuersa hominum societas tanquam dulci quodam condimento recreatur. Hoc sine controuersia semper & vbique inter cultiores populos opinione communi creditum est, vitam sine literis cæcam esse, rudem, & asperam: Neque Principatus vigere magis, quàm dum à viris bene institutis & doctis gubernantur. Vnde laudabilis illa Sapientis extat sententia: Beatum esse regnum vbi Philosophus rex est, vel vbi rex philosophatur. *Dictum quidem merito ab antiquis plausu exceptum, quodq; hodie verum & laudabile esse non desinit. Homines certe quantumuis ab omni cultu Musarum alieni, doctrinam licet incognitam admirãtur & suspiciunt: quodque facere ipsi non possunt, id recte in altero fieri iudicant. Refragari licet huic opinioni barbariẽ nostri sæculi animaduertamus: inter nobiles potissimum nostros, qui nescio quibus fumis vanitatis inflati rem literariam fastidiunt & auersantur, tanquam fatuitatẽ, qua animi simul & corpora eneruantur & fatiscunt: summũque decus in arte militari constituunt, in Mar-*

tiis

tiis exercitiis, & beluina feritate: quasi verò litera militarem disciplinam remoueãt, animum generosum effeminent, & ab omni actione laudabili diuertant: imò verò omnem vitæ partem in officio contineant, & licentiam hominum male moratorum in ordinem cogant. Militia studium beluinum esset, barbarũ, & ab omni humanitate alienum nisi consilio fulciatur, eiusque feritas mitioribus affectibus temperetur. Sed quid non admittit deplorata nostri sæculi depràuatio? quæ cõtemptis bonis moribus effrenatam quidlibet patrandi licentiam laudat & sequitur; iudicatq; summũ bonum, si quicquid libeat liceat: & per omnem truculentiam libidinemq; impune debacchetur. Quibus autem iudicium viget solidius, mensq; sana est in pectore sano, quibus serenior Genius bonas animas agit & moderatur, longè diuersum viuendi modum sibi proponunt, Palladem colentes armatam, Heliconis cum Apolline Præsidẽ, nempe bellicum studium à consilio & rerum scientia non separantes. Tunc enim militia viget maximè, dum consilio domestico res foris prudenter reguntur & administrantur. Probe inquit Cicero, expeten-

dam magis decernendi rationē, quàm decertandi fortitudinem. *Honestum effici animi, non corporis viribus. Parua esse arma foris, nisi sit cōsilium domi. Sed relinquendi sunt isti Cyclopes & centimani Bryarei, qui vastitate corporū & potentia immani præter modū fulti, viribus cœlum inuadere, humana diuinaq; pro arbitrio commiscere nituntur, neque quicquam cum Musis mitioribus habere volunt commercij. Nos eos primo honore colendos existimamus, quorum laudabilis virtus proximo vtilis est. Horum nomen publicis Encomiis efferre & famā scriptis propagare pulchrum esse duco, & virtuti consentaneum. Indignum, certè, esset tam splendidas eruditorum dotes obliuione eorum, qui viuunt, aut reticentia posterorum sepelire. Sapiens virtutis honorem præmiū haud prædam petit. Neque vllam aliam suorum laborum mercedem poscit, quàm laudis & gloriæ. Quam si illi detraxeris, nihil illi relinquis, cur se tantis lucubrationibus & vigiliis exerceat. Quapropter qui olim res gestas maiorum, vitasq; virorum doctrina illustrium scriptis mādauerunt, non solum memoriæ eorum, quos laudibus euehūt, con-*

consulere visi sunt, sed etiam sibi ipsis apud posteritatem optime prospexerunt. Dum enim virtutes excellentes in aliis commendant, clarè testantur se earum admiratores esse & sectatores. Ideo studia eorum laudabilia iudicari debent, qui scientiarum inuentoribus & cultoribus honorem debitum non denegãt, sed magis quibus possunt rationibus promouent & conseruant. Hæc est clarissime Malarmæe, *præcipua causa, cur* secundum hoc iconũ volumen *concinnare & publicare statuerim: quo cõtinentur effigies, succinctaq́ vitæ descriptio multorum, qui adhuc superstites in viuis sunt doctrina rerumq́ cognitione clari. Idq́ opusculum, qualecunque est, tibi dicatum volui, quòd & tu inter præcipuos nostræ ætatis literatos viros, sine vllius inuidia, dignissimus iudiceris, cui præcipuus honos deferatur. Æquum est excellentes hos homines sub tuo patrocinio commendari: quod & eorũ laus maior euadet præstantis laude viri commendatione, & tua autoritas non parum splendoris assumet commercio tanquã & familiaritate contracta cum iis, quorum sempiterna memoria sub laudabili tuo nomine in Theatrum publicum intro-*

troducta æternitati ſacrabitur. Eximius ille tuus candor, morumq; facilitas in cõuerſatione ſtatim quemlibet in tui amorem pellicit, religioſaq; obligatione cogit, vt te omnes colant & venerentur, noſtri præcipue Burgundi, & ante omnes Veſuntini, inter quos nulli ſecũdus haberis; infinitos verò opum ſplendore, potentia, autoritate & eruditione ſuperas, cum inter Patricios ſellam occupes Senatoriã. Præter hæc omnia aliud me mouet, vt hoc opuſculum tuo nomini inſcriberem, quòd in noſtra vrbe nemo mihi ſuperſtes amicus relictus eſt, qui me ex facie viderit præter te, & magnificum illum Montriuellum, *duo patriæ meæ ſplendida luminaria: reliqui ex nomine non viſum diligunt, hanc beneuolentiam à parentibus hæreditario iure ſortiti: vt ſunt Nobiles & eruditi Nepotes tui* Ioannes & Gedeon, Franciſci fratris filij: *quos ego redamo, colo, & honoro propter, piæ memoriæ, Patrem defunctum, & eorum virtutem: quibus omnia ſecunda per ſucceſſus felices incrementa precor & exopto: æquum eſt hos affectus ex me in illos deriuari, ne indignus videar tuo amore, parentisque illorum, qui me olim tam arcta*

eta consuetudine amanter complexus est.

Erit igitur hic meus labos probatum pignus mei amoris erga te, vir splendidissime. *Quod si gratum animaduertam hunc conatum meum tibi fuisse, non mediocrem mihi iniicies stimulum meditandi in posterum alia solidiora, quæ tibi maiorem afferent delectationem, & ad publicam vtilitatem magis facere videbuntur. Vale felicissime: tuumque* Boissardum *mutua beneuolentia te vnicè colentem, redama.*

IN

IN EFFIGIES

DOCTRINA CLARORVM VIRORVM, A DOMINO IANO IACOBO BOISSARDO celebratorum,

IOANNES POSTHIVS GERMERSHEMIVS, AVLÆ PALATINÆ Archiater.

ILLVSTRES animæ, quarũ natalibus horis
Fulserũt nitidi sydera fausta poli.
Et Genium ingeniis felicem fata dedêre,
Et dedit ipsa artes Calliopœa suas.
Queîs fretæ celebrem scriptis extendere famam
Æternumq; decus cura parare fuit.
Gaudete: est nomen vobis & gloria parta,
Quam nulli poterunt vnquam abolere dies.
Vestra sed indomitæ cum sint obnoxia morti
Corpora, & in cineres tota abitura leues,
Vt saltem viui superent in imagine vultus,
Quos auido spectet lumine posteritas.

Sumptibus en præstat largis, multoq; labore
BOISSARDVS, *Phœbi delicia & Charitum.*
Tum breuia adiiciens acta præconia vitæ,
Contexit variam dædalus Historiam.
Dulcibus & vitam dum sic impertit amicis,
Ipse sibi vitam dat quoque perpetuam.
Vobiscum & pariter celebratus in orbe legetur,
Donec erunt aliquo docta in honore DEÆ.

CARO-

CAROLUS CLUSIUS ATREBAS. SCRIPTOR SIMPLIC. PEREG.
Nascitur 19. Feb. A. 1526
Consilio Pylium, Chironem vincit in herbis.
Atq; Situm antiqua Clusius Historia.

CAROLVS CLVSIVS ATREBAS, SCRIPTOR HISTORIÆ SIMplicium peregrinorum clarissimus.

ANNO à nato CHRISTO M. D. XXVI. mensis Februarij XIX. sub horam quintam ante meridiem, natus est CAROLVS CLVsius Atrebati, metropoli Comitatus Artheſiæ in Galliâ Belgicâ, isticq; in pueritiâ educatus: Gãdauum inde ablegatus, vt operã politioribus literis daret sub PAVLO EVCHARIO viro doctissimo, apud quem biennio vixit: anno quadrageſimo ſexto Louanium profectus, Latinę & Græcæ linguæ Profeſſores in Collegio trilingui ſiue Buſlidiano, audiuit: Deinde (ſic volente patre) Iuri ciuili operam dedit ſub C. V. Doctore GABRIELE MVDÆO: ſed cùm animus eſſet peregrinas regiones luſtrandi, Germaniã

triennio post adiit, vbi ex magni & celeberrimi viri consilio & autoritate studij rationem mutans, neglectâ Iurisprudentiâ, Philosophicum studium amplexus est. Anno quinquagesimo in Narbonensem Galliam se contulit, vnde paucos post annos, ob bellum inter Carolum V. Cæsarem, & Henricum II. Galliæ regem, exortum in patriam à patre reuocatus istic aliquot annos vixit, donec anno LX. denuo in Galliam reuerteretur, Lutetiæq; biennio viueret. Inde propter intestinum bellum, Aureliâ à Principe CONDÆO occupatâ, Louanium abiit, & istic anno vixit. Anno 1564. euocatus in Germaniam, bimestri istic transacto, per celeres equos in Belgium rediit, & inde per Galliam in Hispaniam profectus est, cuius plures prouincias, atque etiam magnam Lusitaniæ partem, annuo spacio perlustrauit. Anno sequente in patriam reuersus vsque ad primum & septuagesimum in eâ permansit, quo Lutetiam profectus, & inde per Caletes in Angliam. Illâ autem ex parte peragratâ, denuo Lutetiam & in Belgium regressus est: istic hę-

rens

rens vſque ad annum tertium & ſeptuageſimum ſupra milleſimum & quingenteſimum: tum enim à Cæſare MAXIMILIANO huius nominis ſecundo euocatus Viennã Auſtriæ profectus eſt, & iſtic in Aulæ Cæſareæ familiarium numerum benigne receptus fuit. quo etiam loco apud Cæſarem RVDOLPHVM II. Maximiliani F. fuit. Vixit porrò Viennæ vſque ad annum LXXXVIII. (ſuſceptis tamẽ interea binis in Angliam peregrinationibus) quo Francofurtum ad Mœnum ſe contulit. XCIII. autẽ anno Lugdunum apud Batauos ab ordinibus confœderatarum Prouinciarum euocatus, eô peruenit annum ætatis agens octauum & ſexageſimum, vbi adhuc viuit cœlebs, annũ agens tertium & ſeptuageſimum.

In pueritiâ & adoleſcentiâ variis morbis obnoxius fuit, præſertim febrib. cõtinuis aliquot annis, omnibusq; diuexatus eſt, præterquam quartanâ & peſtilente. Annũ agens XXIIII. Hydrope laborauit, ex intẽperãte aquę frigidę potu, quo morbo C.V. Guilielmi Rondeletij Medici celeberrimi & Profeſſoris in Academia

mia Montepeſſulana, cura & diligẽtia liberatus fuit. Anno autem ætatis xxxix. in Hiſpanica peregrinatione, ruente in curſu per acclíue equo cum ipſo ſeſſore, dextrum brachium ſupra cubitum fregit, & eum inſequente, dextrum crus. Viennæ porrò Auſtriæ annũ agenti quintum & quinquageſimum, pes ſiniſter illi luxatus, & malleolus fractus: Octennio deinde poſt Francofurti ad Mœnum, ex caſu dextrum femur luxatum, & luxatione nec à Medicis, nec à Chirurgis agnita ſed neglecta, ad cõtuſionem duntaxat medicamenta applicantibus, prorſus claudus effectus eſt, vt ne pedem quidem promouere poſſit, niſi gemino ſcipione ſub alis ſubnixus. Eam ob cauſam cum corpus exercere nequeat, ſed perpetuò fere illi ſedendum aut decumbendum ſit, graues alij acceſſere morbi, Calculus, Coli dolor, & Hernia.

Italicam profectionem ter tentauit: florentiſſimam enim illam regionẽ videre ſummopere auebat: ſed irriti ſemper fuere conatus: primùm Mõtepeſſulano Maſſiliam profectus eſt: deinde ex ea vrbe rediens, apud Allobroges

ges hæsit fere semestre, parentis responsum expectans, postremò Augustam vsque Vindelicorum profectus, vnde cursum cõuertere debuit in Hispaniam. Quæ adeò causa fuit, vt adeundi Italiam omnem cogitationem in posterum deponeret, existimans id institutũ Deo non probari, cuius voluntati obsistere nephas duceret. Eum ob tot animi & ingenij virtutes atque dotes incomparabiles Imperator Maximilianus II. Nobilitatis priuilegiis optimo eius merito cohonestatum plurimum amabat: Linguarũ septem, vtpote Latinæ, Græcæ, Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ, Lusitanicæ & Belgicæ exactam habet peritiam, variarum autem rerum præstantissimarum, præcipuè verò in Historia simplicium peregrinorum tantam notitiã & vsum sibi acquisiuit, vt per tot regna orbis terrarum Scriptorem earum vel grauiorem vel diligentiorem hodie nõ reperias. Historiarum vulgo incognitarum & scriptor & censor acutissimus, vti & Cosmographię doctissimus. Scripsit, & vertit historias Americanas ex Hispanico idiomate, in Latinũ sermonẽ. Dialo-

gos siue Historiam Garciæ ab Horto, Proregis Indiæ Medici Lusitanicâ linguâ scriptam de Aromatis & simplicibus aliquot Medicamentis apud Indos nascentibus, latino sermone in Epitomen contraxit, & Iconibus ad viuum expressis locupletioribusq; annotationibus illustrauit, quę quartâ editione apud Plantini viduam castigatior & auctior prodiit, in 8. Anno 93. Librum Christophori à Costa Medici & Cheirurgi, de Aromatibus & Medicamentis in orientali India nascentibus ex Hispanico sermone Latinum fecit, & in Epitomē contractum quibusdam notis illustrauit, qui altera editione apud Plantini viduam Antuerpiæ, Anno 1593. in forma octaua publicatus est auctior & castigatior. Historiam Nicolai Monardis Hispalensis Medici duobus libris scriptam Hispanico sermone de simplicibus Medicamentis ex nouo orbe delatis, quorum in Medicina vsus est, Latio donauit, & in vnum volumen contractam annotationibus & Iconibus affabre depictis illustrauit, quæ tertia editione excusa est, ibidem ex postrema Autoris

recognitione, formâ 8. anno 1593. Idem fecit tabulam Hiſpaniæ antiquis & recentibus in ea locorum nominibus inſcriptis, quam ſe edituru promiſit Ortelius. Eiuſdem Hiſtoria aliquot ſtirpium per Hiſpaniam obſeruatarum libris duobus expreſſa eſt Antuerpiæ in 8. Anno 1576.

IVSTVS LIPSIVS
AETAT. 50. AN°. 1597
Ausonios olim fuerat quod Tullius inter,
Hoc inter nostros Lipsius unus erit.

IVSTVS LIPSIVS PHILOLOGUS & Consiliarius Regius.

TAMETSI de Iusto Lipsio Bruxellis nato & multa & præclara dicenda veniãt, viro nimirum de literis optime merito, & cui comparando ob singulares ingenij dotes ætas nostra vix parem videt, nõ per Germaniam solùm, sed & per Galliam, perq; ipsam studiorum matrem Italiam, quod vniuersitates & pulpita passim aperte loquuntur, atque vt Academias Ienensem, Louanien sem, Lugdunensemq; Batauorum taceamus, vel sola Antuerpia de viri huius meritis amplissimis corã vniuerso orbe palãm declamat: nos tamẽ præstabilius duximus notationi huic ieiunæ impræsentiarum potius supersedere, quã pauca & tãto ingenio minus paria afferre. Imaginem eius florentissimam equidem apposuimus, mentis ideam tot ab ipso editæ lucubra-

tiones docebũt abunde, quas ſi quis inſpiciat, quid eſt quod deſiderare poſſit? nec enim Apelles melius eum vnquam expreſſerit. Is inter cętera edidit Epiſtolicarum quæſtionum libros octo omni cura elaboratos, quos Antuerpiæ Plantinus excudit. edidit & antiquarũ lectionum commentarium, diſtributum in quinq; libros, in quibus varia ſcriptorum loca, Plauti prȩcipuè, illuſtrantur & emendantur. Idem P. Cornelij Taciti Hiſtoriarum & Annalium libros recenſuit: & Saturnalium ſermonum libros II. qui de Gladiatoribus. Fecit Electorum librum vnum, in quo præter cenſuras varij priſci ritus proponuntur item librũ de Cõſtantia plane aureum, & alia quæ ſuo loco plenius enumerabimus: atque hæc de Iuſto Lipſio.

HVL-

HVLDRICHVS HVTTENVS EQVES FRANC. & Poeta
Nascitur A
1488.
Obijt A 1523
in aug.
Palladis invictus, fariter Mavortis alumnus
Inclytus ingenio militiaque fui.

HVLRICHVS HVTTENVS
Franc. Eq. & poeta.

VLRICHVS Huttenus eq. Francus Germanus Poeta, ex nobili Huttenorum familia in Germania 20. Aprilis die, Anno 1488. prognatus, & in omni genere artiũ & diſciplinarũ parẽtum conſilio educatus, Mineruâ duce & Magiſtrâ literarum patiter & armorum gloriâ præſtans fuit, multa audacter & libere in Romanenſes dixit & ſcripſit, multa etiã in Principes & magiſtratus ciuitatum: in bellis Venetis Maximiliano Imperatori ſuam operam fortiter præſtitit, vnde ob excellentis ingenij vim & probatæ virtutis in eo bello laudem ſingularem à Diuo Maximiliano I. & Poëta Lauro, & eques auro coronatus propugnator communis libertatis

HVLDRICHVS HVTTENVS EQVES FRANC. & Poeta.
Nascitur A. 1488.
Obijt A. 1523 in aug.
Palladis invictus, fariter Mavortis alumnus
Inclytus ingenio militiaque fui

HVLRICHVS HVTTENVS
Franc. Eq. & poeta.

VLRICHVS Huttenus eq. Francus Germanus Poeta, ex nobili Huttenorum familia in Germania 20. Aprilis die, Anno 1488. prognatus, & in omni genere artiũ & disciplinarũ parẽtum consilio educatus, Mineruâ duce & Magistrâ literarum pariter & armorum gloriâ præstans fuit, multa audacter & libere in Romanenses dixit & scripsit, multa etiã in Principes & magistratus ciuitatum: in bellis Venetis Maximiliano Imperatori suam operam fortiter præstitit, vnde ob excellentis ingenij vim & probatæ virtutis in eo bello laudem singularem à Diuo Maximiliano I. & Poëta Lauro, & eques auro coronatus propugnator communis libertatis

perſtitit, Muſarumq; & Gratiarũ Hierophantes incomparabilis. Claruit anno 1523. Scripſit in Hulrichum Principem Wirtenbergenſem inuectiuas & Phalariſmum Dialogum compoſuit. Cum Eraſmo de quibuſdam expoſtulauit, & hoc modo variis orationibus & epigrammatis editis apud Germanos magnũ ſibi nomen comparauit. Opera eius Poetica ex diuerſis monumentis in vnum collecta ſunt, & Francofurti impreſſa anno 1538. Sunt autẽ hæc: Epigrammata varia: in tempora Iulij ſecundi Satyra; ad Maximilianum Imperatorem exhortatio, vt bellum in Venetos perſequatur: De piſcatura Venetorum carmen heroicum: Marcus carmen heroicum: de non degeneri ſtatu Germanorum: Epiſtola Italiæ ad Maximilianum Imp. Reſponſoria Maximiliani Imperatoris ad Italiam authore Helio Eobano Heſſo: ad Cardinalem Hadrianũ pro Capnione interceſſio: Triumphus Capnionis: Panegyricus in laudem Alberti Archiepiſcopi Moguntini; in Pepercorni vitam & obitum. Vtis id eſt, nemo carmẽ iucundum: Vir bonus: De

arte

arte verſificatoria: De Guaiaci ligni medicina & morbo Gallico liber impreſſus Moguntię apud Ioan. Schoeffer 1519. Flores obſeruati ab Hulricho Hutteno in libris Q. Curtij de rebus geſtis Alexandri, Colon. apud Gymnicum 1538. Eiuſdem ſuper interfectione propinqui ſui Ioannis Hutteni equitis à Wirtebergẽſi duce Vlrico deploratio heroicis verſibus: Item ad Ludouicum Huttenum ſuper interemptione filij conſolatoria oratio: Item in Vlrichum Wirtebergenſem Orationes quinq; inuectiuę: in eundem Dialogus cui titulus Phalariſmus, & aliquot ad amicos epiſtolæ: Item ad Franciſcũ Galliarũ regem epiſtola, ne cauſam Wirtebergẽſis tueatur, exhortatoria, & epiſtolę aliquot ad amicos. quæ omnia ſimul excuſa ſunt in arce Steckelberg anno 1519. Expoſtulatio cum Deſiderio Eraſmo, impreſſa cum Brunfelſij reſponſione ad Eraſmi ſpongiam pro Hutteno. Item Orationes quædam, quarum tituli ſunt, Monitio prima, Monitio ſecũda. Sunt qui putent Dialogũ illũ Philalethis ciuis Vtopienſis eodem authore cõſcriptum eſſe, & Orationẽ

ad Christum pro Iulio secundo Ligure Pontifice, & Pasquillos nonnullos, veluti sunt Dialogus Bulla inscriptus siue Bullicida, Prædones, Momus, Carolus, pietatis & superstitionis pugna, conciliabulum Theologastrorũ aduersus bonarũ literarũ studiosos, Apophthegmata Vadisci & Pasquilli de deprauato Ecclesiæ statu: Huttenus captiuus; Huttenus illustris, eiusdem exclamatio carmine scripta in incendium Lutheranorũ, quæ impressa est cũ aliis quibusdam in quarto: Item epistola ad Bilibaldum Pirckheimerum: pars quædam inuectiuæ in Hieronymum Aleandrum: Epistola ad Marinum Caracciolum: oratio ad Cardinales, Episcopos, Abbates, Præpositos, & vniuersum Sacerdotum concilium, Wormatiæ Lutherũ & veritatis & libertatis causam impugnantes. Oratio ad Carolum V. & alia quędam impressa cum secundo Tomo operum Lutheri: eiusdem præfatio in declamationem Laurentij Vallæ contra donationem Constantini, quæ impressa est Coloniæ cum Concilij Basilienſis descriptione anno Domini 1535. eiusdem epistolæ

ſtolæ aliquot de ſchiſmate extinguẽdo, & vera Eccleſiæ libertate aſſerenda: Oratio item exhortatoria ad Germanos Principes vt bellum Turcis inferant in 8. Bibl. Imp. Viennæ. Eius colloquia Germanica lingua in 4. ibidem: eiuſdem dialogus Aula ad Henricum Stromerum Auuerbachum, medicum: Argentinæ in 8. apud Theobaldum Montanum anno 1559. Obiit Hutten⁹ ætate florida anno Chriſti 1522. menſe ſextili, & ſepultus eſt in lacus Tigurini inſulâ Vſnauiâ, à ſe Huttenicâ hodie denominatâ, quod elegantiſſime Ioannes Fabricius Montanus Poeta expreſſit in ſequenti Epitaphio Hutteni manibus inſcripto;

Hæc quicunq; citâ decurris ſtagna carinâ,
Ponis & hoc noſtro littore forte pedem:
Ingenio ſic aura tuo, ſic pareat vnda:
Perlege quæ ſaxo carmina ſculpta vides.
Hoc equitum decus, hoc vatũ Germaniæ ocellus,
HVTTENVS *iacio conditus in tumulo.*
Ingenio dextraq; potens, dum vita manebat,
Muſarum ſimul & Martis alumnus eram.

Cæsar Apollineâ cinxit mea tempora Lauro,
Idem pro meritis nomen equestre dedit.
Sæpe bonos mutare solum fortuna coegit,
Magna quibus patriæ pœna carere fuit:
Ast mea non alio tantum se iactat alumno
FRANCIA, *nec meritis est male grata meis.*
Æger ad has veni Legatus Cæsaris oras,
Cum me mors alias iussit inire vias.
Ante, sepulturæ seruiret vt angulus iste,
Quàm morerer, sociis iussa suprema dedi.
Assiduis vbi me lugerent planctibus vndæ:
Et gemerent plenis signa refusa vadis.
Sertaq; vernarent tumulo natua sub ipso,
Et querulæ canerent flebile semper aues.
Vade sed admonitu nostri spes contrahe laxas:
Quo minime credis stant tua fata loco.

DIO-

Si Virtus, Doctrina, Vsus Prudentia charum
Efficiunt summis regibus esse virum
DIONYSIVS LEBE BATILLIVS PRÆSES REGI AP. MEDIOM.
Ista tibi certe simul arrisere Bathylli
Qui partes tanti Regis in vrbe geris.

DIONYSIVS LEBEVS-BATILlius, Regius Præses Mediomatr. Iurisconsultus, & Poeta.

DIONYSIVS Lebeus-Batillius natus est Tricassibus vrbe Campaniæ (quam alij Augustobonã Tricassium appellari volunt) anno 1551. Mensis Nouemb. die 27. parente vtroque nobili, solus ex quinque fratribus reliquus & superstes, cum duabus sororibus, Loysa Marini Buissonij Cormonoclæi, Ludouici & Henrici Condæorum Principũ, domus Magistri, eiusdemq; Principis Henrici turmæ centum cataphractorum equitum vexilliferi vidua, & Nicolea Sebastiani Brunelli regij Secretarij, cõiuge. Prima literarum rudimenta posuit in vico Granuillæo ad v 1. ab vrbe milliare. Inde à parentibus reuocatus Lutetiamque missus Præceptore vsus est Philippo

Monautholio, clariſſimo hodie inter Pariſienſes Medico, vixq; bienniũ elapſum erat, cum mater eius cum marito agit, vt eum Genevam ipſe deduceret, quo facto, per quinquennium ibi literis operam dedit ſub Bertrando Salis Burdigalenſi, Antonio Fayo, Iobo Veratio, & aliis bonarum artium Doctoribus, ab ipſis amatus plurimũ, vt &à Chriſtophoro Principe Palatino, Henrico à Sabaudia-Guernacheo, Amilcare Thellignio & aliis primariis Scholæ adoleſcentibus. Ibi etiam Franciſcum Portam Græca, & per aliquot dies Scrimgerum & Carpentarium ius publicè docentes nec nõ & Petrum Ramum, tum quoque in Heluetia peregrinum, Orationem in Catilinam actione plena animi, plena ſpiritus interpretantem, audiuit, quem & eundem Luſannæ Bernatum, anno M. D. LXX. Logicam illam ſuam priuatim prælegentem, illi audire contigerat, in quem tum hoc Epigrammate luſit:

Cùm patre defuncto Stagiritæ filia magni
Interfecta dolis contumulanda foret;
Fleuit,

Fleuit, & indignis quatiens sua pectora palmis,
Fatidico tales, fudit ab ore sonos:
Ergone Aristotelis cineres honor iste sequetur,
Vt iaceam extremo condita viua solo?
Sed supponar humo: sic nempe in luminis aurat
Tollet se quamuis tardior ista seges.
Fortunate nepos, tibi nostro è semine Ramus
Nascetur, penetrans sydera celsa comis.
Hic in se referet Sophiam, Sophiaq, parentem,
Et fructus largos tempus in omne geret.

Audiuit ibidem Blasium Marquardum, Claudium Alberium Triuncurianũ, Petrum Nunnium Professores publicos, cum peste Geneuę sçuiente, eô se inde multi recepissent. Moxinde Lutetiam cum iisdem condiscipulis Carolo magno & Meueleto venit, vbi Iuri studere cœperunt, non intermittentes tamen Dionysio Lambino, Ramo, Ioanni Passeratio Tricassino, Aurato & aliis regiis professoribus se tradere. donec sub initium anni M. D. LXXII. Valentiam Cauarum ad Iacobum Cuiacium & Franciscum Roaldæsum ius ciuile ibi magna

cum laude profitẽtes, missi sunt: sed paulo post secuta est clades illa noctis Bartholomeæ, quæ & Academiam illam nonnihil interturbauit, cæsis aliquot ciuibus, liberis tamẽ studiosis Iuris relictis, id accurante, fidemq; suam pro iis erga magistratũ interponente Cuiacio: cumq; eô ex Italia aduenisset Ioannes Montlucius Episcopus Condonensis, Blasij Montlucij in Aquitania Proregis filius, qui omni comitate eũ amplecti cœpit, hunc in Aquitaniam sub trãscurrentem ætatem anni insequentis, secutus est, sequendum, si Deus dedisset, & in Poloniã cum Henrico Andium duce, Poloniæ Rege electo, ad quam profectionem maximè inuitabatur Episcopus ille à patruo Montlucio Episcopo Valẽtiano, qui Legationis Polonicæ ad Regnum Henrico conciliandum princeps fuerat: at Condonij graui periculosoque morbo affectus, demorari coactus est, dum eo releuatus Lutetiam & inde Valentiam iterũ per Tricassios suos se contulit, vbi studiis absolutis Iuris vtriusque Doctoris insignia simul cum familiari & cõuictore charissimo Petro Poppęo Barre-

Barreſequanenſi accepit, illa ipſis plena manu, pleniore animo præbentibus clariſſimis illis Doctoribus Cuiacio & Roaldæſo. Mox domum reuocatus cum Lugduni eſſet (quo tẽpore Henricus Rex è Polonia Galliam ſuam repetebat) à Ioanne Torneſio Typographo laudatiſſimo, cum quo amicitiam inierat, ſub eius nomine editus eſt *Petronius Arbiter*, ex veteribus membranis emendatior factus, cum in hoc ſuam operam libẽtiſſimè *Lebeus* noſter cõmodaſſet. Atq; ineũte anno M.D.LXXV. Lutetiam ſe ad forum & cauſas agendas contulit, in ſacramentum ſolitum eum Curię offerente optimo & doctiſſimo viro Antonio Oiſelo, in id munus à clariſſimo Petro Pithæo Tricaſſino, cui Lebeus à parẽtibus commendatus fuerat, rogato. Cumq; tertio inde menſe primã cauſam in ampliſſimo illo Senatu oraſſet, iam tum aliquod nomenq; decusq; inter eiuſdem ætatis Cauſidicos gerere cœpit. Nec ita multo poſt Marchionatus Inſulæ ad Tricaſſes, ditionis tum Catharinæ Borbonię Henrici Principis Condæi, & Mariæ Cleuenſis filiæ, Iuridi-

cus constitutus est à Carolo Cardinali Borbonio, eiusdem Catharinæ maiori auunculo & tutore, in gratiam Dionysij Lebei-Batillij patris, & remunerationem officiorum & obsequiorum ab eo domui Cleuensi-Niuirnensi à longo tempore præstitorũ factus & apud Franciscum ducem Alenconium Regis Henrici fratrem, Libellorum supplicũ Magister. Matrem amisit anno M.D.LXXXIIII. fœminã eximia animi magnitudine præstantissimam, de cuius virtutibus cognoscet, qui tumulum eius inter opuscula Musæ Christianæ à *Petro Poppæo* vernaculo sermone conscriptæ, legerit. Eodem anno duxit *Antonettam Bertinam*, Georgij Bertini consiliarij & Medici Regij filiam, cum qua partui proximâ, anno subsequẽti bel lo Guisiano in bellum aduersus reformatos, finibus regni abstinere iussos, mutato, exilium patria sede mutauit, Mõtpelgardum primum cõcedens, vbi Colloquio illi, cuius acta publica sunt inter Theodorum Bezam, & Iacobum Andreę Theologos interesse datum est, quodque designasse videtur Emblemate LXII. de Her-

Hercule aduersus Cancrum depugnante. Inde Basileam, vbi inter alios amicitiam coluit Bonifacij Amerbachij, Theodori Zvvingeri (in cuius defuncti obitum & quædam Epigrammata scripsit, edita apud Conradũ Waldtkirch cum Iconibus & elogiis clarorum virorum à Nicolao Reusnero collectis) Guilielmi Arragosij Medici Cæsarei, Ioannis Aliborij archiatri regij, Odoardi Bizeti-charlæi, & Claudij Basini Tricassinorum, Petri Gualterij Chabotij, Iacobi Coatij & aliorum Gallorum, quos Petrus Neueletus-Doschius sua illa Basiliæ ἐκφράσει, nuper Francoforti apud Wechelios editâ, & ipsi Lebeo nostro dicatâ, recenset. Inde anno M.D.LXXXVII. ad Sammarianas fodinas, & sesquianno post in Metensium vrbem, quo se ante receperat Bertinus socer, cum Ioanne Bertino sororio, quóque aduentare nunciabatur Carolus Luxenburgius Briennæ & Lignij Comes, Præfectus huius Prouincię futurus, ex vltronea abdicatione Ioannis Ludouici Nogarettij-Valettani. Espernonij ducis, cuius sororem duxit, & ex cuius domo Bertinus erat.

Hîc

Hîc priuatus biennium exegit, donec anno M. D. XCI. à noſtris ad eundem Eſpernonium ducem in Aquitaniam amandatus, inde ad regem tùm Rotomagum obſidentem, peractis publicis negociis, ab eodem Rege eo magiſtratu, quem nunc apud Mediomatricos gerit, auctus eſt, in quo quantæ omnib. vtilitati ſit, quæ illius probitas & integritas, parciùs de eius laude eo viuo dicturus, dicere omitto. Extat eius libellus apud Abrahamum Fabrum hîc excuſus de priſcis Aſſaſinis cultelliferis, Gallico ſermone ſcriptus: Extat Emblematum, quæ à ſuo Boiſſardo delineari voluit, pars prima, à Theodoro de Bry ſculptore edita, ad quē propediem reliquorum, quæ ad ducenta ſunt, & amplius, partes alias daturum & ſpero & opto. Iiſdem (quæ clariſſimo Philippo Morneo Pleſſiaco dedicauit.) addita eſt Paraphraſis ex diuerſis optimorum quorumque autorum circa eoſdem ſenſus locis, ab eodem ingenioſiſſime contexta. Scripta alia multa habet præ manibus, Theſaurum linguæ Gallicæ, Kalendariū Hiſtoricum cum faſtis omnium gentium; De reli-

reliquiis Gigantium: De iis qui se pro aliis gessérunt Historiam Scotiæ Gallicam factam ex Latinâ Buchanani; Petrarcham de remediis vtriusque fortunæ Gallice redditam; Poemata varia, Farraginem Prouerbiorum, Commentarios rerum Mediomatr. & alia, quibus lectis si in lucem venerint, licebit de eo illud Gregorij Theologi vsurpare:

γεγφὸς διδάσκει τὸ πλέον τοῖς ἐκτύποις.

ita nunquã silent eius Musæ, ita hoc ocio (cuius non minus, quàm negotij rationem extare oportere dicebat Cato) tenet & statum & dignitatem suam, vt omne tempus subseciuum in quærendo, discendo, & scribendo cõsumat, tãtus est innatus in eo cognitionis amor & scientiæ: tantus ardor studij, tàm inexhausta auiditas legendi, vt satiari non possit. Quid verò? (inquit Marcus Piso apud Ciceronem) qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem, omniaq; perpeti ipsa cognitione & scientia captos? & cum maximis curis & laboribus compensare eam quam ex

discendo capiant voluptatem, mihi quidem Homerus huiusmodi quiddā vidisse videtur, in iis, quæ de Syrenum cantibus finxerat. Neq; enim vocum suauitate videntur aut nouitate quadam & varietate cantandi reuocare eos solitæ, qui præteruehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, vt homines ad earum saxa discendi cupiditate adhæresceren: ita enim inuitauit Vlyssem:

O decus Argolicum, qui puppim flectis Vlysses,
Auribus vt nostros possis cognoscere cantus?
Nam nemo hæc vnquam est transuectus cærula cursu
Quin prius adstiterit vocū dulcedine captus:
Post varijs auido satiatus pectore Musis
Doctior ad patrias lapsus penetrauerit oras.

PETRVS GVALTERI CHABOTIVS PHILOSOPH
Vt legit Libros Gualteri Phoebus, hic, inquit,
Solus habet Flacci pectora dia mei.

PETRVS GVALTERIVS
Chabotius.

QVOD mihi iam inde vsq; ab ingressu huius operis fuit in animo commendare literarum studiosis recta & honesta variarũ virtutum studia, vitis ac moribus virorum præsertim eruditorum ante oculos eorum coràm positis: quo maiores eorum animos facerem, atque ad consimilia his studia vehemẽter colendum excitarem. Idem nunc quoque mihi præstandum videtur, vita & moribus Petri Gualterij Chabotij ijsdem hic propositis, valde tamen, quod superstes esset recusantis. Id autem eò libentiùs equidem feci, quod vetus & summa inter nos necessitudo, & hominis dignitas gratam istius nominis commemorationem posteris à me tali officio

requireret. Vnde mihi data est copia faciliùs & veriùs de ijsdem existimandi, penitusque cernendi, quali ipse ingenio esse possit. Itaque primus huiusce considerationis gradus secũdum Deum opt Max. è sapientum virorum sententiis naturæ debetur, alter doctrinę, tertius moribus, quartus denique commodis & incommodis, quę ex illis consequi solent. Quod cum ita sit, ex eiusdem naturę arbitrio tam est certũ, quam quod certissimum, hæc, patriam, parentes, totumq; animi & corporis habitum pendere.

Patria igitur Petri Gualterij Chabotij, cuius effigies non tam corporis quam humanitatis & probitatis hic expressa oculis cernitur, fuit oppidulum nomine Sanlupum, in agro Pictauino situm, & ab his tribus oppidis Parthenço, Thoartio & Monconturio tria circiter Aquitanica miliaria dissitum. Parentes quoq; ipsius minus, quam ipsum solum, noti fuerunt. Non idcirco tamen si familia ipsorum, aut loci, aut natalium obscuritate, aut possessionis cõditione minus celebris visa est multis, desiit apud popu-

populares ſuos, & morum probitate atque famæ commendatione, honeſtatē nominis habere. Vnde non iniuſta illi defuit cauſa, de iiſdem hoſce verſus more Flaccij vſurpandi:

Nil me pœnitet ſanum patris huius;

& cuiuis ſine arrogantiæ metu proponendi,

Vt quantum generi demat virtutibus addat.

Quippe qui olim ſæpe ſapientum apophthegma legiſſet, *Non ciuitate ciuem, nec domo dominum, ſed ciue ciuitatem, & domino domum eſſe cohoneſtandam:* atque adeò miſerum eſſe alienæ incumbere famæ. Patrem eiuſdem audio fuiſſe Petrum Gualterium, Pancratij Gualterij filium, & matrem Ioannam Chabotiam. Chabotij F. Elæopolas. E quibus verò, quo & eius anni menſe, qua & cuius diei horâ in primam huius lucis vſurā prodierit, nihil omnino mādatum ſcriptis eſt repertum, ſed fando tantum à propinquis multisq; vicinis acceptū, ipſius ortum ſub 1516. cecidiſſe. De quo quidem horæ natalitiæ momento nihil poſtea ipſe dicitur laboraſſe, ne qua fortaſſis eundem anxia cupiditas adeundi & conſulendi fatidicos inceſſeret,

ret, è quibus sollicita percõtatione postea quæreret de certo vitæ curriculo atq; euentis ipsi futuris. Vnde præter Prophetarum oracula hi versus Sibyllæ è Græco conuersi atq; vulgo iactati debent animos Christianorum procul se vocare.

Neq; in Chaldæorum prædictionibus versentur,

Neq; scientiam astrorum tractent. Sunt enim omnia fallacia.

Quod pluribus hic probandum mihi videtur, hisce præsertim temporibus & hominum moribus, propter nonnullos ex his, talibus promantijs Matheseos mancipatos, atq; tanta stultitia obcœcatos, vt ijdem conuersionibus orbium cœlestium (quales Ouidius describit lib. 2. Metamorphoseos:

Adde quod assidua rapitur vertigine cœlum,
Syderaq; alta trahit, celeriq; volumine versat.)

tantam impie tribuãt vim in corpora inferiora, vt quæ diuiniores ex Philosophis verè ac piè Deo Opt. Max. adscripserũt, quod vigeat, quod sentiat, quod meminerit, quod præuideat,

deat, quod tàm gerat & moderetur id corpus, cui præpositus est, quàm hunc mundũ administret, huic detracta impio sacrilegio rebus ab ipso creatis & animæ expertibus attribuere minime vereãtur. Vnde homines sic obcœcati primùm lib. 2. de diuinationibus à Cicerone merito seuocantur in prædictione & notatione cuiusq; vitæ ex natali die minime Chaldęis credendum esse, idq; ex disputatione Eudoxi apertè docetur. Huius deniq; rei demonstratio cognosci potest ex altera disputatione Phauorini apud Aulum Gellium, cap. 1. libr. 14. qui philosophos deterrere volens ac depellere adolescentes à Genethliacis istis, & quibusdam id genus, qui artibus prodigiosis futura omnia dicturos se pollicentur, nullo pacto adeundos consulendosque huiusmodi argumentis concludebat.

Aut aduersa, inquit, euentura dicũt, aut prosperа.

Si dicunt prospera & fallunt, miser fies frustra expectando.

Si aduersa dicunt & mẽtiuntur, miser fies frustra timendo.

Si vera reſpondent, eaq; ſunt nõ proſpera, iam inde
Ex animo miſer fies, anteq; è fato fias.
Si felicia promittunt, eaq; euentura ſunt, tunc plane
Duo erunt incommoda: & expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit,
Et futurum gaudij fructum ſpes tibi defloraue-rit.
Nullo igitur pacto vtendum eſt iſtuſmodi hominibus, res futuras
Præſagire vane ſtudentibus.

Tertio *Cornelius Tacitus* lib. 17. ſic depingit Mathematicos; hoc genus hominũ eſt potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra vetabitur ſemper. Idem Hiſtoricus lib. 2. Annalium: Senatus conſultum factum eſt ſub Claudio de Mathematicis ex Italia pellendis. E quorum numero L. Pituanius de ſaxo Tarpeio deturbatus eſt, quod cum admiratione ac potius cum irriſione ſpectantium meritiſſime omnium exceptum eſt: quod is qui ſoleret alijs prænunciare futura, non ſibi præſen-

præsensisse, & præcauisse euenturum eiusmodi exitium potuerit. Eodem spectant plura scriptorum testimonia, de veritate Fatidicorum tàm diuina, quàm humana, in eiusdem prælectionibus ad Oden *11. lib. 1. Tu ne quæsieris scire &c.* Postremò quam fuerit verus & pius Michaelis Hospitalij Franciæ Cancellarij de talibus promāticis sensus, Epistola eiusdem libro 3. incipiens; *Cum te nostra diu &c.* ad Carolum Lotharingum Cardinalem Romam profectum aperte sub mediū loquitur, & laudem huius vniuersitatis regendæ ac gubernādæ sic impio sacrilegio detractam Deo grauiter conqueritur.

Impia nam tota dominatur in vrbe Mathesis:
Chaldæi volitantq; domos, atq; atria circum
Tempus ab his certusque dies horaque petuntur:
Et fortuna salusque hominum dependet ab astris.
Sic translata Deo, rerumque hominumque satore,

Omnis ad expertes animæ res gloria transit.

Porro huius ſenis ætates primæ, pueritia & adoleſcentia fuerunt Sanlupi, partim in Grammaticis Latinis leuiter contritæ & occupatæ, partim in domeſticis negotijs procurandis, vt qui natu eſſet ſex aliorum fratrum maximus. Inde ſub annum quartum & viceſimum ætatis, deſiderio addiſcendæ linguæ Græcæ Pictauium abductus fuit. Sed ibidem vix tres Menſes dicitur exegiſſe, cum ecce à primarijs ſuorũ popularium in patriam ad moderandum Sanlupenſium adoleſcentiã inde reuocatur. Quo quidem munere ſexenniũ illum perfunctum cupiditas maior priore proficiſcendi ad celeberrimam Lutetiæ Academiam cepit. à qua quidem profectione, cum patrij Sacerdotes precibus matris Chabotianæ ſubornati eum deterrere atq; auocare conarentur, propoſitis itineris longi & periculoſi difficultatibus, & ſacerdotio in patria remanẽti promiſſo, ſi eius ordinis eſſe vellet, reſpondit: Se ex Epiſtola D. Hieronymi ad Paulinum didiciſſe, præcipuas Sacerdotis partes eſſe, vt ſi quando ipſe de aliquo,

quo, vel fidei, vellegis, vel Sacramentorũ capite, vel deniq; de aliquo alio ſacræ ſcripturæ communi loco interrogetur, ex officio debeat ad interrogata congruenter Euangelicæ veritati reſpondere: ſicut nomen Sacerdotis Latinum & Hierophantæ Græcum videntur præ ſe ferre. quale docendi munus, qui aut per ſegnitiem, aut per imperitiam nõ explere curat, nec poteſt, ex Ezechiele diſcat grauiſſimas pœnas à Deo ipſum manere. Quare meritó ſubijciebat: Vbi ego talem facultatem Lutetiæ percepero, in patriam Deo ſauente rediturus, atque tum votis parentum, & amicorum deſiderio ſatisfacturus ſum.

Suſcepta eſt tandem profectio & peracta anno 1546. menſe Octobri, atq; ætatis ipſius circiter trigeſimo. Inde tres proximos habitationis ab aduentu ipſius in vrbem annos, & ſex menſes poſuit in Philoſophia, quam Audomarus Talæus, & Petrus Ramus eloquentiã horis die bipartitis in Gymnaſio Prælæo profitebantur, ingenti auditorio & frequenti. Quo temporis ſpacio ex legibus Academiæ Pariſienſis

confecto titulum Magistri Philosophici adeptus est. Ex eo nulla prope mora interposita fuit, quin complures honestarum familiarum liberi in ipsius disciplinam traditi sint. Quos tandiu docuit, dum tertio ciuili bello ex commendatione pædonomiæ Gualterianæ, tanquam è quodã fonte, profluxit ad hominum famam: atque hinc etiam ad existimationem D. Michaelis Hospitalij Franciæ Cancellarij dimanauit: qui mox negociũ dedit regiis Professoribus Petro Ramo & Ioanni Mercero illi Eloquentiæ & Philosophiæ, huic literarũ Hebraicarum, vt ex illo percontarentur, an susciperе vellet prouinciam sex ipsius Nepotes rure ad tempus aliquod instituendi. Ille verò tantæ personæ requirentis autoritate, tamq; amico internunciorum hortatu facile impulsus conditionem accepit, atque in ea duodecim annos permansit, quinque superstite Cancellario, & reliquos septem eodem non sine multis omnium bonorũ querelis desiderato. Totum autem illud temporis spacium in soceri & generi D. Bellebatij rusticis ædibus, dum Gal-

Gallia incendio discordiæ ciuilis miserè conflagraret, traductum fuit.

Porrò de animi & corporis habitu, simulq; de doctrina & moribus nihil est nominatim traditum. Ex ipsius tamẽ prælectionibus in omnia Q. Horatij Flacci Poemata tanquam ex fructuosis Indicibus non mediocriter probatis, bona talium qualitatum pars, earumq; laudabilium se passim aperit, atq; inde colligi facile potest. Vnde quam studiosus ille fuerit virtutis, optime cuiuis perspicere licet. Cuius vna prudentia si non in moralibus virtutibus numeratur, quod tãtum in delectu bonorum & malorum cernatur, & virtus mentis habeatur, à prouidendo Ciceroni dicta, vnde oculus animæ à Platone in Menone vocatur, cuius vnius comitatu homines ducuntur ad recte agendum, eius tamen semina passim in iisdem prælectionibus conspiciuntur sparsa. Ex eo Gualterius cognoscitur non paucus iustitiæ cultor fuisse: primum cum in eodem Poemate animaduertit Ethnicos scriptores veram conditæ huius vniuersitatis & conseruatæ atque admi-

administratæ, laudem tribuere Deastris suis detractam per detestabile sacrilegium Deo vero, & in sancta Triade vni, id impie nefarieque factum grauiter indignatur, atq; Lectores taliũ locorum ab hoc iniustitię atque impietatis genere, quantum in ipso esse potest, deterrere in primis studet: præmonens Deum compensare solitum tarditatem suæ vindictæ, acerbitate supplicij, nõ multo post futuri reis talis impietatis. Deinde quod ibidem debitum veteribus huius Vatis interpretibus grate deferat honorem, tametsi aliam ab iis iniisse viam, & rationem interpretandi videtur: Quod vsum trium organicarum artium, Dialecticæ, Grãmaticæ Rhetoricæ, pro ipsius modulo, p̃ter alios interpretes declaret. Vbi in frõte singularum Odarum, Satyrarum, Epistolarum, prçcipuam collocat rei propositæ quæstionem, ad quam arguendam, tanquam sagittam ad scopum petendum, primum collimat, argumẽta singula simpliciter disponendo, id est, axiomaticôs enunciando, & si fieri potest, dianoeticôs colligendo. Qua etiã Methodo vsus sit autor propositus

positus explicando; Deinde quibus ex verbis, proprijsne, quorum proprietates sola Grammatica interpretari debet, an tropo aliquo immutatis constent axiomata ipsius autoris singula; Postremò quæ & quot figuræ tam dictionis quam sententiæ sint adhibitæ. Horum certe obseruationem ille jure sibi potest sine controuersia vindicare, nihil ex ista laude quisquam è veteribus huius Lyrici Poetæ explanatoribus ei sine iniuria decerpere potest, cuius quidem possessio iam inde vsque ab anno 1573. ante obitum D. Michaelis Hospitalij adita fuerat. Sed huiusmodi tempestates in Gallia sunt consecutæ, vt dominus talium prælectionum intermittere Operis editionem vsq; ad annum 1587. coactus sit, quæ tandem Basileæ per Leonhardum Ostenium Typographum, emissæ interiectum 14. annorum habuerunt. Ad hęc notæ Grammaticæ, quæ videntur relinqui cõmunes & veterum & recentium interpretum, habent in prælectionibus Gualterianis, quod eximi debeat ex illâ communione, id Varroni & Fab. Quintiliano dicitur originatio, ea est

notatio Ciceroni, quæ frequenter ac fere passim hic obseruatur, tam in Græcis vocibus, quã Latinis, quarum etyma, quantũ ipse studeam mecum recolere, non equidem facile possum recordari, vtrum aliquando in alijs huius Poetæ, nisi perpauca, explanatoribus, legerim. Quod cũ ita sit, non temere inquisitio & inuestigatio talis, originationis proprie & merito mihi videtur soli Gualterio attribuenda. Fortitudinis quoq; hic senex quandam speciem præbuit, iam inde ab inceptione Horatianæ interpretationis, vt præfatio eiusdem ante librum Carminum indicauit, quod quamuis longe animo perspiceret, opus institutũ, multarum fore vigiliarum & laborum, ad id tamẽ fortiter aggrediendum, omnium istorum difficultatem neglexit. Illud etiam non demissi fuisse animi nemo negauerit, quod nonnulli de perfecta iam & absoluta superiorum interpretum explanatione sic firmissimè asseuerãt: neminem hodie nisi impudẽter temerarium, post eruditas tot doctorum interpretationes posse quicquam explanationis nouæ in Lyricum

cum Poetam tentare, quin actum agere iudicetur. Istud quidem obiectum licebit credo Gualterio, per veniam candidi Lectoris diluere, si ad illud Scirachidæ exemplum cap. 13. licet videatur esse argumenti longe huic dissimilis, ostenderit primũ se conformasse. *Quanquam ego nouissimus euigilaui, tanquam racemator post vindemiatores, profeci tamẽ per gratiam domini, & perinde atq; vindemiator lacum impleui. Considerate me nõ mihi soli laborasse, sed omnibus iis, qui disciplinam quarũt.* Deinde cõsilium & autoritatem D. Augustini cap. 1. lib. 1. de Trinitate in suo instituto secutum esse: *Vtile est*, ait hic doctor, *ijsdem de rebus plures à pluribus diuerso stylo fieri libros, vt lumen vnius videatur alterius tenebris.* Huc postremò accedit illud Ausonij ad Symmachum: *Alius alio plura inuenire potest, nemo omnia.* Quantæ verò diuersitatis atq; differentiæ sint priores Q. Horatij explanatores ab hoc, cuius forma est hic Lectori depicta, non est admodum opus acri intentione ad diiudicandum. Cuiuis enim vel mediocriter docto facile totus genere inter-

ptationis ab illis diuersus videbitur. Affectus autem animi tam confidentis extitit illi præcipue ex approbatione Dn. Michaelis Hospitalij, collectâ, de quadam analysi vnius & alterius Odes, quondam Nepotibus ipsius dictatâ, vt in Præfatione ante Odas fuit cõmemoratum. Idem præterea habitus animi eluxit in eo maxime per naufragium recularum suarũ & curtæ supellectilis ter diuersis belli ciuilis tẽporibus, factum, patienterq; ac fortiter, per alleuationem diuini spiritus acceptum. Quod aliquando si Deus permiserit, publicæ posteritatis memoriæ tradetur, atque imprimis postremum, vt alijs duobus primis grauioris anxietatis & dispendij, cuius eiectamenta illum audio nondum grauibus curis & laboribus, anxietateq; iure persequendi defunctũ esse. Huic inseretur per quandam Historiæ speciem, maximum capitis & vitę periculum, extremumque pene discrimen, in quod multis visus est diuersis tempestatibus sæpe adductus. Quæ præterea temperantiæ documenta ille paucis familiaribus atque discipulis dedit? Hi certo retulerunt, eum ita semper temperatis

moderatisque moribus fuisse, vt victu & reliquo vitæ cultu pertenui vti continenter visus sit: identidē illud Seirachidæ vsurpans: *Quam pauca honeste instituto sufficiunt: Viuitur pauco bene:* illud quoque Hippocratis 6. epidemiôn: *adsit proba exercitatio, satietas vitetur, labor impigre adeatur:* illud deniq; grata recordatione sæpe recolens è Seneca Philosopho: *Hanc sanam & salubrem vitæ formam teneto, vt corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini satis est, duriùs tractandum est, ne animo male pareat: Cibus famē sedet, potio sitim extinguat: Vestis arceat frigus, domus munimentum aduersus infesta corpori, hanc vtrum cespes euexit an varius lapis gentis alienæ nihil interest, scito hominem tam bene culmo quam auro tegi: contemne omnia quæ superuacaneus labor velut ornamentum ac decus ponit. Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.* Ex his facile cognoscit Lector, eum in vario disciplinarum genere feliciter versatum. Sed idem multo clarius ex ipsius Prælectionibus in Horatiū Lyricum Poetam intelliget, si in earum lectio-

nem inciderit. Tale porrò Temperantiæ ſtudium extitit illi cauſa, cur ſemper vel iuuenis intereſſe ſodalitatibus epuliſque ampliſſimis pertinaciter recuſarit. Thamyres, ſolarium, Campum Martiũ, alias deniq; celebres vrbiũ plateas rarò frequentauit, quo populus percupide peruenire ſolet confabulandi multoque cupidine rumuſculos aucupandi gratia. Ille adeò ſolitudine delectatus eſt, vt meritò audire apud quoſdam videatur, paucorũ hominum pauciq; ſermonis homo: de quo ſæpe à me & ab alijs amicis admonitus, id vitio aſperæ cuiuſdam naturæ, humanamq; ſocietatem exoſæ verti ſolitum, grate reſpondit: Non equidem ſum inſcius *ſic ſolitudinẽ & frequentiam vt motum & quietem ad conſeruationem bonæ valetudinis miſcenda & alteranda eſſe, vt ſolitudo ſanet odium turba, & turba leuet tædium ſolitudinis: illa nobis faciet hominum deſiderium, hæc noſtri; & erit altera alterius remedium, nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad iocos reuocanda, atq; poſt inde in eremia & ſeductu tranquillo alacriter reponenda.*

Verum

Verum enimuerò etsi probe factus essem natura, vt illis consimilia possem inoffensus exequi decenter, præsens tamen corporis mei habitus inde retrahere me necessario deberet: crebra meiendi orexis, audiendi grauitas, mãdendi imbecillitas, frequens alternatio deambulandi & conquiescendi propter ramices inguinum, quorum affectuum primus à cõgressu secessum requirit, alter aut taciturnitate, aut absurda ad propositum responsione auditorẽ suspensum fatigat: tertius cibos molles & cõcisos auide inhiat: quartus deniq; socium alterutrius aut deambulandi aut requiescendi cogitur subinde quærere. Cuius quidem quadruplicis casus neminem puto reperiri posse, quem sic affectum non suppuderet colendæ cuiusdam societatis. Ad extremum hac viuẽdi ratione continẽtiâ & abstinentiâ Deus Opt. Max. eum cælibem perduxit ad ætatem octogenariam satis adhuc per superiores affectus tolerabilem. In qua quisq; si iuuenis bene viuere studuerit, debet etiam atque etiam senex cogitare vt bene tandem moriatur: Bene autem

tem mori hic interpretamur nõ more Stoicæ ſectæ, rigidiſſimæ alioquin virtutum cuſtodis, cum quis effugerit male viuendi periculum, ſed ritu diuinæ ac cœleſtis Philoſophiæ, cum quis præſidio fidei in Ieſum munitus, & per eundem miſericordia Dei fretus & innixus ab hac terreſtri & caducâ vitâ fidenti animo in cœleſtem & æternam tranſierit. Vnde poſtremus illius actus, tanquam Comœdiæ, poterit meritò lætus & plauſibilis prædicari: atque adeò non inutilis documento reliquorum ſuperſtitũ recte iudicari. Porrò edita eſt eiuſdem Chabotij Pictonis Sanlupenſis expoſitio analytica & breuis, in vniuerſum Q. Horatij Flacci poema, ex ipſius Cõmentarijs maiorum vigiliarum ac triplicis artificij breuiter exſcripta, vtiliterq; ad ſenſum vatis facile exprimẽdum, & ad memoriam Lectoris non mediocriter iuuandam accommodata, in octauo Pariſijs anno M. D. LXXXII.

IOANNES POSTHIVS ARCHIATER PALATIN'
Te poſti te phœbus amat ſeu carmina pangas
Pœonia ſeu tibi ab arte deeris

IOANNES POSTHIVS MEDICVS.

IOANNES Posthius aulæ Palatinæ Archiater, vir omni genere literaturę excultissimus, non Medicinæ solũ, sed & vniuersæ Philosophiæ secreta exacte callẽs, & Poeta doctissimus, nascitur Germersheimij, in vrbe Palatinatus ad Rhenum anno 1537. parentibus Ioanne Posthio, eius vrbis ciue honorato & Anna Vilmanna à Zeisheim: qui cum puer insignia felicis indolis redderet testimonia, annum iam agens nonum institutioni Ludimagistri in patria cõmittitur. adultior deinde factus mittitur Heidelbergam ad Nicrum Academiam illustrem, vbi viri doctissimi Thomas Erastus Medicus & Philosophus eruditissimus, Petrusq; Lotichius Poeta inter Germanos suo tẽpore primus, alijq; permulti viri doctrinâ illu-

ſtres viuebant. Horum familiaritate & amicitiâ per *annos duodecim* continuos tantum in bonis diſciplinis profecit, vt cum eruditis quibuſq; conferre poſſet: pronus enim in ſtudia & inueſtigationem rerum naturalium ferebatur, vt erat promptus, ſolers & vigilans, quiq; nulli labori parceret, quo poſſet ad cognitionẽ abſtruſioris Philoſophiæ peruenire. Ideò cum nullam literaturæ partem intactam reliquerit, peculiari tãdem inſtinctu medicinam elegit, in qua ſe totum exerceret: quod eius perfecta cognitio cõſtet ſcientia rerum diuinarum humanarumq;. Huic vt commodius & maiore cum profectu vacare poſſet, Germaniam relinquens in Italiam iter ſuſcepit, Patauium potiſſimum, vbi celeberrimi totius orbis videntur medici: ſtimulabatur enim peculiari deſiderio videndi nationes exteras, & ex cõuerſatione familiari cũ doctiſſimis quibuſq; animũ polire; quippe vt erat ingenio excitato, prompto, alacri, aperto & candido, moribuſq; commodis, nihil niſi arduum meditabatur moliebaturq;. In Italiam igitur profectus doctiſſimis

ſeſe

seſe associauit, qui potissimũ in facultate Medicâ operam impendebant. In horto Simplicium (cui præerat longa experientiâ, peregrinationibusq; in Oriẽtem susceptis celebris ac singulari comitate præditus Guillandinus) assidue versabatur, discens continua scrutatione vires & virtutes herbarum, quoque modo prę-parari, ex ijs succi elici, & quibus morbis applicari possent. Cumque Patauij aliquandiu hæsisset, vlterius progrediendi studio raptus, Venetias Medoaco secundo descẽdens peruenit, lustrataq; diligenter ea vrbe (quam non absurde Accius Sincerus cum Roma cõferens, Romam Ioui, Venetias Neptuno tribuit, & Epigramma hoc versu iucunde claudit:

Illam homines dicas hanc posuisse Deos.

Hadriacum mare nauigans ad Faletũ naufragium passus de vita periclitatus est, sed Dei beneficio ex hac tempestate ereptus Bononiam iter conuertit: vbi postquam aliquandiu moratus esset, Apenninum traijciẽs Florentiam venit, deinde Senas, vbi arctissima necessitate & amicitiâ conuersatus est cum Ioanne

Scora & Franciſco Boninſignio Medico præſtantiſſimo : neque his contentus, vt erat animo ad Poeſin procliui, in qua tantos iam profectus fecerat, vt dulci carminum harmoniæ omnes in ſui amorem & admirationem pelliceret, Camillum Falconetum Poetam inſignẽ cõuenit, & cum eo de metrorum varietate ſeriò contulit. Paulo poſt Romam profectus nihil prius habuit, quàm cum Marco Antonio Mureto Gallo, cum Laurentio Gambara Brixiano de ſtudijs bonarum literarum communicare, & cum alijs plurimis literatis viris, quibus Roma ſemper abundauit, maxime cum magno illo & illuſtri tam generis nobilitate, quàm doctrinâ Fuluio Vrſino, qui peregrinũ neminem literatum à ſe dimittere ſolitus eſt, quin de eo bene mereri ſtuduerit. Poſtquam itaque inter Italos biennio integro manſiſſet, luſtraſſetq; ſolerti indagine, quæcunque in illa florentiſſima Europæ parte conſpiciuntur, Liguſtico mari in Galliam profectionem ſuſcepit, atq; in ea nauigatione in pyratas Turcicos incidens, parum abfuit, quin latronũ præda

factus, ad triremes daretur, vel misera lamentabiliq; seruitute reliquum tempus vitæ exigeret. Nautarum tamen sedulitate & tenebris nocturnis adiutum Deus misericors vento secundo ad Massilienſem portum cõpulit, vbi aliquot diebus corporis vires nauigatione difficili debilitatas refecit, & inde Montem Pessulanum celeberrimam Galliæ Academiam properauit, vbi auditor fuit Guilielmi Rondeletij, Antonij Saportæ, & Laurentij Iuberti, qui eo tempore Medicinam ſumma auditorũ frequẽtia & laude docebant & faciebant. Mõte Pessulano Parisios se contulit, idemq; prẽstitit in ea vrbe, quod hactenus fecerat in Italia & alibi, nempe ex frequentatione virorum doctorũ, tanquam apis sedula, animum expoliens omni sciẽtia & virtutibus, quæ ad hanc humanam ſocietatem conducunt. Postquam autem ſumma cũ laude Doctoratus insignia accepisset, Galliam reliquit & in Belgium venit, atque in florentissima illa Brabantiæ ciuitate Antuerpiana sesquiennium praxin medicam exercuit, omnibus propter singularem doctri-

doctrinam ſucceſſum in Medicina felicem, facilitatemq; & candorem morũ acceptiſſimus. Ibi Germanis Mercatoribus (qui ex omnibus Germaniæ locis in illud celeberrimum Emporium frequentes conueniunt) ſtatim innotuit; qui eius famam longe lateque publicarunt, factumque eſt, vt ab Epiſcopo Duce Franconiæ Herbipolim ad Mœnum euocatus, primariũ inter Medicos locum adeptus ſit per annos ſeptendecim. Vbi vxorem duxit Roſinam, Virginem lectiſſimam, Chiliani Broſameri filiam. Puella quod eſſet claris nata parentibus, ſingularibusq; corporis animiq; dotibus excultiſſima, vnice à Poſthio dilecta eſt, quam ipſe deinceps ad imitationem antiquorum Poetarũ doctiſſimis & lepidiſſimis ſuis carminibus ſub nomine Blandinæ celebrauit, vt teſtantur poemata illius terſiſſima, quæ hodie manibus doctorum paſſim verſantur. Ex hac Poſthius dum adhuc eſſet VVirtebergi filium ſuſcepit. Eraſmum, etiamnũ ſuperſtitẽ. In ea vrbe (præter Epiſcopum aliosq; optimates) intima amicitiâ ſemper vſus eſt Eraſmi Neuſteteri Equi-

tis

tis Franci Canonici VVirteburgenſis & Bambergẽſis, Decaniq; Coburgenſis, hominis eruditiſſimi & de literatis omnib⁹ optime meriti, cuius fauore & patrocinio in omnibus vſus eſt, quandiu apud Herbipolitanos vixit. Atq; pro acceptis beneficijs ne ingratus aut immemor iudicaretur, illi ſua Poemata dedicauit. Præter hunc habuit amicum Muſis & Apollini cariſſimum virum Nithardũ Tungenum VVirzburgenſis Eccleſiæ Decanum, & Conradũ Dinnerum Acronianum plurimoſq; alios inſignes viros, tam Eccleſiaſtici quam Politici ordinis, quos ſingulari ſtudio coluit & ab ijs mutua beneuolentia cultus eſt. Cum ergo nomen eius per vniuerſam Germaniam celebre redditum eſſet, vt eius doctrina honorariâ aliquâ mercede compenſaretur, Rudolphus II. Romanorum Imp. illum laureâ poeticâ vltro donauit. Demum Heidelbergam ad Nicrum accerſitus eſt à Friderico Electore Principe Palatino, vbi Archiatri munere magna cum laude functus, opibus, honoribus & bonorum omnium amicitiâ abunde cumulabatur. Vir

doctrinam ſucceſſum in Medicina felicem, facilitatemq; & candorem morũ acceptiſſimus. Ibi Germanis Mercatoribus (qui ex omnibus Germaniæ locis in illud celeberrimum Emporium frequentes conueniunt) ſtatim innotuit; qui eius famam longe lateque publicarunt, factumque eſt, vt ab Epiſcopo Duce Franconiæ Herbipolim ad Mœnum euocatus, primariũ inter Medicos locum adeptus ſit per annos ſeptendecim. Vbi vxorem duxit Roſinam, Virginem lectiſſimam, Chiliani Broſameri filiam. Puella quod eſſet claris nata parentibus, ſingularibusq; corporis animiq; dotibus excultiſſima, vnice à Poſthio dilecta eſt, quam ipſe deinceps ad imitationem antiquorum Poetarũ doctiſſimis & lepidiſſimis ſuis carminibus ſub nomine Blandinæ celebrauit, vt teſtantur poemata illius terſiſſima, quæ hodie manibus doctorum paſſim verſantur. Ex hac Poſthius dum adhuc eſſet VVirtebergi filium ſuſcepit Eraſmum, etiamnũ ſuperſtitẽ. In ea vrbe (præter Epiſcopum aliosq; optimates) intima amicitiâ ſemper vſus eſt Eraſmi Neuſteteri Equi-

tis

tis Franci Canonici VVirteburgenſis & Bambergẽſis, Decaniq; Coburgenſis, hominis eruditiſſimi & de literatis omnib⁹ optime meriti, cuius fauore & patrocinio in omnibus vſus eſt, quandiu apud Herbipolitanos vixit. Atq; pro acceptis beneficijs ne ingratus aut immemor iudicaretur, illi ſua Poemata dedicauit. Præter hunc habuit amicum Muſis & Apollini cariſſimum virum Nithardũ Tungenum VVirzburgenſis Eccleſiæ Decanum, & Conradũ Dinnerum Acronianum plurimoſq; alios inſignes viros, tam Eccleſiaſtici quam Politici ordinis, quos ſingulari ſtudio coluit & ab ijs mutua beneuolentia cultus eſt. Cum ergo nomen eius per vniuerſam Germaniam celebre redditum eſſet, vt eius doctrina honorariâ aliquâ mercede compenſaretur, Rudolphus II. Romanorum Imp. illum laureâ poeticâ vltro donauit. Demum Heidelbergam ad Nicrum accerſitus eſt à Friderico Electore Principe Palatino, vbi Archiatri munere magna cum laude functus, opibus, honoribus & bonorum omnium amicitiâ abunde cumulabatur. Vir

comitate & integritate vitæ nulli ſecundus, corpore gracili, ſtatura mediocri, ac quod dolendum erat, valetudine parum firmâ, quem & podagra ſubinde afflixit, impedijtq; doctas illas meditationes, quibus ſuum nomẽ doctis ſcriptis poſteritati cõmendabat. ſcripſit enim omnibus doctis laudatiſſima poemata, quæ inſcripſit Parerga poetica. Extant etiam eiuſdem hymni ſuper Euangelia dominicalia, Rhithmis Germanicis ab eodem cõpoſiti. Itẽ obſeruationes quædam Anatomicæ, & alia multa ad artem Medicam pertinentia, quæ cum plauſu & Medicorum vtilitate leguntur. Obijt Heidelbergæ Anno 1597. Menſe Auguſto.

PAVL. MELISS'
FRANC. COMES
PAL. ET LAVR. EQ.
CIVIS ROMAN
Teutonici Vates vemant et pignore certo
Victor erit culto carmine Francus olor.

PAVLVS MELISSVS SCHEDIVS FR. EQ. ET POETA.

PAVLVS MELISSVS Schedius, Anno Christi 1539. die 20. Decembr. sesquihorâ ante meridiẽ, sub eleuatione graduum 50. in lucem editus Melrichstatũ habuit Patriam, ab ipso Alphipolim dictam, oppidum Franconiæ orientalis. Patrem habuit Balthasarem Schedium, Matrem Otiliam Melissam, Polichios & Mergiletos consanguinitate attingentem. Melissus autem anno ætatis septimo primũ frequentare cepit Scholam publicam in patriâ, puer indolis promptissimæ, & qui parentibus optimam tum de se præbuerit spem, ad Poesim & Musicam admodũ pronus, vt & ad picturam. Deinde ętate prouectior post bellum Marchionicũ Erphordiam profectus Christophorum Hofmannũ audiuit: Post Cygneam Misniorum vrbem ad

Moldauam amnem adijt, vbi vixit ab anno 1554. vsq; ad 1557. Erasmo Rudingero Pabenbergensi, Ioachimi Camerarij genero Præceptore vsus. Hinc Ienæ Tyringorum audiuit Victorinum Strigelium, in Dialecticis, Ioannem Stigelium, in Poesi, aliosq; viros doctissimos. Anno 1561. Danubio descendens Viennam Austriæ profectus, in græcis auditor fuit Georgij Tanneri I. C. & VVolfgangi Lazij Historici familiaritate suauissime vsus est, coniunctissimus simul Casparo Cropacio Poetæ laureato, ante condiscipulo eius Cygneæ, vbi & Olorem suauissima cantantem audiuisse se & vidisse asseuerat. aluntur enim in fossarum vrbis aqua limpidissimâ stagnante cygni complures. Is dum in Archigymnasio Viennensi viueret, creatur à Ferdinando Romanorũ Imp. Poeta laureatus, & inter nobiles refertur, qui honos illi collatus est postridie Kal. Maij anno 1564. erat enim Melissus tum Imperatori & filio eius Maximiliano II. gratus, tum Consiliarijs, præcipue verò Seldio & Zasio, maximæ autoritatis viris, carissimus non solum propter doctri-

doctrinam & virtutes eximias, sed & propter mores castos, pudicos & ad omnem honestatem compositos. Ab obitu Ferdinandi Imp. contulit se Pragam Bohemiæ. Illinc discedens & Albi flumine descendēs VVittebergam venit, inque conuictu Pauli Eberi viuens, ibi Vitum Ortelium VVinshemiū in Græcis & Casparum Peucerū, Philippi Melanchthonis generum, in Historicis, Rudigerum, in Physicis, & Ioannē Maiorem in Poesi audiuit. Mox Lipsiæ constitutus, Ioachimi Camerarij auditor fuit, quo in loco cum degeret, literis Friderici, Episcopi VVirzburgensis euocatur in aulam VVirzburgēsem. verum haud multū illic moratus in Austriam se recepit, & in aulâ Maximiliani II. Rom. Imper. per biennium vixit, prę-fectus quadraginta duobus armigeris adolescentibus nobilibus, inter quos erant complures illustri genere nati. Interfuit Comitijs Augustanis Anno 1566. operâque Hieronymi VVolffij viri eruditissimi, peruenit ad noticiā Ioannis Baptistæ Heinzelij Consulis. Æstate illâ Liber primus illius Cantionum Harmoni-

monicarum typis excusus publice prodijt. Sub eodem Maximiliano Imperatore militauit in Hungaria, vbi & patrueles duo ipsius, Ioannis filij, aderant, Martinus nempe Schedius, qui ante fuerat signifer in Liuoniâ, & Ioannes, qui postmodum in Gallicâ illâ clade ad Monconturium occubuit. Anno 1567. profectus per Belgium in Galliam comite itineris Ioanne Lobetio Iurisconsulto experiẽtissimo, cum substitisset aliquandiu Lutetię, salutassetque Petrum Ramum, Dionysium Lambinũ, Ioannem Auratum, Erricum Memmium, audiuissetq; Professores regios, contulit se Aurelianum ad Ligurim, vbi incidit in tumultus illos bellicos, qui mouebantur die 29. Septemb. per totum regnum ob diuersitatem religionis. Anno 1568. Io. Casimiri Principis Palatini exercitu in Galliam pro defensione principum sanguinis regij introducto, cum secederet in Burgundiam, bis captus fuit; primũ quidem à præsidiarijs militibus Gallis oppido Charitensi erumpentibus, deinde ab iniuriosissimis Hispanien sibus Dolæ. Vesuntionem Sequanorum

norum vrbem vbi attigisset, hæsit ibi per tres menses, delectatus admodum loci amœnitate & ciuium comitate. Inde per Iuram montem (in cuius summitate orientem versus visu notati numerantur XIV. lacus) ad Lemannum se conferens, Geneuæ Allobrogum diutius commoratus est; familiaritate vsus Christophori Principis Palatini, Francisci Porti Cretẽsis, Theodori Bezæ, Henrici Scrimgeri, Petri Pithœi, Henrici Stephani & aliorum. Vixit etiam Lusannæ & ruri in parte citeriore lacus Lemanni, æstiuo præsertim tempore. Demum Spiram ad comitia, quæ Maximilianus Imperator indixerat, venit anno 1570. eâq; occasione Heidelbergam ad Fridericum III. Electorem Palatinum. Inde rursum in Allobrogas & Burgundos tetendit, quo itinere confecto ad Nicrum redijt anno 1571. vbi omnes psalmos Dauidis ad melodiã Gallicam rhithmis Teutonicis componere aggressus, anno sequente 1572. priores quinquaginta in lucem emisit. Sub annum 1575. missus est ab Electore Palatino Friderico, vnâ cum Legato Ducis Alen-

zonij ad Imp. Maximilianũ II. & ad Electores cæteroſq; Imp. Principes, cum Caſimirus iam ſecundo exercitũ in Galliam duxiſſet. In Italiã tandem poſt obitum Friderici II. iter adornauit, anno 1577. ibiq; hęſit non vno in loco, vſq; per æſtatem anni 1580. Patauij biennium fere cõmoratus audiuit Tiberium Decianum, Ioannem Cephalũ & Ioannem Menochium Iuriſcõſultos, Riccobonũ Oratorem &c. cumq; Italiæ amœnitate mirũ in modum delectaretur, ſtatuit, quantũ fieri poſſet, illuſtres illas vrbes Lombardię, Inſubrum, Ligurię, Hetrurię, & aliarum regionum exactius perluſtrare. Romæ quotidianus erat in Bibliothecâ Vaticanâ, ibidemq; Marcum Antoniũ Muretũ, Achillem Statium, Petrum Angeliũ Bargęum, Fuluium Vrſinum, Herculem Coſmum ſæpius conuenit. Florẽtiæ Petrũ Victorium, Bononiæ & Romæ Carolũ Sigonium: à quibus omnib. extant Epiſtolæ ad Meliſſum quam humaniſſime ſcriptæ. Senæ Hetruſcorum annum integrum vixit, ab Alexandro Picolominæo viro in Græcis & Latinis literis eruditiſſimo aliquoties

ties inuitatus. Anno 1579. cum redijſſet Patauium, creatus eſt 10. Kal. Nou. ſoléni actu, Comes Palatinus, Eques auratus & Ciuis Romanus per illuſtrem virum Ferdinandũ Amadim, idq; ex priuilegio Car. IV. Rom. Imp. Poſteaq; verò Italię valedixiſſet, ſtatuit in Galliam redire & inde traijcere in Angliam, ſed Veronâ cum diſceſſiſſet, & Benacum lacũ tranſmiſiſſet, mutans conſilium Tridentum ad dextrum declinauit, Germaniamq; per Alpes repetijt. Auguſtę non nihil commoratus ſuaſu Hieronymi VVolffij V.C. Norimbergã ſe contulit, & inde Auguſtam ad comitia, quę anno 1582. Rudolphus II. Imp. illic indixerat. Anno 1584. ſecũda profectione in Galliam reuerſus eſt, Metaſque Mediomatricum vrbem ab itinere diuertit, vt Boiſſardum amicum veterem inuiſeret: vnde Lutetiã profectus in ſuburbanis hortis prope ædes Iani Antonij Bayfij habitationem cõmodam & amœnam elegit, & ſequenti anno eius Schediaſmata Poetica tribus partibus cõprehenſa, inter bellorũ ſtrepitus ſecundò typis edi curauit, multò auctiora, quàm prius fuerãt ex-

cusa Francforti anno 1574. Post vindemiã anni 1582. nauigauit ex portu Dipensi in Angliam, offerens Richemonti Elisabethæ Anglorum Reginę sua Poemata, ibiq; per hiemem in aula mansit, quæ Grenouici erat: volebat enim Heroina illa clarissima pariter & doctissima, vt Melissus locum sibi aliquem, quo potissimum delectaretur in regno eligeret, pollicita ipsum regiè à sese sustẽtatum iri. Accidit vt cum quadam nocte Grenouico, vbi tum Regina diuersabatur, secundo Tamesi flumine Londinum versus, cymbâ veheretur, audiret iterũ Olorem dulcissime cantantem. Sed postquam comite itineris Hieronymo Groslotio Lislæo nobili Gallo, cuius maiores ex Francia Germaniæ oriundi erant, qui cum adolescentulo Iacobo VI. Scotiæ Rege sub Georgio Buchanano educatus fuerat, Academias Oxonienſem & Cantabrigienſem, Bibliothecasq; libris veteribus refertissimas perlustrasset, à Reginâ humanissimâ, quę aliquoties ipsum antea sponte sua compellauerat, veniã abeundi impetrauit, ac traiecto Oceano Caletũ versus tertiò in Galliã redijt;

redijt; nã per literas antea reuocatus fuerat in Germaniã, à Ioanne Casimiro Principe, Palatinatus administratore. Lutetiâ igitur digressus cum Baronibus Zernemelijs per Aurelianũ agrum venit in vrbem Bituricensem humanissime acceptus à Iacobo Cuiacio Iurisc5sulto. Inde Lugdunum perrexit, & per mediã Heluetiam iter faciens Basileam attigit: tandem Heidelbergam, quam ille Myrtiletũ appellat, à baccis illis nigellis, quæ magnâ ibi nascuntur copiâ, reuertitur. fuit id anno 1586. Ibi ergo receptus est in numerum Consiliariorũ Principis, eidemq; Bibliotheca Palatina est cõcredita. Porrò cum iam ingraueſcẽte ætate ex peregrinationibus & tempestatibus quasi in portũ delatus videretur, ac senio fulcrum, quo sustẽtaretur, quæreret, hortãtibus amicis, præcipue autẽ Ioanne Posthio archiatro Palatino, anno 1593. vxore ductâ iuuẽculâ nuptias Sept. die 24. celebrauit, cum Æmiliâ Ludouici Iordani IC. qui Palatino dum viueret, fuerat consiliarius, filiâ: ex qua suscepit filium Æmilium & filiam Rosinam. Præter linguam vernaculam, quæ

est Teutonica superior, & eas, quæ in scholis Academijsq; addiscuntur, maxime illi cordi fuerunt Italica, Gallica, Hispanica, item Belgica & Anglica. Hæc cum scriberem anno Christi 1598. qui Melisso finit annum ætatis LIX. viuebat ille & præerat Bibliothecæ, in præcipuo honore apud Sereniſſimum Principem Fridericum IV. Ludouici F. Friderici III. Nepotem constitutus, qui Melisseorum Poematum & doctrina & suauitate mirifice delectabatur, vti & illustriſſ. Princeps Christianus Anhaltinus, qui & ipse miro Poetam affectu complectitur.

Rame tuis Gallis es, quod Latio fuit olim.
Romanj princeps Tullius eloquij.

PETRVS RAMVS.

ETRVS RAMVS natus est in Pago Veromanduorum Quut anno Domini 1515. Eius auus apud Eburones genere fuit nobilis. Sed cum patria capta esset, & incensa à Carolo Burgundionum Duce, recepit se ad Veromãduos, omnibus bonis fortunæ destitutus: ibiq; propter paupertatem ad agrorum cultum redactus est. Rami pater non opulentior, imò deficientibus necessarijs facultatibus, cum non haberet agros quos coleret, artem carbonariam exercere coactus est. Hoc auo & patre natus Ramus animo tamen non defecit. Erat enim illi à pueritia ingenij vis perspicax, promptitudo & industria in omnibus ijs quæ aggrediebatur, sed maxime instinctus naturalis & desiderium ad literas addiscendas. Cum igi-

tur illum tæderet inter rusticos versari, relicto patre Lutetiam se contulit ad Honoratū Carpentarium auunculum, cui inseruiuit aliquādiu, victum frugalem & tenuem ab eo accipiens. Sed cum in hoc seruitij genere non posset libere studijs vacare, quod rebus domesticis occupatus à libris retraheretur; visum est illi commodius fore, si viris doctis suum famulitium addiceret, aliquid semper, quod ad promouenda studia faceret, se auditurum ita existimāti. Collegio Nauarræo exceptus, famulatus est dominis, diurnam laborioſe præstans operam, noctu verò assiduis lucubrationibus vacans, tantum diligentiâ profecit, vt Magisterium & Lauream Poeticam breui adeptus sit. Tum primum illius promptitudine delectati professores, illius conatus certatim adiuuerūt, cōmunicatione librorum, quibus posset eruditi. Erat enim Ramus indefessi laboris, natus ad societatem, cordatus, facilis & corporis habitu venusto, quæ omnia illi beneuolentiam bonorum conciliabant. Cœpit post magisterium alios docere, & se priuatis Lectionibus tanti-

tantisper exercere, donec ad publicum docendi munus videretur aptior. Tusani Græcarum literarum Professoris Regij monitu Logicam suscepit tractandam & explicandam, factumque est, vt anno ætatis vicesimo primo Dialecticam cum animaduersionibus in Aristotelem publicarit. Studiorũ socios habebat Bartholomæum Alexandrum & Audomarum Thalęum. Successus hic primus illi feliciter cecidit multorumq; oculos in se allexit, qui mirabantur tantam in ea iuuentute perspicacitatem & ingenij acumen. Vtque virtus egregia nunquam caret inuidia, æmulos, & suæ diligẽtiæ calumniatores acerrimos expertus est Petrum Galandium, Antonium Goueanum, Ioachimum Perionium & Iacobum Carpentarium. Sed ante omnes infestissimos sensit Sorbonæ Doctores, qui communi omnium sententiâ in Ramum insurgentes, illum hæreseos in Philosophia accusarunt, quod in Aristotelem Philosophorum Principem ausus fuisset scribere. Effecerunt sua autoritate vt Ramo sit interrdictũ in posterũ docere vel scribere in

vllam Philoſophiæ partem. Cumq; non ſine dolore & animi moleſtia remotus eſſet à primo docendi munere, Nicolaus Sapiẽtius collegij Prælæi moderator, illum ad ſe accerſiuit, vt communi operâ & induſtriâ reſtaurarent id Collegium, ſcholaſticis propter contagium peſtis vacuum & deſtitutum. Factumque eſt, vt Rami induſtriâ maior quam antea Studioſorum concurſus eô veniret. Repugnarunt illi atrociter Sorboniſtæ, & Sapiẽtio inuiſum reddiderunt, cum quo tamen aliquot annis tanto candore, tantâ animi moderatione vixit, vt omnibus ſimultatibus poſtpoſitis, ſimul poſtea vnanimi concordiâ commiſſum docendi munus feliciter adminiſtrauerint. Mortuo Nicolao Sapientio ſolus Prælæi Gymnaſij Præfectus remanſit Ramus, qui autoritate Coroli Lotharingiæ Cardinalis, doctorum omnium liberaliſſimi promotoris, Eloquentię & Philoſophię regius Profeſſor creatus eſt, anno Chriſti 1551. cum ætatis annum ageret 36. Tum primum eius fama per omnes Europæ Academias ſparſa, multos viros Principes mouit, vt propoſito

posito illi luculento stipendio euocaretur è Gallia. Angelus enim Papius vir clarus, inter Italiæ præcipuos viros doctos illum Bononiã Academicorum omnium doctorum nomine accersiuit. Idem quoque fecit illustris vir Andreas Dudizius Sbardelata Quinqueclesiensium Archiepiscopus in Hungariâ, qui in Poloniam se receperat suasorque fuit Ramo, vt Cracouiam veniret. Rex quoq; Pannoniæ Ioannes literis illum ad se amicissime inuitauit, vt præficeretur Scholis Albę Iuliæ. Sed Ramus, qui inter Gallos nomen celebre iam erat adeptus, Patriam exteris præferre maluit, cui primam officij partem se debere non ignorabat. Parisijs apud amicos famâ celebris, autoritate publicâ (licet obstarent inuidi) Academiæ totius factus est Decanus. Tum ille quietiori vitæ genere DEI beneficio donatus, ad Mathematum studia se addixit, opera vsus Friderici Reisneri Germani, in ea facultate optime versati, & Arnoldi Offati. Quorum adiutus beneficio admirabiles fecit progressus. At cũ bellis ciuilibus omnia apud Gallos turbaren-

tur propter religionem, neque quiſquam ſatis tutus domi ſuæ videretur, quod vnuſquiſque ſub prætextu religionis ſuas inimicitias vlciſceretur, Ramus, vt ab his tempeſtatibus tempeſtiue ſe eximeret, Pariſijs diſcedens, ad Fontem Bellaqueum, vbi eſt Bibliotheca regia, ſeceſſit. Vnde paulo poſt coactus eſt ſe recipere ad caſtra Condenſia, quæ ad Sancti Dionyſij vrbem habebantur. Sed cum animaduerteret, non eſſe tutum diutius in Gallia hærere, ſtatuit tantiſper Germaniam inuiſere, donec incendia illa patriæ reſtinguerentur. Argentinam primum adijt, deinde Baſileam, Loſannam, Tygurum, Heidelbergam, Norimbergam & Auguſtam. Vbiq; celebri applauſu & publicâ lætitiâ à viris doctis exceptus eſt, & amicitiæ officio cumulatus. Rebus itaque in Galliâ compoſitis Pariſios reuerſus eſt. Sed anno 1572. 24. Auguſti in Nauarræis nuptijs ortâ cæde incredibili, & retroactis ſęculis inauditâ, plurimi deplorandâ lanienâ miſere confoſſi perierunt. Ramꝰ, qui in Prælęo Collegio erat clauſis portis, nõ ſine ingẽti metu domi ſe cõtinebat, quibus

bus effractis, ſicarij apprehenſum, & vulnere lethali confoſſum ſemianimem è feneſtris in ſubiectam aream proiecerunt. Corpus capite truncum tractum eſt per vrbis ſordes, & in Sequanam deuolutum 26. Auguſti. Eius ſupellex & Bibliotheca ſtatim direpta fuit: multaq; eius opera nondũ abſoluta perierunt: vt Commentaria in libros Ariſtotelis de Repub. Libri de Comitijs Romanorum, Ethica, Phyſica, Optica, Geometrica, Muſica, & Aſtronomica, quæ nondum ediderat. Præter hæc iam publicauerat Platonis Epiſtolas latinitate donatas. Commentaria in Ciceronis aliquot Orationes, in Fatum, in ſomnium Scipionis, in librum primum de legibus, in Vergilij Bucolica & Georgica: De veterum Gallorum moribus: De militiâ Cęſaris, Brutinas quęſtiones, Grammaticam & Dialecticam. nam eius Rhetorica ſub nomine Thalæi excuſa eſt. Poſt eius mortem Cõmentaria de Religione apud aliquem virum bonum inuẽta ſunt, & in lucem edita Francoforti per hæredes V Vecheli.

PETRVS RONSARDVS VINDOMIENSIS POE. GAL.
Ronsardus
Natus erat XI Sept. An.
1524. Obijt 27 Decem.
An. 1585
Byssonij cecenit Vates ad Strymonis undas
Non melius, tibi quam funditur ore melos.

PETRVS RONSARDVS.

PETRVS RONSARdus, Gallorum Poetarum Princeps, natus est in arce paterna Poissonnera, ditionis Vindocinorum, patre Ludouico nobili & Equite torquato, matre Ioanna Chaudriera, matrona illustri. Ronsardorum maiores ortum traxerunt ex Thracia. Tempore enim Philippi Valesij Galliarum Regis Balduinus Ronsardus cum nobilium quorundam expeditâ manu per Pannoniam & Germaniam penetrans in Galliam venit, vt suæ virtutis specimen aliquod insigne præstaret Gallo regi, occupato grauissimis cõtra Anglos bellis. Cuius generositas Regali beneficentia & liberalitate cõpensata est, retẽtusq; est inter p̃cipuos nobiles aulicos, & inter Vindocinos assignata prędia, quib⁹ splẽdide se suosq; alere posset. Hi multis annis autoritate & fortunâ lautiore vsi sunt, vsq; ad

Ludouicum Ronſardū Petri parentem, qui in Hiſpaniam miſſus eſt cum Franciſco Delphino, & Henrico Aurelianórum Duce, regis liberis, pro patre Franciſco Magno ad Papiam capto, obſidibus ad Carolum V. Imperatorē miſſis. Ex hoc Ludouico natus eſt Petrus, XI. Septemb. Anno 1524. quo anno captiuus in Hiſpaniam ductus eſt Franciſcus Galliæ Rex. Fratres illi ijſdem parentibus nati ſunt Claudius & Ludouicus. Petrus educatus eſt Pariſiis, in Collegio Nauarræo, & bonis literis inſtitutus. Sed plagoſi Præceptoris moroſitate à ſtudijs alienatus, Auenionem ad parentes redijt, vbi Gallorum Rex eo tempore militum delectum faciebat contra Carolum V. Petrus igitur datus eſt Carolo Aurelianorum duci, cum quo aliquot annis vixit, ſed ab eo datus eſt Iacobo Stoarto Scotiæ Regi, qui in Galliā venerat, vt Magdalenā Franciſci Regis filiam duceret vxorem. In Scotia degit menſibus triginta, & in Anglia ſex. Vnde reuerſus ad Carolum ducem Aurelianorum, inſtitutus eſt in militari exercitio. Miſſus poſtea in Flandriam,

Zelan-

Zelandiam & Scotiam cum Laſſignio Legato. In traiectu in Angliam naufragium paſſus non multum abfuit, quin ſubmerſus periret. Reuerſus tandem, annoſq; iam natus quindecim, commiſſus eſt curæ Lazari Bayfij Supplicatoriorum libellorū magiſtri, viri inter Gallos doctiſſimi, cum quo Spiram miſſus eſt, vbi Synodus & comitia Imperialia conuocabantur. Cumque illic eſſet diutius immorandum, Ronſardus prima Germanicæ linguæ rudimēta didicit, & in ea ſatis feliciter profecit, cum Langeo Gallicanæ militiæ magiſtro in Pedemontium profectus eſt. Reuocatus poſtea in aulam: cum ex longis ante actæ vitæ laboribus, nauigatione difficili, & eduliorū peregrinorum cruditate, humoribusq; corporis male tēperatis, atq; celebri defluxione in febrim lapſus eſſet, ex catarrho illi diminut⁹ & obtuſior redditus eſt auditus; factuſq; eſſet ſurdus, niſi Medicorū ſedulitate ab hoc periculo exēptus eſſet. Hęc ſurditas minime cōueniens frequentationi cum Nobilibus, cauſa fuit, cur ſe paulatim ab aulicis munijs ſubducēs ad intermiſſa

bonarũ literarũ ſtudia redijt. Anno 1543. quo & eius pater viuere deſijt, venit iterũ in domũ Lazari Bayfij ad Auratum, qui Præceptor erat Ianantonij Lazari filij. Ab eo tam Græcis quàm latinis literis per ſeptennium integrum feliciſſime inſtructus eſt. Sub cuius diſciplinâ ſub Bayfio tantũ profecit, vt facile omnes ſui temporis Scholaſticos ſuperarit. At quia ad Poeſin naturali inſtinctu ferretur, in ea maxime ſe exercuit, ſtuduitq; linguam Gallicam, quantũ fieri poſſet, expolire & ornare: traducendo ex Homero, Pindaro, Lycophrone, Æſchylo, Ariſtophane & alijs quæcunq; ad ſuum vſum facere videbantur; quibus & Horatium Latinorum Lyricorum principem adiunxit. Excelluitq; inter omnes ſui temporis Poetas, non ſine Zoilorum inuidiâ, qui eius odas de Caſſandra imitabantur & calumniabantur. Sed horum maledicta ſuppreſſa ſunt autoritate Margaretę ſororis Henrici XI. feminæ doctiſſimæ, & M. Antonij Mureti, Remigijq; Bellaquei annotationibus, quas in Ronſardi amores ſcripſerũt. His acceſſit Michaelis Hoſpitalis Cancellarij Marga-

Margaretæ Principis iudicium, qui pro Ronſardi defenſione doctiſſimam ſcripſit Elegiam contra Melinum S. Gelaſij, & alios. factumq; eſt, vt omnes Ronſardi aduerſarij palinodiam cantantes, illi reconciliati ſint, & facti amici:. Poetæ nomen horum autoritate per omnes Galliæ prouincias celebre redditum eſt, potiſſimum apud Regem, & duos illos Cardinales Muſarum fautores, Carolum Lotharingum & Odetũ Caſtilioneum. Poſt Henrici XI. mortẽ pari beneuolentiâ Ronſardum complexi ſunt Franciſcus II. & Carolus IX. cum quo Baionam profectus eſt, & liberaliſſime tractatus. Eius inſtinctu recepit tractãdum Opus illud Francialis, quod imperfectum reliquerat, cui & ſuas Elegias dedicauit. Rex vt videretur non ingratus, illi dono contulit Cœnobium Bellozanium, cum opimis reditibus, vt liberius ſtudijs vacare poſſet. Sed poſtquam Carolo fratri ſucceſſurus è Polonia accerſitus eſſet Henricus III. Ronſardum ſtatim in familiaritatem recepit, & illi infinita beneuolentiæ argumenta oſtendit. Quia tamen ingraueſcẽti iam ætate po-

te podagra vexaretur, propter aduersam valetudinẽ non potuit in aulâ regiâ frequentior esse, sed sæpe Lutetiã veniens in collegium Boncortianũ diuertebat apud Galãdium veterem amicum & collegij præfectum. Ibi fere semper decumbens, non tamen desinebat vel scribere vel amanuẽsi dictare meditata, & quæ animo cõceperat. Anno domini 1585. ægrotus Parisijs ad crucis vallẽ, vbi solebat habitare, lecticâ deportari se curauit, vt mutatione loci aliq̃ in doloribus subleuationẽ experiretur. Erat enim ea habitatio amœnissima, Gastiniæ syluæ & Fõtis Dellerij vicina. Sed cum illic quoq; parũ relaxaměti à morbo sentiret, eodẽ anno mense Iulio deuectus est ad Prioratum S. Cosmæ, quo loco etiã mirifice antea delectat⁹ erat. Neq; illic, pfuit loci mutatio, augescente in dies & horas arthritidis implacabili cruciatu. Quare post dies 10. ad crucis vallẽ statim reuectus est. Galandius, qui cum eo amicitiã veterẽ contraxerat, & omnib⁹ officijs coluerat, certior reddit⁹ de eius iniqua valetudine, illum inuisit mense Octobri, vt prẽsentiâ & alloquijs familiaribus

ægrum

ægrotũ ſolaretur,& dolores quibus poſſet modis extenuaret. Ronſardũ inuenit languidũ & imbecillẽ, diuturnisq; vigilijs adeo debilitatũ, vt ope medicâ illi ſuccurri non poſſet. Cum eo aliquot fuit dies,plurimũ ſollicitus de eius vitâ, quam periclitari omnes aſſeuerabant Medici. Ne vero quid intẽtatũ relinqueretur,extenuatũ & ſemiconfectũ Thurenos deportarũt: Vbi poſtq̃ inter amicos multa cõtuliſſet de huiꝰ vitę miſerijs, de immortalitate animæ, & de beatâ vitâ,quæ in cœlis parata eſt bonis,è vitâ deceſſit die Veneris 27. Decẽb. 1585. maximo omniũ amicorum dolore, & totius Galliæ literatorũque omnium cordolio. Sepultus eſt in Templo S. Coſmæ. Parentarũt illi Galandius & omnes viri docti in Collegio Bõcortiano tantâ literatorum frequentiâ,tot Epitaphijs & Inſcriptionibus publice affixis,vt nulli antea plus præſtitum eſſe credatur. Perronius ille,cuius melliflua eloquẽtia totâ Galliâ cõmendatur,oratione funebri defuncti tumulos ornauit. Adhibita ſunt omnia inſtrumenta Muſica,&Regij ſacelli Pſalmiſtæ & Cantores , funebri Melodiâ &

dia & exclamationibus planctа interruptis, tantum luctus & triſtitiæ omnibus aſtantibus excitarunt, vt nullus eſſet in tantâ auditorum multitudine, ex quorum oculis inſtar riuorũ deſtillantium cum plorabili eiulatu non elicerentur lachrimæ. Fuit dum viueret cõuerſatione facili, moribus facetis, liber cum amicis, & liberalis erga eos, qui Poeſin tractabant. Indulgens aliquando plus, quàm par eſſet, iocis intempeſtiuis. vnde orta eſt illa calumnia, qua accuſatur cum Godelio & alijs: Hircum ſacrificaſſe Baccho. Quod ſi excellẽtem illam quâ vigebat ſcientiam non applicuiſſet leuibus amoribus, nemo illi par poſſet comparari. Noſtra enim ſæcula inuidiâ laborãt, omnesq; aliorum cenſores eſſe malumus, quam noſtra vitia & defectus corrigere. Cum Ronſardus Berthaſij Poetæ Mundi creationem ſex diebus à Deo ſummo perfectam Heroico carmine deſcriptam legiſſet, admiratus Poetæ doctrinam, calamum aureum ad eum dono miſiſſe fertur cum hac laude, plus Berthaſium honoris acquiſiuiſſe vna Hebdomada, quam Ronſardus tota

tota vita : Berthaſij enim opus Hebdomada prima vocatur. Inter omnes Poetas, quorum ſtylum Ronſardus probabat, fuerat Mauritius Sceua, Hugo Salelus, Antonius Heroetus, Melinus Sangeruaſius, Iacobus Pelleterius, & Guilielmus Altarius, qui Ronſardum præceſſerunt. Qui ſequuntur, facilius aliquanto Poeſeos perfectionē attigerunt; Pontus Tyardus, Ianus Antonius Bayfius, Ioachimus Bellaius, Stephanus Iodelius, Remigius Bellaqueus (quem Ronſardus naturæ Pictorem mirificū vocare ſolitus erat) Stephanus Paſcharius, Amadis Iaminus (quem ipſe inſtituerat) Robertus Garnerius poeta Tragicus: Philippus Portæus. Florens Chriſtianus, Scæuola Sanmarthæus, Ioannes Paſſeratus, Ioannes de Petron, Bertrandus & Ioan. à Peruſa.

IOHANNES FISCHERUS EPISCOPUS ROFFENSIS AGLUS.
B
Nascitur in Anglia
Obtruncatur 22
Iunii Anno 1535.
Concidit ut ferro cervix præcisa Johannis,
Virtus ingenium concidit et pietas.

IOANNES FISCHERVS EPIscopus Roffensis, Anglus.

IOANNES FISCHERVS Episcopus Roffensis per id tẽpus, quãdo in Anglia facta esset infausta & funesta mutatio, rege ob odium Pontificis, qui eius nuptias probare noluit, conniuente, anno nimirum 1535. humanæ mutabilitatis exemplũ posteritati præbuit. Erant enim tum in Anglia duo inter alios præcellentes viri, pietate & eruditione clarissimi, Ioannes Fischerus Roffensis Episcopus, & Thomas Morus regni Cancellarius, qui est apud Britannos proximus à Rege magistratus. Ii vtpote viri graues, neque diuortium cum Catharina probare, neque Regis caput Britanniæ se profitentis, sententiæ subscribere volebant. Id verò Rex tulit animo periniquo, & Roffensi quidem maioris odij auctarium fuit, quod captiuum Pontifex in Cardinaliũ ordinem cooptauerat. Rex itaq; Angliæ cernens neq; Roffensem neque

Morum ſibi obtemperare velle, vtrunq; capite damnauit per ſuos adminiſtros. Roffenſis quidem ad 9. Cal. Iulij, Morus autem ipſius Iulij die 7. capite plexus eſt. Roffenſis certe multis annis diligẽter inuigilando gregi ſuo adminiſtrandis ſacramentis, aſſiduitate docẽdi tum voce tum ſcriptis, mira quoq; liberalitate in egenos, benignitate in ſtudioſos, verũ ac legitimũ egerat Epiſcopũ; ita vt eius aula nihil fere à monaſterio differre videretur. Nec dubitauit conatibus regis verbo & ſcripto ſe opponere, ne ſuam conſcientiam negligeret, tametſi ea re exitium ſibi pararet. Nolebat enim ſalutem regis diſſimulando negligere, ſed vt verus Epiſcopus veritatem libera voce profeſſus eſt, ad ſupremum vſq; ſpiritum, adeò vt tum quoque cum in eum proditorum immane ſupplicium eſſet conſtitutum, atq; pronunciata eius horrendæ necis ſententia, hilari & placido vultu intrepidus permaneret. Sed quia ſenio grauis, multisq; vigilijs & ſtudijs confectus eſſet, in mitiorem ea ſententia mutata eſt, quod verererentur ante exhalaturum ſpiritũ quàm rhedâ trahâq;

trahâq;, vt moris eſt, tractus ad ſupplicij locũ perueniret. Itaq; X. Kal. Iulij productus in planitiem conſtanti & alacri vultu populum eſt allocutus, ac primo quidem Regi & Regno bene precatus eſt; Deind prece ad Deum fuſa illi ſe commendauit, atq; ita ſecuri caput præcidendum obiecit. apud Anglos enim non enſe ſed ſecuri plectuntur rei, capite in truncum inclinato. Is exitus fuit clariſſimi Pontificis, poſtquam iam diuturni carceris moleſtias pertulerat. De eiuſdem clariſſimi Roffenſis Epiſcopi morte, ita quidã ſcriptum reliquit: Sexto Nonas Iulij (alij 7. Iulij vt diximus) obtruncatus eſt in Anglia Thomas Morus, nõ minorem conſtantiam in iudicio & ſupplicio præ ſe ferens, quam in iniquiſſimo ſenatuſcõſulto Athenienſium Socrates: paucis diebus ante illum interfecto Epiſcopo Roffenſi, in quem Regis furor non aliâ cauſâ vehemẽtius exarſit, quàm quod in Cardinalium ordinem à Pontifice eſſet cooptatus. Sed audi quod vincit omnem feritatem, caput Roffenſis inditũ ſtipiti multis diebus omnium oculis fuit expoſitum, quod non

modo non contabuisse, verum etiam multo venerabilius esse factum ferebatur. Vbi is rumor increbuit, mox amotum est loco. Et ne quid in Mori capite existeret, quo populus religione turbaretur, audi iam facinus immanissimum: Reuocata est Thyestæa fabula, & caput eius non nisi longa coctura maceratum, quo celerius diffluueret, hastili est impositum: hæc ille. Scripsit autem in Lutherum librum regiæ assertionis. Item, in septem Psalmos pœnitentiales, Homelias ad plebem aduersus 41. Lutheri articulos lib. 1. Contra captiuitatem Babylonicam lib. 1. Confutationes Lutheri: pro Missa contra Oecolampadium: Defensionem Sacerdotij, Conuulsionem Veleni: precationum librum vnum pro vna Magdalena: contra Fab. lib. 3. Contra Clichthoueum, pro eadem lib. 1. de matrimonio Regis Angli lib. 1. De septem sacramentis lib. 1. pro Lutheri damnatione lib. 1.

Singultantem animam Morj, taboque natantem
Abluit hei Pietas ipsa suis lachrimis.

THOMAS MORVS ANGLIAE Cancellarius.

ANNO 1535. Thomas Morus qui rege Angliæ nouas res moliente, vltro se Cancellariatu eius regni, quem obibat, abdicarat, eundem vitæ exitum habuit cum Roffensi; videbat enim vir prudentissimus quorsum tenderent consilia, itaq; ne cogeretur de innocentibus sumere supplicium, illi amplissimo muneri sponte renunciauit. Cum autem Regis nuptias probare nollet, religione prohibitus, bonis omnibus exutus & perpetuo carceri addictus est. Porrò hoc anno mense Iulio eductus ex arce Londinensi, sistitur iudicibus à Rege designatis. Ibat debilis scipione fultus longo itinere, sed vultu animum minime perturbatum præse ferente, donec ad locum ventum est. Ibi primùm hortari eum cœperunt ad resipiscentiam. sed ille Deum rogat, vt in sententia ipsum confirmet. Deinde obiecta diluit, licet multum iam debilitato corpusculo ex carceris diuturnitate & morbo. quæ res permouit iudices, vt allatâ sellâ, dum se purgat, sedendi habeat potestatem. Iis perfectis vocati sunt ex gentis instituto Duodecim viri, vt inter se consultarent, num Morus in Decretũ Parlamenti malitiose peccasset. Illi breui inter se habita deliberatione, reuersi ad iudices aiunt, Gylthi, hoc est, reus est mortis. mox à Cancellario in eum prolata est sententia. Tum ille mentem suam coràm omnibus explicauit de Decreto Parlamenti. Sed oratione eius interrupta, reducitur in carcerem: vbi priusquam ad turrim ventum esset, miserandum accidit spectaculum. Erat Moro filia Margareta, eleganti forma, optimis moribus, rara eruditione. Ea vbi cognouit

in patrem mortis prolatam sentẽtiam, pietate in parentem, & acerrimo animi dolore permota, per medios satellites vi qua poterat perrupit, & in patris amplexus ruens, quod voce nõ poterat, nimio præpedita mœrore lachrymis vbertim testata est, nempe summã pectoris sui ęgritudinem & angores: Verũ pater satellitũ permissu cõstati vultu, iussit eam missos facere eiusmodi singultos & animo infracto ferre præsentem rerũ statum: Sic enim, inquit, visum est Deo, & tu iam pridẽ conscia es arcanorũ pectoris mei. Iam verò patre ab illa decem vel duodecim passibus progresso, illa nõ ferens immodicos doloris aculeos ex tam præsentis parentis amantissimi periculo eius animum vehementer pungẽtes, rursus accurrit ad patrem, amplectitur abeũtem: sed ab illo neq; lachrymas vllas fundente, neq; faciem in rugas aut mœrorem contrahente: hoc solum audit, vale & DEVM ora pro salute animæ meæ. Septimo ergo Iulij caput illi præcisum fuit, & eo modo, quẽ in præcedenti descriptione Roffensis annotauimus, decoctum hastili est impositũ. Idem hic Thomas Morus Angliæ Cancellarius, quod genus officij apud Anglos secundum à principe locum obtinet, vbi se 16. die Maij Anno domini 1532. regni vero Henrici octaui vicesimo quarto, magistratu abdicasset, sequenti æstate hoc infra scriptum Epitaphium composuit, & sepulchro suo, quod sibi dum in Cancellariatu agebat, extruxerat in parochiali sua Ecclesia apud villam Chelsey, vbi habitabat, distantem haud amplius tribus miliaribus Anglicis ab vrbe Londinensi, inscribendum curauit, postea verò eius corpus haud illic sed in arce Londinensi conditum est.

EPITAPHIVM THOMAE MORI.

Thomas Morus vrbe Londinensi, familia non celebri sed honesta natus, in literis vtcunq; versatus, cũ & causas aliquot annos iuuenis egisset in foro, & in vrbe sua pro Shyreno ius dixisset,

dixisset, ab inuictissimo Rege Henrico octauo (cui vni Regũ omnium gloria prius inaudita cõtigit, vt fidei defensor, qualem & gladio se & calamo vere præstitit, merito vocaretur) ascitus in aulam est, delectusq; in consiliũ, & creatus Eques, proquæstor primũ, post Cancellarius, Lancastriæ, tandẽ Angliæ miro Principis fauore factus est. Sed interim in publico regni Senatu, lectus est orator populi, præterea Legatus regis nonnunq̃ fuit, alias alibi, postremo verò Cameraci, comes & collega iunctus principi Legationis Guthberto Tunstallo, tum Londinensi, mox Dunelmensi Episcopo, quo viro vix habet orbis hodie quicq̃ eruditius, prudentius, melius. Ibi inter summos orbis Monarchas rursus refecta fœdera, redditamq; mundo diu desideratã pacem & lætissimus vidit, & legatus interfuit:

Quam superi pacem firment faxintq; perennem.

In hoc officiorũ vel honorũ cursu cum ita versaretur, vt neq; Princeps Opt. operam eius improbaret, neq; Nobilib⁹ esset inuisus, neq; iniucũdus populo, furibus autẽ, homicidis hęreticisq; molestus: pater eius tandẽ Ioan. Morus Eques, & in eũ ordinem Iudicũ à principe cooptat⁹, qui regius consessus vocatur, homo ciuilis, innocẽs, mitis, misericors, ęquus & integer, annis quidẽ grauis, sed corpore plusq̃ pro ętate viuido, postq̃ eô perductã sibi vidit, vt filiũ videret Angliæ Cancellariũ, satis in terra iam se moratũ ratus, libens migrauit in cœlũ. At filius defuncto patre, cui quãdiu superat cõparatus, & iuuenis vocari consueuerat, & ipse quoq; sibi videbatur, amissum iam patrẽ requirens, & editos ex se lib. 4. ac Nepotes vndecim respiciens, apud animũ suum cœpit persenescere. Auxit hunc affectum animi subsecuta statim velut adpetẽtis senij signũ, pectoris valetudo deterior. Itaq; mortaliũ harum rerũ satur, quã rem à puero penè semp optauerat, vt vltimos aliquot suæ ætatis annos obtineret liberos, quib. huius vitæ negociis paulatim se subducẽs, futurę posset immortalitatẽ

meditari. Eam rem tandem (si cœptis annuat Deus) indulgentissimi Principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetrauit, atq; hoc sepulchrum sibi, quod mortis eum nunquam cessantis adrepere quotidie commoneface-ret, translatis huc prioris vxoris ossibus extruendum curauit. Quod ne superstes frustra sibi fecerit, neue ingruentem trepidus mortem horreat, sed desiderio Christi libens oppetat, mortemq; vt sibi non omnino mortem, sed ianuam vitæ felicioris inueniat, precibus eum piis, Lector optime, spirãtem precor defunctumq; prosequere. Hoc quidem monumẽto erecto, humanæ mutationis vices horribiles postea expertus fuit, vti ex præcedẽtibus lector abunde colligere potest. Scripsit Vtopiam libris duobus absolutam: Item Epigrammata doctissima: ex Luciano cõuertit quædam: & fecit Declamationem Lucianicæ respondentem: Historiam Richardi Regis Angliæ eius nominis III. imperfectam dedit: item responsionem ad conuitia Martini Lutheri conjecta in Henricum Regem Angliæ eius nominis octauum. Tandem expositionem Passionis Dominicæ imperfectam in Carcere reliquit, quod vlterius progredi non posset, ob negata scribendi instrumenta. nec enim ita multò post prope turrim Londinensem loco consueto securi percussus est, 2. Non. Iulij. anno 1535. Regis verò Henrici octaui, vicesimo septimo, vt supra notauimus. Scripsit etiam in carcere anno 1534. meditationem, quod pro fide mors fugienda non sit: Et precationem ex psalmis collectam, cui ipse hunc Titulum posuit: Imploratio diuini auxilij contra tentationem, cum insultatione contra Dæmones ex spe & fiducia in DEVM. Scripsit præterea Comœdias: Dialogos familiares: Declamationem pro Erasmo aduersus fratrem lib. 1. Progymnasmata Græca: Dialogum promissa cõtra Fryth. contra Germanum Brixium aduersus Cordigeram eiusdem: de

purga-

purgatorio cõtra Fryth. de iuſtificatione operum lib. 1. Apologiam ad Tyndale lib. 1. de Eccleſia contra Barnes lib. 1. In Martinum Dorpium lib. 1. Eius Epiſtola in qua reſpondet literis Pomerani, Louanij anno 1569. excuſa eſt, vt & libellus de optimo reip. ſtatu in 8. an. 1548. Omnia autem eius opera Latina ibidem apud Ioannem Bogardum, ſiue vt in titulo habetur, apud Petrum Zangrium Tiletanum ſub Fonte, anno 1566. chartis 71. in fol.

Crammerus flammis positus crepitantibus, inquit,
Ipse meæ Judex partis et Ultor ero.

THOMAS CRAMMERVS ANGLVS
Archiepiſcopus Cantuarienſis.

THOMAS Crammerus Anglus Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ac totius Angliæ primas, omni virtutum genere, inquit Geſnerus, ob hęreſin à Maria Anglię Regina vita multatus eſt, anno 1556. Crãmerus verò hic à Reginaldo Polo diligenter vt ſententiã mutaret admonitus fuit, cumq; eius ſpes non modica ab initio appareret, Polus à Regina Maria veniã homini impetrauerat: verũ is (dum Polus apud Reginã pro eo intercedebat) calamũ & atramentum ſibi dari petit, quib. acceptis, ſtatim ſententiã ſuam, in q̃ Polo admonẽte inclinauerat, reuocat, & ſcripto teſtatur, ſe priorẽ ſuam ſententiã ad mortẽ vſq; defenſurũ, quod verò Poli petitioni aſſenſerit, de eo ſe pœnitere & meritas pœnas volentẽ ſubiturum. Itaq; Maria Regina, vt quæ nõ tam religionis, quam ſuâ causâ ipſi eſſet infenſa, animaduerſa eius ſimulatione, flãmis eum per iudicũ ſentẽtias addicit. Qui cum iam rogo eſſet imponendus, lictorẽ rogat, vt dextram vinclis eximere & liberã ſolutamque ei permittere velit, quo impetrato ipſe meteam flammis admouet, atq; ob inclinatã ex Poli petitione ſententiam (dederat enim Polo eius rei autographũ) manũ propriã tanq̃ reã perfidiæ cõſtanti animo vltrò exurit, ipſe poſtmodũ incenſo rogo à Lictorib. crematur, cuius vita & mors anno ſequẽte, per Embdenſes integro libello celebrata fuit. Scripſit Anglico ſermone Catechiſmũ doctrinæ Chriſt. item de ordinationib. Eccleſiæ reformatæ librũ vnũ. De miniſtris ordinãdis librũ vnum. De Euchariſtia cũ Luth. lib. 1. Defenſionẽ Cathol. doctrinæ lib. 1. Doctrinã cœnæ dominicæ lib. 1. Contra tranſſubſtantiationis errorem librum 1. Quomodo Chriſtus adſit in cœna librum 1. De vſu cœnæ dominicæ lib. 1. De Chriſti oblatione librum 1. Ad Richardi Smithi calumnias lib. 1. Confutationes veritatũ non ſcriptarum lib. 1.

Loco-

Locorum communium ex Doctoribus libros duodecim. De non ducenda fratria lib. 2. Contra primatum Papæ lib. 2. Piarum precationum lib. 1. Epistolarum ad viros eruditos librum vnum. Scripsit ex carcere contra sacrificium Missæ lib. 1. contra adorationem panis librum vnum: ad Reginam Mariam librum vnum.

I. C. CON. REG.
GVILIELM. BVDAEVS
PARISIEN.
Sol furis Gray et lati sermonis ocellus:
Nocte sepulturæ funera lustro meæ.

GVILHELMVS BVDAEVS IC.

GVILHELMVS Budæus Lutetiæ Parisiorum celebri literarum domicilio natus anno 1467. Græcę & Latinæ linguę cognitione, omniũ non modò Galliæ, sed totius etiã Europę longè eruditissimus ea ætate habitus est, ciuilis in primis sapientiæ, & Iurisprudẽtię laude celeberrimus; Senator regius supplicũq; libellorũ in Regiâ magister. Is cum perennẽ spectaret laudẽ, & rei familiaris fortunas honoresq; aulicos ingenio suo & speratâ gloriâ multò arbitraretur viliores, sexaginta amplius annis in ocio literario consumptis, ita vt summæ eruditionis libro de Asse alteroq; in Pandectas edito, ac infinita demũ lectione confectis Cõmentarijs vtriusq; linguæ, nulli cõmunicatâ laude, æquales omnes doctrinæ autoritate superaret: Morum p̃terea sanctimoniâ & vitæ inculpatæ insignis innocentiâ, pie tranquilleq; vitâ excessit, abdicatis testamẽto prius omnib⁹ prorsus funeris & tumuli honorib⁹: & noctu tumulatus est, anno 1540. ætatis 73. die 22. Aug. Scripsit Orationes & Epistolas Græcas & Latinas q̃ plurimas: Elegias & Epigrammata diuersa. Annotationes in Pãdectarũ seu Digestorũ lib. vt & de Asse & partibus eius lib. 5. quos supra diximus; aucti anno 42. in 8. prodierunt cũ Indice, adiecto breuiario de Asse & partibus eius per eundẽ. Scripsit idem de cõtemptu rerum fortuitarũ lib. item lib. de transitu Hellenismi ad Christianismũ. De studio literarũ recte & commode instituendo ad Francis. Regẽ: De Philologia lib. 2. ad Henricũ & Carolũ, Franciscum, & Carolum Francisci regis filios: Græcæ linguæ cõmentarios recognouit, & plus tertia parte auxit: Cõmentarium fecit ỳborum forensium & generũ loquendi: Eorundem Gallicam interpretationem de foro Parisiensi sumptã cum indice. Edita sunt eiusdẽ de Ponderib⁹ & Mensuris quædam prius nõ visa, cum quibusdam aliorũ opusculis excusa.

Ex Græcorum ſcriptis Latina fecit Ariſtotelis & Philonis libros de Mundo; impreſſos Baſileæ cum Cleomede: Plutarchi opuſcula quædam moralia, nempe de Placitis Philoſophorum libros 5. De tranquillitate animi librum 1. de fortuna Romanorum lib. 1. De fortuna & virtute Alexandri libros duos: Sunt autem omnia Budæi opera Baſileæ tomis aliquot excuſa in folio. Gallicus eiuſdem Libellus, cui Titulus: Teſtimonium temporis ſiue doctrinæ ad Principis inſtitutionem. prodijt Lugduni in 8. Anno 1547.

Andreas prisco reddit sua jura nitori,
Consultosque facit doctius inde loqui.

ANDREAS ALCIATVS IC.

ANDREAS Alciatus Mediolanenſis non Iuriſconſultus tantum nobiliſſimus ſed & in omni liberali diſciplina, præſertim verò poetica ita exercitatus, vt cũ ſummis quibuſq; ingenijs certare poſſit: de eo Arrias Montanus vir grauiſſimus hoc tetraſticho elegantiſſime cecinit:

Eloquio ius Romanum lucebat & arte,
Turba obſcurarunt barbara legulei.
Andreas priſco reddit ſua iura nitori,
Conſultoſq; facit doctius inde loqui.

Cuius equidẽ imago viua nusq; luculentiùs quam in ſcriptis eius elaboratiſſimis exhiberi poterit; quare vt tum ipſi Alciato, tum Lectori ſatis fiat, ad enumerationẽ eorundẽ accingemur. Scripſit ille Emblematum lib. qui varias picturas circiter centum tanq; Hieroglyphica continet, quorũ ſignificationẽ, quæ ſingulas ſequuntur elegiaca Epigrammata argute explicant; eadem etiã Gallice verſa, apud VVechelum impreſſa ſunt: ſunt item cum Cõmentarijs Claudij Minois Diuionẽſis Antuerpiæ edita; & Italica lingua carmine Lugduni, vt & Germanice Francforti. Edidit quoq; libellum de Ponderib⁹ & Menſuris: Hiſtoriæ encomium. In Publ. Cornelium Tacitum caſtigationes, ac difficilium aliquot locorũ expoſitiones, orationem ab eo Ticini habitam, quæ eadem eſt, ni fallor, cũ ea quæ in laudem iuris ciuilis ſcripta eſt; Item de verborũ ſignificatione lib. 4. Et in Tractatũ eiuſdem argumenti veterum Iuriſconſultorũ cõmentaria. Paradoxorũ ad Pratum lib. 6. Diſpunctionum lib. 4. Correctionũ in tres libros Cod. lib. 3. De eo quod intereſt, lib. 1. Prætermiſſorum libr. duos. Declamationum vnum. De ſtipulationum diuiſionibus Commentarium. Commentaria ad reſcripta Principum, de ſumma Trinitate, de ſacroſanctis Eccleſijs, de eden-

de edendo, de in ius vocando, de pactis, de Transactionibus. de V. pedum præscriptione, de magistratibus, ciuilibusq; & militaribus officijs librũ vnum Basileæ excusum anno 1552. in fol. Parergon Iuris lib. 3. quibus postea alij adiecti. Processum iuris, Apologiam contra Ludouicum. De præsumptionibus, de rebus creditis. Ad titulum si certum petatur, commentaria. De singulari certamine librum 1. Consilium in materiam duelli, excerptum ex libro V. Responsorum. In librum 1. secundi libri Codicis. De sententijs, quæ in caput 1. secundi Decretalium de iudicijs. Eius autem opera partim singula seorsim à diuersis, partim simul in Tomos digesta, à Gryphio & Isingrinio excusa sunt, vt & à Thoma Guarino. Consilia eius separatim edita sunt Venetijs. Liber eius de Plautinorum Carminum ratione, item de Plautinis vocabulis Lexicon impressa sunt Basileæ cum aliorum in Plautũ annotationibus. Responsa eius libris nouẽ digesta & quarta vice diligentissime emendata alijs responsis nuper inter manuscripta inuentis aucta prodierunt Basileæ. Obijt Alciatus anno 1550.

IOAN OLTENDORPIUS
HAMBURGEN IC
NASCITUR HAMBURGI
AN. OBYT MARPURGI AN
Iuris Olendorpi fueras qui vivus Asylum
Nunc quoq; es Ausoniæ portus & aura foro

IOAN. OLDENDORP. IC.

IOannes Oldendorpius I C. Hamburgi natus, vrbe Saxonię liberâ, ſummã in ſtudijs expertus liberalitatẽ auunculi ſui Alberti Kranzij Hiſtorici Clariſſ. ad varia doctorũ Gymnaſia, Colonienſe præcipue ſe contulit: vbi artibus, linguis & Iuris ſtudio incumbens ita profecit, vt hinc Gryphis V Valdiam in Pomeraniam abiẽs Doctor iuris vtriuſq; ibi crearetur. Syndicus primum Reipubl. Roſtochianæ cõſtituitur, poſt Coloniæ Agrippinæ, ac deinde Marpurgi multis annis ius ciuile in Academia ꝓfeſſus eſt, idemq; lucubrationibus ſuis illuſtrauit. Scripſit enim practica Actionũ forenſiũ abſolutiſſima, vnde cognitio vniuerſi Iuris elucet, quid actor perſequi, quid reus excipere poſſit ſecundũ æquitatem, in claſſes nouem diſtincta. Scripſit etiam variarũ Lectionũ libros aliquot ad iuris ciuilis interpretationem commodiſſimos: vtpote Iſagogen Iuris naturalis, gentium & Ciuilis

Decalogi siue diuinæ tabulæ explicationem. Expositionem in leges 12. tabularum compositam iuxta reliquias, quæ extant apud Ciceronem in tribus libris de legibus. Postea actionũ iuris ciuilis: locos cõmunes ad vsum forensem accõmodatos: Vsucapionum & præscriptionum tempora, ex lure ciuili de iure singulari: Collationẽ iuris Ciuilis & Canonici. De copia rerum & verborum in iure ciuili ex constantissimis Iurisconsultorum sententiis. Indicem digestorum & Politiæ vrbis Romæ: Restaurationem cũ multis explicatis legibus & alijs eiusmodi quam pluribus, quæ in catalogis videre est. Ita tandem Oldendorpius singulari cum laude doctrinę, fidei, industriæ, sapientię commentarijs in varias iuris partes editis quamplurimis obijt Marpurgi Cattorum, anno 1567. die 3. Iunij, de quo Petrus Nigidius senior vir optimus pariter & clarissimus ita cecinit:

Magne Oldendorpi tu viuus Iuris asylum,
Gymnasiiq; tui sol rediuiuus eras.
Dudum quandoquidẽ superas inuaserat oras,
Cui solido à ferro nobile nomen erat.

Qui

Qui numeret tua scripta, poli quoque sydera summa
Atq; maris fluctus is numerare velit.
Semper in ore tibi fuit haec sententia Pauli:
Vita mihi Christus, mors mihi dulce lucrũ.
Conijcere vnde licet quãtus pietatis alumnus
Extiteris canus decrepitusq; senex.

DN. ANDREAS CLVDIVS IC. AT. XLIII AN. 1598
Cludius hic vultu est, animq; vim scripta loquuntur
Pulpita doctrinam, GWELFIAS aula decus.

ANDREAS CLVDIVS IC.

ERigebantur olim ab antiquis ſtatuæ quadratę ſine manibus ſine pedibus, cuiuſmodi Hermę apud Græcos fingi ſolebant, cum quadratis etiam literis. Eæ viris illuſtribus erant dicatæ, non aliam ob cauſam, quam quod eâ formâ, quæ ſola perfecta & abſoluta eſſet, illorum virtutem ſapientiamq; minime fluxam minimeq; mutabilem indicare vellent. Vnde Simonides virum quadratum, qui omnibus numeris eſſet perfectus, appellare ſolebat, vt eſt apud Ariſtotelem & Platonem: eum nimirũ qui eodẽ ſenſu ab Horatio totus teres dicitur, atq; rotundus. Hac forma Hermathena in antiquo ærco nummo ſignata animaduertitur, Mineruæ ſcilicet caput galeatæ quadrato Hermæ adhærens: & qui Athenis vna nocte circumciſi ab Alcibiade, præter vnum Andocidis, Hermę dicuntur, nõ alios quam illuſtriſſimorum hominum vultus

cum

cum inſcriptionibus referebant. Huiuſmodi enim Hermas Athenienſes virtutis ergo clariſſimis viris poſuerunt, quod Hermarum fragmenta indicant, qui illuſtrium virorũ nomina præ ſe ferunt. Verum dum Hermæ illi alijs ex locis in alia tranſportabantur, alijs literę tantũ, capitibus deiectis, reliquæ manſerunt, alij ſuis locis non ſatis diligenter cõpoſiti aliena capita in non ſuis pectoribus habuerunt: quod quidẽ aliquo modo ignoſcendũ. antiquo enim trunco antiquum caput reſtitutum fuit, niſi etiam quibuſdam imaginibus non ſua nomina addita fuerint. Rectius itaq; conſultũ noſtro huic ſæculo putamus, quo nobiliſſima ars illa Cryptica hiſce incommodis remedium attulit. ea enim non veras ſolum virorum illuſtrium effigies ad viuũ repræſentat, ſed & ſuas ſuis Iconib⁹ veras inſcriptiones addit, & in omnem æuiternitatem in Bibliothecarum ſacrarijs religioſe conſeruat. Expleant ergo jam nunc tandem Bibliothecæ ſua deſideria, idq; ſummæ ſuæ felicitati adſcribant, quod huius artificij tam illuſtri beneficio, nõ Genium tantum illorum, quo-

quorum immortales animæ ijs in locis loquũtur scire, sed & desideratos eorundem genuinosq; vultus contemplari coram ipsis datum sit. In qua equidem Bibliothecarum re publica cum animaduerterimus quoque edita monumenta literaria amplissimi consultissimiq; viri Dn. Andreæ Cludij I C. Illustrissimi Ducis Brunsuicensium Consiliarij, & in inclyta Academia Iulia Antecessoris præclara vestigia hactenus feciſſe, atq; deinceps factura esse, optatos simul authoris vultus ibidem repręsentari desideramus. At enim cũ & virtus, & amplitudo, & doctrina summa atq; merita eius ampliſſ. pleniorem quidem & iustam narrationem requirant, nos verò hoc loci notationem potiùs quam descriptionem proponamus, breuitatis vtiq; studioſi hãc quidem suo loco & tempori reseruabimus, illam verò paucis pro more nostro subijciemus. Natus itaq; est Dn. Andreas Cludius anno salutis 1555. in Ciuitate ducatus Brunsuicensis Osteroda, ad Herciniam syluam sita, & tũ ob mineras metallicas, tum ob loci amœnitatem & reipublicæ bene constitutæ fe-

licitatē celebri: Patrem habuit Ioannem Cludium, Ciuem ciuitatis istius spectatū & Senatorē primarium. Andreas ergo cum præclaræ indolis illustria indicia in primâ statim pueritiâ ederet, adeo vt & Musis & summis rebus agēdis natus videretur, parentum curâ & præceptorum fidelitate literarum studijs accurate imbutus fuit, & iuuenis tātum profecit, vt annorum 24. Reuerendissimi & Illustrissimi Principis & Dn. Dn. Hērici Iulij, postulati Episcopi Halberstadiensis & Luneburgensis fauorem mereretur, atq; ab eodē Illustrissimo Principe ad publicam iuris Professionem in Academiâ suâ Iuliâ ordinarie faciendā honesto stipendio constituto deputaretur. Vnde anno 1579. biennio nimirum pòst, & ætatis anno 26. supremæ Laureæ honores, ac publ. Docturæ insignia in eâ ipsa facultate vnanimi Academicorum cōsensu solēniq; actu collata accepit. Atenim cū prænominatus Illustriss. Princeps singulari eius eruditione, diligentiâ, industriâ, fide atq; ingenuo animi cādore mirifice caperetur, adsciuit eum in numerū Consiliariorum suorū,

grauiss.

grauiſſ. negocia ei cõmittens, quæ aduocando apud Imperiale iud. Cameræ Spiræ tutaretur. Nec verò ſolũ prænominati Principis Conſiliarius & Aſſeſſor ſupremi Ducatus illius iudicij factus, ſed & complures vicini Comites, & primariæ nobilitatis viri ſuis ipſum negotijs patronum delegerunt, quibus tum aduocando, tum conſulendo operam ſuam fideliſſime aſſiduo prẹſtat. Tametſi vero tot tãtiſq; negocijs diligentiam fidemq; ſuam deeſſe neutiquã patiatur; ſtationem tamẽ ſuam in Profeſſione iuris publicâ obeũdâ minime deſerit, ſed munere ſuo ſtrenue fungens nõ Anteceſſor modò Academicus ſuis auditorib. ſed ſtudioſẹ quoq; poſteritati p̃clare conſulit: quippe auditorum numeroſa frequẽtiâ, omniũq; admiratione ius hactenus diligentiſſime tot ann. ꝓfeſſus horas ſeciſiuas, ſiquẹ tamẽ ſunt, inertes abire minime ſiuit, ſed lucubrationibus priuatim inuigilans, publicam ſtudiorum adeoq; poſteritatis vtilitatem velis remiſque promouet, ſcriptis à ſe in medium publice datis, quibus indelebilem

ſibi ſuiſque nominis celebrationem conciliat. Inter ea p̄cipue in Bibliothecis videmus Tractatum de Iure ſequeſtrationis accuratiſſimū; & Materiam cōdictionū. Libros autem quotidianarum cum alijs quampluribus in Iure ab ipſo ſcripti; propediem lucem viſuras ex auditorum illius relatione accepimus. Verum his de Dn. Cludio notatis nunc cōtenti deinceps ea quę virtus illius excellēs, eruditio ſumma & merita in remp. tàm politicam quàm literariā præſtantiſſima merentur, ſi non pro dignitate atq; merito, at pro animi ſaltē noſtri in omnes ſtudiorum Hierophantas viroſque de republ. atq; patria præclare merentes propenſione ſingulari dicemus.

IOANNES SCHNEIDEWINIUS IURISCONSULTUS.
B.
Stolberga natus in Turingia.
Anno 1519.
Obijt Seruestæ Apoplexiâ
Anno 1568.
Multa forum plus aula tibi, schola plurima debet:
Ætatis nostræ fama sequentis amor.

IOANNES SCHNEIDVINVS IC.

IOannes Schneiduinus Stolbergæ generoſorum & illuſtrium inde cognominatorũ Comitum, in eâ parte, quâ vetus nomen adhuc retinet Syluæ Herciniæ oppido natus eſt anno 1519. Ætate autem admodum iuuenili, & puer fere ſtudiorum cauſa miſſus eſt VVittebergam, commendatus peculiariter Martino Luthero. Inſtitutione vero domeſticâ vſus Viti Theodori Theologi. Poſt annos ibidem complures in literarum, & Iuris Ciuilis præcipue, ſtudia inſumptos, in comitum Schvvarzburgicorum Aulam ſe vocatus contulit. Hic vbi toto quadriennio generoſorum illorum & illuſtrium dominorum aulæ & cancellis dediſſet operam, in eandem illam Academiam ad docendum Ius Ciuile reuocatus, tum in Schola, tum in foro, nimirum & Profeſſor & iudicij Prouincialis Aſſeſſor æquiſſimus,

simus, iuri docendo dicundoq; vtilem nauauit operam & fidelem, annis XX. editis interim in aureolas illas Iustiniani, Imp. Institutiones commentarijs. Hos cum & fori hodie stylo accõmodarit, & multis libellorum iudicialium formis locupletauerit, indicatis plærunq; iuris tum ciuilis tum Saxonici vel discrepentiâ vel diuersitate, non suis modò tum auditoribus profuit, sed studioseq; quoq; posteritati perpetua nominis sui memoria consuluit. Tandem Illustriss. & Inclyti Dn. Electoris Saxonię Legationem fideliter obiens, mortem simul obijt Seruestæ, correptus apoplexiâ, anno Christi 1588. ætatis 49. Reportatus ab Hæredibus VVittebergam, magno cùm aulæ Electoralis tùm Academię luctu sepultus est ad cineres illius, quẽ supra diximus, hospitis atque Præceptoris sui Martini Lutheri.

Dn. TOBIAS PAURMEISTERUS IN HADEHR ET ZILLING IC. & com. Palat.
B.
Nascitur Cochstaq
An. 1553.
Mentem forma tuam, Doctrinam penna; Cheruſci
Acta, Fidem Cæſar Wölphiadesq; probant.

TOBIAS PAVRMEISTERVS IC.

TObiæ Paurmeiſtero patria eſt Cochſtatum, in medio fere & quaſi vmbilico Saſſoniæ ſitũ diœceſis Halberſtadienſis oppidum. Natus heic eſt initio anni 1553. patre Ioanne Paurmeiſtero, viro integro & honeſto, matre Geſa ab Holten, piâ & exempli ſingularis feminâ. In primâ autem ille ætate pietatis atq; literarum rudimenta in ludis tum patrio, tum Eglenſi percepit. Annos verò cum pubertatis attigiſſet, in ſcholam à parentibus miſſus eſt Magdeburgenſem, quæ tempore illo nominis celebritate prçſtabat cæteris. Eo in loco Sigfridi Sacci, Dionyſij item Dragẽdorffij, & Georgij Rollenhagij diſcipulus atq; auditor fuit annis octo, aliter ſcilicet quã qui ætate iuuenili ſedib⁹ incertis oberrantes, puectiores tãdẽ dignas incurrũt pœnas temeritatis & ſtultitiæ. Porrò cum ingenij ille acumine eſſet prçditus ſingulari, facillimeq; à prçceptorib. tradi-

ta assequeretur, suamq; naturæ dotibus diligẽtiam deesse non pateretur; iam tum quis futurus esset ostendebat. Ætate autem ibi studijsq; confirmatis, & linguæ vtriusque fundamentis bene iactis, in Illustriss. Marchionum Academiam sese ad Oderam cõtulit, anno Christi 1576. Hic cum doctrinæ eruditæ testimonium adeptus, artiumq; optimarum Magister publ. renunciatus esset, atq; in illam, quam I C. ait, artem boni & æqui sub Præceptore Rudolpho Schradero, cęteriſq; ibidem Iuris Professorib⁹, summo animi conatu incubuisset toto fere quadriennio, cæteras deinceps per Germaniã Academias perlustrauit, atq; Friburgi Brisgoiæ substitit. Eâ verò in Academiâ ita breui tùm Professorum tùm studiosorũ sibĩ animos conciliauit, vt præ cæteris eum illi amanter complecterentur, hi non commilitonem iam, sed doctorẽ agnoscerent, vtq; publice ibi ius interpretaretur, obnixe rogarent. Etsi autem id ibi non agebat, neq; eo istuc consilio venerat, tamen cum docendo etiam nos discere, & publ. institutionem animos ad vberiorẽ meditandi ratio-

rationem excitare compertum haberet, obsecutus illis, publice ius ciuile, extra ordinē quidem, docuit, magnâ assidue auditorū frequentiâ; vt testantur adhuc tùm eiusdem Academię Antistites, tùm qui viuâ illius ibidē voce perfruebantur complures. Eandem verò doctrinę atq; virtutis præstantiam loquentur illi olim, quos premere eum adhuc cōperimus rerum politicarū atq; iuridicarum cōmentarij, cum quidem Laureæ supremæ Friburgi summo Academiæ procerū studio decreti ipsi maximaque actus publici festiuitate collati honores narrationi huic manifeste astipulentur. Mirabiles autem sui amores excitare solere Honestum, vere Platonem dixisse, & M. Tullium, suo cōprobauit exemplo Paurmeisterus. Etenim non vni Friburgenses, sed vicini quoque regionis istius eum primates diligebāt. Nimirum inclytus & maxime Reuerendus Princeps & Dominus, Dn. Philippus Flachius, illustrissimi Ioannitarum ordinis Magister, Reuerendus item & nobilis amplissimusque dominus VVilhelmus Bocklinus, nec nō generosus ille

& de Christianis aduersus Maümetē præclarè meritus Baro Lazarus Schvvendius, gratiâ & beneuolentiâ illum singulari prosecuti, familiari etiã eiusdem consuetudine sunt delectati. Quamuis autem hæ tunc illi forent occasiones, functionesq; deferrētur non contēnendæ; patriæ tamen præ cæteris operam suam deberi agnoscens, vocationi Halberstadiensi obsecutus est, finiente anno 1581. à Cathedralis ibidem Ecclesiæ Capitulo constitutus Aduocatus & Syndicus. Hanc verò cum prouinciam annos totos XIII. probe administraret, industriaq; & humanitate bonorum sibi omnium animos conciliaret, neminem præ se contemneret, sed pro ijs, quæ à DEO sibi concessa agnoscceret gratus, sua alijs dona cum honore largiretur, deq; Spartâ hac deserendâ cogitaret nihil: Consilijs eum secretioribus atq; Cancellis aulæ Halberstadiensis præfecit Reuerendissimus & Illustriss. Princeps & Dominus, Dn. Henricus Iulius, postulatus Episcopus Halberstadiensis, & Dux Brunsuicensis atq; Lunęburgēsis, à primâ adolescentiâ in liberalium disciplina-

plinarum ſtudijs verſatus, nec ſapientiâ minus iudicijq; dexteritate, quam animi magnitudine Princeps excellens. Hoc ille cum munere fungeretur diligentiâ fideq; maximâ, & Legationes heri Clementiſſ. nomine, cũ ad Imperij ſubinde Principes, tum ad Imperatorẽ ipſum ſuſceptas grauiter dextreq; expediret, ſacrę etiam Maieſt. fauorem atq; beneficentiã meruit, anno 1594. Ratisbonæ in publico Romani Imperij conuentu, annumeratus Cæſarei Palatij Comitibus. Et hæc quidem de Paurmeiſtero, quem cum hæc ſcriberemus, apud prænominatum Principem ingeniorum cenſorem grauiſſimũ, ita in precio eſſe audiebamus, vt credat ipſi non illa modò, quæ diximus, arcana aulæ conſilia, & cancellos, ſed Reinſteinenſis quoq; & Blanckenburgenſis Comitatus nuper adminiſtrationẽ & tutelam; quod clariſſimorum Germaniæ Poetarum affirmant Lipſiæ in eundem hunc Paurmeiſterum editæ Panegyres.

SIMON PISTORIS LIP EN IC ET CANCELLAR SX
B.
Natus Lipsiæ
Anno 1550 Obijt
Senfeldæ Anno 15
Saxonica vixit qui Cancellarius aula,
Pistoris tali pingitur ore Simon.

SIMON PISTORIS JC. ET Cancellarius Elect. Sax.

SIMON Pistoris Lipsiæ natus anno 1589. Patre Simone Pistoris Medicinæ Doctore, & Aulæ Saxonicæ Archiatro (cuius genitor Nicolaus Pistoris, & ipse Illustrissimi Saxoniæ Ducis Archiater fuerat) eruditæ familiæ huius claritatem maximis cum animi & corporis, tum fortunæ bonis, cum multorum admiratione magnopere accumulauit. Simõ autem ille, vbi liberalia, præcipue verò Iuris studia; tum Germaniæ, tum Italiæ in Academijs absoluisset, in Academia Patria Codicis Professor Ordinarius ius interpretatus est toto quinquennio. Etsi verò sorte ista & honoribus nõ contemnendis contentus altiora minime appeteret, tamen Illustrissimo Principi Saxoniæ duci vocanti obsecutus, tandem Cancellarij officiorumq; in aula Saxonica magistri muneribus annis triginta, magnâ cum gloriâ perfunctus est. Commeatu tandem gratiose impetrato, dierum gloriæq; satur, obijt in pago hæreditario Seuseliz 3. Non. Decemb. anno Christi 1562. ætatis 72. Quædam eius lucubrationes & respõsa iuris siue Consilia prodierunt Lipsiæ cum Modestini filij Consilijs. Porrò Simon ille vt animi corporisq; dotibus secundus sæculo suo fuit nemini, ita fortunæ bonis pleroſq; antecelluit, relictis post se liberis ac Nepotib⁹ eruditis ac honoratis, quorum in monumentis viuit vigetq; præclara eius in omne deinceps æuũ memoria. Edita præterea sunt Simonis Pistoris disputatio de Morbo Gallico, contra quã scripsit Manardus Ferrariensis, & Castigationes in declamationes Alabandicas, quæ

sane non hunc nostrum Simonem, cuius formam apposuimus, sed patrem eius Medicum homonymum, authorem suum fatentur.

MODESTINUS PISTORI S. IURISCONSULTUS
B
Nascitur Lipsiæ
An 1516. Obyt
ibid. Anno 1565.
Cui Schola cui debet Respublica, cui domus aula,
Nempe Modestinus gloria juris hic est.

MODESTINVS PISTORIS IC.

MOdestinus Pistoris Simonis Iurisco-sulti & Cancellarij Saxonici filius, Simonis verò Archiatri Saxonici Nepos, Nicolai, q & ipse Illustriss. ducis Saxoniæ Archiater fuerat Pronepos, Lipsiæ nat⁹ est anno 1516. Is à parentibus in omni literarũ & virtutum studio à teneris educatus, prima eruditionis fundamenta in patriâ Academia posuit: inde in Italiam profectionem suscipiens totũ quinquenniũ omni liberali doctrina, in primis verò Iurisprudẽtia animum mirifice excoluit. Quare patriam iam confirmatâ eruditione repetẽs, in ea legum Doctor creatur, & eiusdem facultatis Ordinarius Professor constituitur. Quam Spartam cum more maiorum suorum excellenter ornaret, ab Illustrissimo Saxoniæ Electore inter Consiliarios adscitur, & iudicij Curialis Assessor perpetuus deputatur. Quin & Proaui Consulis Lipsensis & aui Medici &

Patris Iuriſconſulti, præſtantiſſimorum exemplo per multos annos Conſulari dignitate Lipſiæ in patriâ fungitur. Tandem magnâ cum laude dignitatis, virtutis, ſapientiæ, iuſtitiæ, magniq; illius Modeſtini I C. Rom. vt nominis ita ingenij ac ſtudij conſors digniſſimus, non tam ætate conſumptus, quàm laborum pertinaci aſſiduitate fractus, cum maximo, nõ ſuorum modò, ſed totius Reipub. extern. quoque luctu, pie ex hac vita exceſſit anno ſalutis 1565. ætatis 49. M. 9. D. 7. Editum eſt Volumen eius Reſponſorum Iuris ſeu Conſiliorum Lipſiæ, quo opere tum ſibi tum Nepotibus ſuis nomẽ indelebile in omnem æuiternitatem acquiſiuit.

BONIFACIUS AMERBACHIUS BASILEEN. IURECONSULTUS
B.
Nascitur Basileæ
Anno 1495.
Obyt ibid. An. 1564.
kl. Feb.
Jura foro, doctasq; scholæ qui sufficit artes,
Talis AMERBACHIUS conspiciendus erat.

BONIFACIVS AMERBACHIus Iurisc. Basiliensis.

BOnifacius in lucem editus Basileæ, patre Ioanne Amerbachio, ciue primario & Typographo, qui artem excudendorum bonorum autorũ inter primos Basileæ exercuit, matre verò Barbara Ortenbergia, anno 1495. Puer felici ingenio cum fratribus Brunone & Basilio (qui eum ætate antecedebãt) studijs incumbens, præclaram eruditionem nactus est. nec enim publicas tantum Academiæ lectiones visitabat, verum etiam domi Conone Norimbergensi, qui in Italia Græcas literas didicerat, priuato præceptore magno cum fructu vtebatur. Anno itaq; 1513. Philosophiæ & liberalium artium Magister in patriâ salutatur. Erat eo tempore Erasmus nouus hospes Basileæ. Is Bonifacij moribus plurimum delectatus eum dilexit vnice, & postea inter summos amicos semper habuit. Cũ hoc modo Bonifacius artium & linguarum funda-

menta in patriâ feliciter iecisset, exteras nationes inuisit, inprimis in Italiâ & Galliâ iurisprudentiæ incubuit, in quâ Auinione summũ Docturæ gradum cum laude est consecutus. Cum hac ratione rarâ animi prudentiâ & vitæ integritate insignis esset, post aliquot annos Basileam redijt, & leges ciuiles publ. in Academiâ enarrauit, magnâ cũ laude per ann. 20. & amplius, adeò vt omnium doctorum ora in se conuerteret. Non enim modò alios eloquẽtiâ & eruditione vicit, sed & cum veteribus certasse videri poterat: itaq; multoties occasio oblata emergendi & ad altiora aspirandi, præsertim cum à quibusdam Principib⁹ ad consilia, & in Italiam insuper studiorum matrem ad leges publice exponendas, liberali stipendio vocaretur. Verũ ipse pro innatâ modestiâ patriæ cum docendo, tum de iure respondendo se dare maluit, suâ sorte contentus. Nihilominus Principibus ad id requisitus consilia dedit, suâq; eruditione atque virtutibus patriæ ornamento fuit.

Erat Bonifacius proceræ staturæ, imberbis & fa-

& facie liberali insignis. Verba cum magnâ grauitate proferebat, pietatem erga DEVM, charitatem erga proximum, & raram liberalitatem erga pauperes, præsertim literarum cultores, exercebat. Itaq; Erasmus Bonifaciũ hæredem elegit, & cum Hieronymo Frobenio, & Nicolao Episcopio Typographis, testamẽti sui executorem constituit. Duxerat is vxorẽ Marthan Fuchsiam magnæ pudicitię feminam: ex qua progenuit Basiliũ, qui patri in possessione successit, eundẽ pari gratiâ & eruditione referẽs iura publice ꝓfessus. Cum autẽ vxor Maria fato functa esset, Bonifacius amore dilectę coniugis in viduatu vltra decennium permansit, publicam Lectionem resignans, vt cõmodius priuatis studijs & patriæ negotijs inuigilaret. Multa suæ virtutis is documẽta reliqt. Quare cum hoc modò vir omniũ seculorũ memoriâ digniss^mus, cunctisq; ob vitę innocentiã gratissimus, tandem Kl. Maij anno salutis 1562. ætatis vero suæ 67. cũ totius Academiæ & vrbis luctu obijt, sepultus in cœnobio Carthusianorũ. eo enim in loco annos ante 18. parentib. sibi, vxori

& liberis monumentum præparari fecerat, cũ sequenti ad parietem inscriptione.

Quo nullus suo sæculo fuit, cum in excudendis libris nitidior, quod sumptuosæ dexteritatis est, tum in ijsdem ad veterum exemplarium fidem restituendis diligentior, quod eruditionem & laborẽ requirit, Ioannes Amerbachius hic cubat, cũ Barbara Ortenbergia, singularis pudicitiæ feminâ, ac Brunone Basilioq; filijs, præpropere quidem hinc ereptis, sed tamen eruditione sua trilingui per laboriosissimam Hieronymianorum operum recognitionem, quibus docti vbiq; gentium fruuntur, orbi toti commendatâ. Bonifacius Amerbachius parentibus & fratribus optimis, sed & Marthæ Fuchsiæ vxori suæ, Christianarum virtutum dotibus incomparabili, cum Vrsula ac Hestere duabus filiolis hic quiescenti: item sibi ipsi, liberis suis superstitibus, Faustinæ Basilio, Iulianæ, posterisq; in fragilitatis memoriam F. C. parentibus fratribusq; iam olim, vxore verò in ipso ætatis flore cum filiolis haud ita dudum huc expectandi censorij nouissimi diei ergo collocatis anno 1544. Cal. Febr.

Scripsit Epistolam de vrbe Basilea insertam Cosmo-

Cosmographiæ Sebastiani Munsteri: Item cō-mentationes περὶ ἀπειρίας καὶ πεπερασμένης. Item περὶ ἐξουσίας καὶ ἀκουσίας.


SEBASTIANVS BRANDVS. QVI ET TITIO
Nascitur Argent.
Anno 1458.
Obyt ibid. An. 1520.
Tractavit Leges pariter, sacramque Poesin,
Nobilis ingenio Brandus, at arte rudis.

SEBASTIANVS BRANDVS, qui & Titio.

SEbastianus Brand, qui & Titio, Argentorati vrbe sacri Imperij liberâ natus, anno 1458. Artium humaniorum Basileæ perfecto Magisterio, earum exornandarum atq; illustrandarum studio flagrans incredibili, optimos quosq; autores in publicũ proposuit, & ab interitu vindicauit: magnum & patriæ & sibi passim nomen comparauit, Poeta pariter & vtriusq; Iuris Professor seculi sui eximius. Tandem præstãtis ingenij monumẽtis in vtraq; facultate relictis quamplurimis obijt Argentorati, anno Christiano 1520. de quo Treutlerus elegantissime cecinit:

Primus es hoc seclo prauos ostendere mores
Ausus, iudicio plenus & ingenio:
Et sua sunt studys cunabula, si quid in arte
Culpatur, veniam tempora forte dabunt.

Scripsit

Scripsit Rosarium Diuæ Mariæ sapphicum in laudẽ Virginis; Ænigmata veteris testamẽti: De virginali conceptu possibili. Admirationem Mariæ adueniente Angelo. Salutationem Angeli. De locis mirificis Beatæ Mariæ. Compassionem Virginis: Consolationẽ Christi ad matrem. De Colaphis Christi. De ingratitudine edentium Manna. In laudem S. Sebastiani. Vitam S. Onuphrij. in laudem S. Valentini. in laudem S. Iuonis. Vitam S. Bernhardi. in laudem ordinis Carthusien. De contemptu seculi. Laudes Beatæ Christianæ prope Basileã. Contra aduocatos calumniantes. De captiuitate regis Maximiliani. Elegiam in mortem Imperatoris Friderici III. Variorum Epigrammatum libr. 1. De stultorum nauicula Satyras plane diuinas carmine latino & Rhythmis etiã Germanicis. Iuris Canonici & ciuilis omnium Titulorũ expositiones siue declarationes, impressas Basileæ apud Michaelem Furter 1505. ex recognitione autoris, cum libello Ioannis Baptistę de Cazalupis, de modo studendi in vtroque Iure. Varia Epigrammata in laudes Sanctorum.

ctorum. Epithalamium Maximiliani Regis & Blancæ Mariæ Reginæ Rom. &c. Idem in Germanicam linguam tranſtulit librum Moreti de moribus iuuenum, impreſſum Argentinæ an. 1508. Scripſit etiam res memorabiles Euangeliſtarum: Item librũ, quem inſcripſit Chronica Germaniæ, præſertim Alſatiæ & vrbis Argentoratenſis, impreſſum cum Germanicis Chronicis Hedionis. Item de Origine & conuerſatione bonorum Regum & de laude ciuitatis Hieroſolymitanæ. Præterea ſcripſit in quædam opera Baptiſtæ Mantuani commentarios Pariſijs impreſſos.

Vt Schola Cysnerum, sic Imperiale tribunal,
Atque Palatinj prædicat aula Ducis.

NICOLAVS CISNERVS IC.

NIcolaus Ciſnerus naſcitur anno 1529. in Mosbach ſub Palatini Elect. iuriſdictione oppido, vbi à parentib⁹ in omni virtutum genere educatus, varia deinde Gymnaſia perluſtrauit, adeò vt in virum ſpectatæ induſtriæ & virtutis euaderet, qui multiplice & exquiſitâ omnium pœne literarum ſcientiâ præſtaret. Iuris ſtudium amplexus tantâ felicitate profecit, vt Philoſophiæ & iuriſprudentiæ Doctor crearetur celeberrimus. Erat in illo vitæ intregritas, & docendi ſingularis induſtria & promptitudo. quod cum Heidelbergenſis Academiæ proceres cognoſcerent, Anteceſſorem iuris Ciuilis eum conſtituunt ſolertiſſimum: anno 1562. in promotione aliquot Iuris Doctorum Orationem præclaram de Friderico Cæſare habuit. Dein ſupremi Cameræ Imperialis iudicij Aſſeſſor annis XVIII. fuit integerrimus: Poſtea Proiudex & Senator Illuſtriſ-

simi septemuiri Curiæ Palatinæ dignissimus, permultis in omni doctrinæ genere ac præsertim in iure libris scriptis immortalem sui nominis laudem & gloriam apud omnes mortales reliquit sempiternam. Tandem iustitiæ & Æquitatis antistes, præsesq; Opt. max. Musarum & Historiæ cultor eximius, pie sancteq; mortuus decessit Heidelbergæ, anno sal. 1583. prid. Id. Martij. Ætatis anno LIII. M. XI. D. VI. Edidit Hymnum de Natali Domini Iesu Christi excusum Wittebergæ 3. quaternionib. Orationem & Idyllion de comparatione Veris & Autumni, vtra pars anni plura humano generi commoda conferat, ibidem 7. quatern. Epithalamium in Nuptias Arnoldi Obsopœi & Euæ Reginæ. Descriptionem exercitiorum & lusuum equestrium, quibus nostris temporibus nobiles vti solent. Catalogum item præcipue Nobilitatis in Palatinatu & in vicinia, adiectis Historicis quibusdam Principum Palatinorum, in descriptione Nuptiarum Philippi comitis ab Hanavv, & Helenæ filiæ Palatini Rheni & Bauariæ ducis. Interpretationē psal. 77. ver-

77. versibus Lyricis factam. Encomiũ coniugij in nuptijs Dauidis Chytræi, & odas aliquot ad Princip. Ioan. Albertum Megapolitanũ, Item alia quædam Epithalamia & Epicedia. Præterea de ratione exercendi stylum ad imitationẽ veterum libros quatuor. Cõmentaria item in Aristotelis Ethica cum designatione artificij. Orationem de Ottone III. Imperatore. Acta visitationis Cameræ Imperialis in certos Titulos digesta, cum explicationibus, additionibus &c. Germanice. Orationem de Friderico Imperatore. super ff. nouel. s. priusquam. Eiusdem operâ & diligentiâ libri 7. Annalium Boiorum Ioannis Auentini ex autenticis manuscriptis codicibus recogniti, restituti & aucti prodierunt. Item Epitaphia & Carmina eiusdem, quæ memoriæ illustriss. Principis & Electoris, Dn. Friderici III. Comitis Palatini ad Rhenum, eiusdemq; inclytæ coniugis D. Mariæ Brandeburgicæ, & illustriũ duorum Principum, Dn. Hermanni Ludouici & Christophori consecrauit.

IOANNES LVDOVICVS VIVES PHILOSOPHVS
Nascitur Valentiæ in Hispania
Obijt Brugis Flandrorum Anno 1541
Sydus in Hisperijs VIVES regionibus ortum,
Protulit arctoum cur jubar usq; polum.

IOANNES LVDOVICVS VIVES VALENTINVS.

IOannes Ludouicus Viues Valentinus, natione Hiſpanus, ſapientię illius verę, non humanæ ſolùm, verũ etiam diuinæ in omni vita ſtudioſiſſimus, quam & ſummâ cum laude eloquentiæ & virtutis plurimùm illuſtrauit, lucubrationibus de ea editis, & doctè prorſus & accuratè cõſcriptis, probatus vir induſtriâ patiẽtiâ, labore, animiq; magnitudine: Cuius immortalis famæ gloria, idq; meritò, quo ad ſapientiæ cultũ in omne æuũ viuet perpetuo, magno ſui deſiderio bonis omnibus relicto, obijt Brugis Flandrorum, anno 1541. Scripſit de ratione ſtudij puerilis Epiſtolas duas, quibus abſolutiſſimam ingenuorum adoleſcentum & puellarum inſtitutionem doctiſſima breuitate complectitur. Introductionem item ad veram ſapientiam. Satellitium animi ſiue ſymbola, ad omnem totius vitæ maxime principum inſtitutionem mire conducentia. De conſcribendis Epiſtolis libellum impreſſum cum Eraſmi Roterodami compẽdio eiuſdem argumenti. Latinæ linguæ exercitationem, cum Ioan. Thomæ Fregij notis ex præſtantiſſimis quibuſq; autoribus deſumptis, illuſtratam. Præterea ſcripſit in Bucolica Vergilij interpretationem. Libellum de ſomno & vigiliâ. Rhetoricæ ſiue de recte loquendi ratione libros tres. item de cõſultatione librum vnum. De corruptis artibus & tradendis diſciplinis libr. 20. Librum contra pſeudodialecticos. De virtute fucatâ librum. De animâ & vita libros tres. Declamationes ſex. De præſenti ſtatu Europę & bello Turcico, diuerſa opuſcula. De concordia & diſcordiâ in humano genere lib. 4. De pacificatione lib. 1. de Chriſtianorum vita miſerrima ſub Turca libr. vnum. De ſubuentione pauperum ſiue de humanis neceſſitatibus libros duos.

Sacrum

Sacrum diurnum de sudore Christi. Concionem de nostro & Christi sudore. Meditationem de Passione Christi in psalmum 37. De institutione feminæ Christianæ libros tres. De officio mariti librum. Excitationes animi in Deum. Præparationem animi ad orandum. Commentaria in Orationẽ Dominicam. Precationes & meditationes quotidianas generales. De veritate fidei Christianæ. Commentaria in Aurelium Augustinum de ciuitate Dei. Argumenta in plerosq; libros Philosophiæ Aristotelis, cum ipsis Operib. Aristotelis impressa Basileæ apud Oporinum. Transtulit etiam Isocratis duas Orationes, Areopagiticã videlicet & Nicoclem. Scripsit præterea vsum linguæ latinæ. De communione rerum. De sudore. Progymnasmata. Item descriptionem temporũ & rerum Romanarum sub Ioannis VVarsenij nomine Louanij edita, paucis mutatis. Libellum de charitate DEI & proximi nõdum editũ. Desideratur etiam farrago Epistolarum eius & quædam alia, quæ fortassis, dante Deo, aliquando publicabuntur. Item scripsit de prosperis & aduersis. Epistolam ad Henricum VIII. Angliæ Regem de Francisco Gallorum Rege à Cæsare capto. Item aliam de pace inter Cæsarem & Galliæ regẽ, deq; optimo regni statu. De tempore quo natus est Christus. Clypei Christi descriptionem. Triumphum Christi. Orationem Deiparæ. Veritatem fucatam. Animam senis. Initia sectarum & laudes Philosophiæ. Fabulam de homine. Præfationem in Georgica Vergilij. Itẽ in Ciceronem de legibus. Genethliacon Christi: Ædes legũ. Pompeium fugientem. Epistolæ eius selectiores operâ Simonis Verrepœi editæ sunt Antuerpiæ an. 1577. Omnia eius Opera, quotquot in lucem edita voluit præter Cõmentaria in Augustinum de Ciuitate Dei, duobus Tomis edita sunt Basileæ apud Episcopium Iuniorem anno 1555. in folio, in ijs præter ea, quæ commemorauimus, quædam alia quoq; continentur.

IACOBUS LATOMUS THEOLOGUS.
B.
Nascitur
Obiit An. 1520
Latomus artifici disponens singula dextra,
Facundum solers ædificavit opus.

IACOBVS LATOMVS, THEOlogus trilinguis, pater siue Senior.

EXTAT præclarum elogium de viro doctissimo IACOBO LATOMO, cuius effigiem hic præferimus, scriptum Authore Arria Montano, cuius iudicium docti omnes faciunt plurimi:

AEdificat Latomus multa & præclara disertus,
Disponensq; manu construit artifici.
Qui loca quæsierit fidei bene commoda nostræ,
Illa petat doctus qua posuit Latomus.

Summa enim fuisse eloquentiâ virum & non Theologiæ modò sed & Philosophiæ studiosissimũ manifeste declarat, vt & trium linguarum peritissimum. Scripsit enim de trium linguarum & studij Theologici ratione dialogos duos; item de confessione secreta librum. Scripsit etiã contra articulos Martini Lutheri. Responsionem ad libellum à Martino Luthero emissum pro articulis à Theologis Louanien sibus damnatis. De primatu Pontificis aduersus Lutherũ. De varijs quæstionũ generib. quibus certat Ecclesia intus & foris. De ratione obligandi humanæ legis. De confess. secreta. Ad Helleborum Ioan. Oecolampadij responsionem. De fide & operib. De Monachorũ institutis, votis & obligationib. De trium linguarũ & studij Theologici ratione Dialogum. Pro dialogo de tribus linguis Apologiam. Aduersus librum D. Erasmi de sarcienda Ecclesiæ concordia. Confutationũ aduersus Guilielmum Tindalum libros 3. De matrimonio. De quibusdam articulis in Ecclesia controuersis. Disputationem quodlibeticam tribus quæstionibus absolutam: quæ

omnia excusa sunt Louanij, 1550. apud Bartholomæum Gravium. Claruit anno 1520. Louanij.

IACOBVS LATOMVS filius siue Junior.

Filium reliquit homonymum, Iuniorē dictum. Is triginta Psalmos Dauidis, in quibus septem sunt quos vocant pœnitentiales, in Carmen conuertit: Item alios Psalmos carmine edidit, excusos Antuerpiæ à Plantino 1571.

IOAN. LATOMUS FRANCF. DEC. THEOL. ET HIST.
B.
C.
Nascitur Francfor.
24. Jan. Anno 1524.
Esse foris major potes, obstat patria. Hujus
Gloria prima fori, LATOME, prima Chori.

IOANNES LATOMVS THEOlogus & Hiſtoricus, Decanus Collegij Cæſarei S. Bartholomæi, Francforti ad Mœnum.

IOannes Latomus, tùm natione tùm familiâ diuerſus à Iacobo Latomo, cuius effigiem proximè pręmiſimus, patriam habet Francfordium, Rom. Imperij nobile Emporium, vbi 24. Ianuarij die, anno M. D. XXIV. natus eſt parentibus honeſtis & mediocri fortunâ; Patre videlicet Ioanne Latomo Senatore eiuſdem Reip. Is ergo honeſte educatus à parentibus bonas literas primò in patria imbibit, ac natus annos 13. Coloniam ablegatus eſt, vbi vberiorem diſciplinarum copiam eſt aſſecutus, in Mõtano Gymnaſio prçceptoribus vſus bonis & mediocriter eruditis: poſt biennium auocatus Moguntiæ ſubſtitit per bienniũ, Rhetoricam ibi edoctus. Inde Friburgi Briſgoiæ triennium exegit, vſque ad Magiſterij Lauream adeptam. Habuit ibi præceptores d. Glareanũ, quem plurimum

mum coluit,amauitq; & Doctorem Ioannem Zinckium, qui Stofleri discipulus fuit. Tandē in patriam reuocatus anno M. D. XLV. Ecclesiæ inseruire cepit. Motis verò deinde varijs tumultibus & bellis,à quibus Frācfordia immunis non fuit,varios est expertus insultus. Inter hæc cum varijs morbis conflictatus,decennio (quantum licuit) quietè exacto,in Decanum Collegij Cæsarei ad D. Bartholomæū ibidem electus est anno 1561. in quâ prouinciâ obeundâ,tàm quietè est conuersatus,vt Reuerendissimo & Illustrissimo Principi Mogūtino admodum charus esset. Patriæ autem ciuibus acceptus erat,nec Senatui displicebat. Equidē publice ita se gessit, vt non Principum modò, sed & Cæsareæ Maiestatis commissiones meruerit,easq; non infeliciter curarit. Cum enim patriæ Senatus grauem & diuturnam litem aleret cum conciuium primariorum aliquo, eo tandem defuncto, à Cæsare Commissarius designatus rem omnem summâ cum æquitate composuit. Vsus est præterea Cæsar eius operâ in librorum, qui in Nundinis ad Emporium illud

illud venales importantur, inquisitione, quo officio exequendo varias molestias passus, tandem illud in manus alterius resignauit, cum videlicet senectus laboriosa labores eos ampliùs non sustineret. Priuatim verò ita prouexit Ecclesiæ commoda, vt à suis ipsi gratia meritò debeatur: à primis enim annis deditus dicatusq; sacris fuit, nec quicq̃ prius habuit, quam Deo & rebus diuinis inseruire. Quare cum tam publice, quàm priuatim ab omnibus præclare mereretur, genus familiamq; suam per se quidem laudabilem & honestam ipse primus maxime illustrauit. Demum plurimis attritus morbis, curis & sollicitudinibus, senex de Ecclesiâ & bonis omnibus optime meritus, rude donatus Iubilæum in patriâ celebrauit actu publico & summâ cum solennitate, anno 1595. 3. Id. Iunij, posteaquã ampliùs 50. annis Choro cum laude & deuotione inseruijsset: cui festiuitati carminibus suis gratulatus Teucrides Annæus Lonicerus Priuatus inter cætera ita cum alloquitur:

Instar enim vitæ melioris & optima rectæ

Regula censuræ, atq; aui sine labe peracti
Exemplum incedis, viuaq; in imagine luces.

His moribus, his meritis amplissimis incauto irrepsit senium, ita tamen vt nec vixisse ipsum pœnituerit hactenus, nec deinceps pœniteat. Quod verò vitæ supereſt, totum id in gratiarum actionem & laudem DEI impendere cogitat, dum iam anhelantem, fessumq; & annos LXXV. agentem mors expectat & sepulchrum. At verò nec sic quidem morietur omnis. maxima enim pars eius vitabit Libythinam, & doctus per doctorum ora volabit viuus, nominis sui celebratione tùm sibi, tùm patriæ æternum decus conquisiturus. Scripsit enim pulcherrima quædam opera, inter quæ Precum horariarum Moguntinæ Ecclesiæ libellus, quem Breuiarium Moguntinum vocant, maxime celebris habetur: eundem libellum deinde in compendium siue Diurnale contraxit. Fecit Historiam de Mogũtinis Episcopis, multo diuturnoque labore, plus quam ex centenis Historicis erutam: & alteram Austrasiæ Principum, cum Iconibus illorum, Vxoribus

xoribus & sepulturis, à Carolo Hasbano vsque ad Philippum III. Hispaniarum Regem, qui nunc præest. Antiquitates patriæ suæ Francfordiæ, quotquot earum haberi potuerunt, diligenter collegit & in Commentaria redegit.

IOANNES COCHLÆUS THEOL.
DOCT DECANVS FRANCF
B.
Nascitur Norimbergæ
Par tibj cum summis debetur gloria. nam tu
Par calamo summis ingenioq; viges

IOANNES COCHLÆVS THEOlogiæ Doctor & Decanus B. Mariæ Virginis Francfordij ad Mœnum.

IOANNES Cochlæus Norimbergâ ciuitate liberâ Imperiali natus circiter annum 1503. felici ingenio & vigilanti ſtudio literis operam dedit, in primis verò Theologiæ incubuit, vnde multijuga inſtructus eruditione Doctoratus in ea facultate inſignia conſecutus eſt. Hic ab adoleſcentiâ Luthero & Philippo Melãchthoni reſtitit, Catholicorum partes acerrime defendens. Moguntiæ primum ad S. Victorem, poſt VVormatiæ Canonicus factus eſt; Anno 1521. VVormatiæ ſuâ ſponte Lutherum acceſſit, atq; ei ad ignem vſq; diſputationem obtulit. Huic cum Lutherus reſpondere vellet, Comes quidam aſſidens ſuam autoritatem interpoſuit. Poſtea Auguſtæ Vindelicorum in Comitijs anno 1530. fuit, & cum Eccio contra Proteſtantes diſputauit. Hinc factũ, vt Francfordienſis Decanus in monte B. Mariæ Virginis conſtitutus ſit. Eraſmo Roterodamo fuit familiariſſimus. Ratisbonæ anno 1546. cum Maluendo & Bilickio contra Bucerum & ſocios in colloquio diſputauit. Tandem Vratiſlauiæ, vel, vt alij habent, Viennæ, obijt anno 1552. Scripſit is primò Grammatices rudimenta. Poſtea aduerſus nouam apud Bernenſes reformationem. Item de Canonicæ ſcripturæ, & Catholicæ Eccleſiæ autoritate; de animarum Purgatorio, de poteſtate generalis Concilij, & aduerſus Melanchthonis locos communes, vnde apud multos magnã gratiã iniit. Scripſit item ſacrificij ac ſacerdotij nouæ legis defenſionem aduerſus

VVolfgangi Muſculi arroſiones: in quatuor Andreæ Oſiādri coniecturas de fine mundi velitationem: Philippicam ſextā contra Melanchthonem: de nouis Hebræorum translationibus ſacræ ſcripturæ diſceptationē. de poteſtate generalis concilij 30. teſtimonia per quinque diſcrimina. Refutationem 30. articulorum, qui VVitteberge diſputati ſunt. Septuaginta ſententias in generali concilio. De factis ac dictis Martini Lutheri libros aliquot: de Petro & Roma contra Velenum: breues confutationes contra quinquaginta articulos Lutheri ex 36. ſermonibus eius exceptos: Commentarium in libellum Lutheri contra ſeditionem ruſticanam. Catalogum ſeditionum per diuerſas Germanię partes exortarum. Contra Epiſtolā Pomerani ad Anglos ſcriptam. De Chriſto pro & contra. Ad Bernenſes contra diſputationem ne fieret. Librum qui inſcribitur Lutherus ſepticeps. Apologiam pro duce Georgio ad Electorem Saxoniæ. Reſponſionem contra mendacia Lutheri pro duce Georgio. De miſſa & tranſſubſtantiatione: contra chronica Franci. De miſſa & conſecratione ſacerdotum contra Lutherum. De 21. articulis Anabaptiſtarum. Ad Iuſtum Ionam, de miſſa contra Luth. ad Regem Scotiæ contra Aleſium & Melanch. De autoritate conciliorū. Contra Catechiſmū Moibani. contra araneas Moryſini Angli, contra Ioan. Sturmium de conſilio Cardinalium delectorum. Relationē compendioſam ad Regem Epiſtolam ad Principes & ſtatus partis Catholicæ. Philippicas 4. contra Melanch. Contra eiuſdem Apologiam & confutationē Didymi Fauentini. De matrimonio regis Angliæ. Defenſionē Roffenſis Epiſcopi & Thomæ Mori. Propoſitiones 153. aduerſus 70. propoſitiones Luth. contra antinomos. Libellum, vtrum is, qui non eſt ab Epiſcopo aliquo conſecratus, Euchariſtiam per verba conſecrationis conficere queat. Colloquium cum Luthero habitum VVormatiæ. An

tiæ. An liceat duas vxores habere simul. De vera Ecclesia: de ordinatione Episcoporum & presbyterorum, & de Eucharistiæ consecratione. Philippicam quintam. Contra 18. articulos VVittebergensium de peccato originali, & 21. de fide iustificante. Defensionem ceremoniarum Ecclesiæ, contra tres libellos Ambrosij Moibani: Quadruplicem rationem concordiæ super confessione Augustana. De inuocatione sanctorũ, eorumq; intercessione, & de reliquijs imaginibusq; eorundem, contra Bullingerum: Historiam de vita Theodorici Regis Ostrogothorum & Italiæ. De modo & vsu orandi antiquo. Miscellaneorum libros tres, qui diuersos continent tractatus 30. Considerationem de Concordiæ tractatu, contra duo scripta Lutheranorum. Replicam in Musculi Anticochlæum & Antibolen Bullingeri: atque in quædam scripta Buceri. In Nycticoracem noui Euangelij. De Veneratione reliquiarum contra Caluinum. De Interim contra eundem. De seditiosis appendices tres ad librum Bruni. Historiæ Hussitarum libros 12. Philippicam 7. in Melanchthonem, Speculum antiquæ deuotionis circa missam. Rudimenta Musicæ & Geometriæ, in quibus verbis Norimbergensis laus continetur. Commentationem in Meteora Aristotelis. Exhortatio ad Germaniam de inuocatione Sanctorum. Responsionem ad singula puncta Confessionis protestantium Principum Augustæ exhibita. Discussionem omnium Confessionis & Apologiæ Augustanæ articulorum. Edita est eiusdem & Arnoldi Vesalensis quadruplex consideratio super Confessione Augustana Protestantium quorundam anno M. D. XLIII. sed forte idem liber est cum eo, qui supra notatur, de quadruplici ratione concordiæ super Confessione Augustana. Eius item de actis & scriptis Martini Lutheri Historia

ab anno

ab anno 1517. vsq; ad annum 1546. in Germanicam linguam transtulit Ioannes Christophorus Huber. Scripsit insuper de resolutione Imperatoris Caroli V. ratione Interim. Atq; hæc de Cochlæo Decano Francfordiensi ad Mœnum.

IOANNES DE INDAGINE THEOLOGUS & ASTROLOGUS
B.
Nascitur An
Obijt Steinheim
Anno
Qui coeli indagas cursum, sensusq; Deorum,
Indagatoris quam bene nomen habes.

IOANNES DE INDAGINE Theol. & Astronomus, Decanus ad S. Leonhardum Francfordij ad Mœnum.

IOANNES DE INDAGINE VIR politioris literaturæ, & S. Theologiæ studiosissimus, edidit suis impensis Librum introductionum Apotelesmaticarũ in Chiromantiam, Physiognomiam, Astrologiam naturalem, cum Periaxiomatibus de faciebus Signorum, & Canonibus, de ægritudinibus, nusquam fere simili compendio tractata. Liber Argentorati est impressus in folio anno 1522. cum viua authoris effigie in titulo præformata. Cuius exẽplaris copia cũ peropportune nobis ad manũ esset, adhæc materia ipsa luculenter authoris eruditionẽ præclaram atque ingenium excellens argueret, plane dignũ hoc opere nos facturos putauimus, si eã occasionem hic non prætermitteremus, maximè cum vera effigiatione, quæ nostra in hoc opere

principalis est intentio, apponere in promptu fuerit. At enim cũ de vita eius quędam in medium afferenda sint, ea saltem attingemus, quę à viris fide dignis, qui notitiam familiaritatęq; eius coluerunt, relatu accepimus, potissimum quantum ex Epistola eiusdem ad Ottonem Brunfelsium scripta colligere erit. Floruisse eum anno 1522. indicium ea facit, parochiamq; tum in Steinheim oppido ad Mœnum amnẽ sito diœcesi Moguntinensi curasse, cui annos 49. munere suo præclaro fungens præfuit. adeò vt ob singularem vsum rerum plurimarum & eruditionem non vulgarem Legatione ad põtificem Romanum suscepta Pallium Archiepiscopale pro Reuerendissimo Moguntino redimere præ cæteris meruerit. Fuisse eum DECANVM Collegij S. Leonhardi Francfordij ad Mœnum, tum ij qui eius notitiam habuerunt, recte meminerunt, tum ex eadem Epistola manifeste liquet. non solum enim apertis verbis hisce id testatur, dum ita scribit ad Brũfelsium: DECANVS esse debueram, vt scis. atqui minus censeor, quam asinus Ægyptiacus;

hæc

hæc ferunt nobis hæc tempora. regnare volũt omnes, ſubeſſe nemo. Item, Quis ergo pro DECANO hodie ſubulcus eſſe non velit? ſed et aulas Principũ ſe annis duodeviginti ſecutũ ibidẽ fidem facit, vbi ſimul alia æui ſui incommoda deplorat. Aſtrologiæ ſtudioſiſſimus fuit. quo in ſtudio adeo excelluit, vt inter præcipuos in eo genere haberetur. De quo qui plura deſiderat, Epiſtolam eam, cuius modo mentionem fecimus, accuratius perlegat, & ſibi abunde ſatisfactum norit.

HISTORIC⁹ BILIBALDVS PIRCHAIMER⁹ PATR. NORIC⁹
Res mundi gestas, et coeli sydera norum:
Sma simul debent et supera alta mihi.

BILIBALD. BIRKHEIMERUS Norimberg. Hiſtoricus.

BILIBALDVS BIRKHEIMERVS patritiâ gente Norimbergæ vrbe Imperiali natus anno 1501. omni liberali doctrina politiſſimus, artibus dicendi hinc inde in Academijs perceptis, in primis Hiſtoriarum Lectioni ſe dedit, Mathematumq; ſtudio clarus fuit. quarum diſciplinarũ egregijs poſt ſe relictis monumentis patriæ Germaniæ illuſtrãdæ operam impendit fidelem. Eo itaq; nomine doctis gratiſſimus erat. Accedebat ad eius eruditionem vitæ integritas, & prudentia ſingularis. Id cum Maximilianus Cæſar cognouiſſet, recepit eum in curiam ſuam, vt à Conſilijs eſſet, ſæpiuſq; cum eo de rebus priſcis familiariter conferebat. Poſtea Senator Norimbergẽſis electus, in ea Repub. in ſumma autoritate fuit, in primis Eraſmo Roterodamo ob multifariã eruditionem familiariſſimus. Scripſit Germaniæ ex varijs authoribus perbreuẽ explica-

explicationé, præterea de priſcorũ numiſmatum, ad Norimbergenſis monetæ valorẽ. Fuit autẽ Græcarum pariter & latinarũ literarũ peritiſsimus, & Xenophõtis lib. 7. rerum Græcarum latinitate donauit. pari modo orationes 30. Nazianzeni ex Græco vertit: ad Oecolampadiũ de vera Chriſti carne & vero ſanguine in Euchariſtia ſcripſit, qui libellus Norimbergæ editꝰ eſt an. 1526. Tandem optime de Republ. Chriſtiana meritus obijt Norimbergæ anno Chriſti 1531. Præterea Nazianzeni libellum de Officio Epiſcopi latinum fecit. Ex Plutarcho tranſtulit opuſculum, de ijs, qui à DEO ſerò puniuntur: & aliud, Quod non oporteat mutari. primum librum Cl. Ptolomæi Latinitate donatum commentariolo illuſtrauit. Scripſit etiam de ratione conſcribendæ Hiſtoriæ. Item Defenſionem Podagræ impreſſam Argentinæ 1570. Et ex græco tranſtulit quoſdam Dialogos falſo Platoni inſcriptos.

ALARDVS AMSTELR EDAMVS BELGA PHILOSOPHVS NASCITVR AN OBYT LOVANY AN 1541
Agricolam logices nisi gloria prima sequaris
Amstelredamo debita sola fuit.

ALARDVS AMSTELREDAmus Philosophus.

ALardus apud Belgas honesto loco natus, & in omni genere literarũ optime educatus, vbi rudimenta Philosophiæ in patriâ ꝓcepisset, sese Coloniam & Louanium contulit, atq; humaniorib⁹ studijs felici successu operã dedit. Itaq; cum præclarã eruditionem sibi cõparasset, inter Professores publicos Louanij receptus fuit. Erat Alardus Græcę & latinæ linguæ peritissimus, atque artium dicẽdi singularis æstimator. Itaq; omnia Rudolphi Agricolæ opa emẽdauit atq; doctis scholijs egregie illustrauit anno 1529. Postea quoq; de Inuentione Dialect. Epitomẽ scripsit atq; Ecclesiastẽ iuxta omnes locos inuentionis Rudolphi ꝓposuit. Præterea mirabilia sui ingenij documenta reliquit. hinc factũ, vt Alard⁹ omnibus doctis viris per Germaniam gratissimus extiterit, atq; sibi magnã vbiq; autoritatẽ cõparârit. Tandẽ viam vniuersæ carnis ingressus, felicem sui memoriam ob multiplicẽ eru-

ditionem reliquit; cuius vita in operibus Rodolphi Agricolæ fusius tractatur. Idem Similia sacra congessit. Eius selectæ similitudines siue collationes, tum ex Bibliis sacris, tum ex veterum Orthodoxorum cõmentarijs tribus Tomis concinnatæ in 8. Venetijs habentur. Hippocratis Coi Epistolam ad Damagetam paraphrasticè cõuertit in Latinum sermonem, adiuncto etiam textu Græco Matthæi Philadelphiensis apud Ephesum Metropolitani, precationes, compendiariam in primis viam ad resipiscentiam præstruentes, & ad sumptionem Dominici corporis non parum conducentes, in latinum sermonem cõuertit. Scholia eius in Marbodæi de Gemmis librum, vnâ cum Georgij Pictorij scholijs, Item eiusdem descriptio Hæretici excusa habentur. Obijt Louanij anno 1541.

GVILELMVS PHILANDER CASTILIONEVS ARCHITECTVS
B.
Architectus eras, nec te præstantior alter
Par tibi cum docto gloria Vitruvio.

GVILHELMVS PHILANDER

Caſtilioneus Gallus, Philoſophus & Architectus.

GVilhelmum Philandrum Caſtilioneum Gallum, doctiſſimus Arnas Montanus hoc Elogio ornauit:

Verba ſimul rebus coniungere docte Philander
Reſtituis veterum verbaq́ reſq́ patrum.
Artificum Regina tibi ſua dona docenda
Contulit, & genitrix contulit Eloquij.

Scripſit caſtigationes atque annotationes pauculas in 12. libros inſtitutionum M. Fabij Quintiliani, ſpecimen quoddam futurorum in eoſdem commentariorum, quas Gryphius Lugduni impreſſit anno M. D. XXXV. eædem autem cum M. Fabij Quintiliani libris ſparſim adiectæ ſuis locis, etiam ſunt editæ. Scripſit præterea annotationes in Vitruuium de Architecturâ, quæ auctiores prodierunt Lugduni in quarto apud Torneſium.

In qua-

In quarũ Præfatione Philander libros aliquot à ſe inchoatos promittit ſe abſoluturum & editurũ, videlicet de Sectione & polituris marmorum: De Pictura & certa Colorum compoſitione: De Infectoria & Fullonica. De Figulina. De Sutrina. De vitraria. De Textrina, quæ radio, quæq; læis, id eſt, ponduſculis perficitur.

IOANNES HARTUNGUS PHILOLOGUS
B.
Nascitur Mylerburg
An. 1505 Obyt
Friburgi An. 1579
Si te Roma sibi si vendicat Helladis ora
Quid de te reliquum patria laudis habet

IOANNES HARTVNGVS
Philologus.

IOANNES Hartungus Milteburgi, Franconiæ orientalis oppido, natus anno 1505. Is vbi in patriâ prima literarum fundamenta fideliter iecisset, ad Heidelbergensem Academiam se contulit, Magisterque Philosophiæ ibi salutatur. verum cum Historiarum & Poetarum lectione plurimũ delectaretur, variasq; rerũ mutationes etiam vsu cognoscere optaret, aliquandiu Cæsaris castra secutus expeditioni Turcicæ interfuit, atq; suę industriæ quædam documenta in Vngaria reliquit. Inde ad studia reuersus Heidelbergã redijt, Græcę linguæ professionem in se illic recipiens. Exhibebat autem se publice & priuatim legendo scribendoq; talem, vt reliquis Professoribus ornamento esset ad annos XV. multique bonarum artium alumni ob nominis eius claritatem eo confluerent, siquidem in docendo fidelis & in reb⁹ explicãdis erat feliciſſimus.

Anno Christi deinde millesimo, quingentesimo quadragesimo sexto, cum religionis fieret mutatio, discessit; multorūq; literis inuitatus Friburgum Brisgaudiæ venit. Cæterum vitæ tempus annorum triginta trium ibi exigens, recept⁹ est inter Professores publicos. Nec verò contentus publice officium feciſſe, etiam domi suæ multos Germanicæ nobilitatis adolescentes informabat. erat enim singulare veræ probitatis, fidei, & industriæ exemplar. Cumq; Poeseos Historiarumq; studio mirifice flagraret, vt plurimum ijs tam Græcis quam Latinis publice enarrādis vacabat: in primis Homero, Apollonio, Rhodio, Q. Calabro, quos simul docendo & cōmentando egregie illustrabat. Tandem multis in medium propositis monumentis præclaris, obijt Friburgi senex anno Christi 1579. Ætatis 75. 16. Iunij. Scripsit autem prolegomena in tres priores Homeri Odysseæ Rhapsodias, Apologiam Græcorum de igne Purgatorio, exhibitam in concilio Basilienſi, & Apollonij Argonauticorum libros quatuor, ex Græco latinos fecit. Strabonem & Aristole-

lem

lem multis locis restituit; Lexicon Græcolatinum innumeris vocabulis adiectis locupletauit. Cæpit in totam Homeri Odysseam annotationes. Decuriæ locorum quorundam memorabilium, ex optimis quibusq; autoribus cùm Græcis, tùm Latinis excerptorum; item Chiliades locorum Homericorum eiusdem publice editæ sunt: ita vt ex eius lucubrationibus posteritas de ingenij acumine, deq; eruditione eius facile iudicium sumere possit.

IOANNES AVENTINUS BOIUS HISTORICUS NASCITVR AN 1466 Obyt An 1534
Scriptor Aventinus patria clarissimus ortu
Qua potis est Bavaros arte beare beat

IOANNES AVENTINVS
Bonus Historicus.

IOANNES Auentinus cognomento Turmarius dictus, Abusinâ Boiariæ oppido natus est anno 1466 Post absoluta tyrocinia in patriâ scholâ Ingolstadium venit, vbi in literis egregie eruditus fuit. Inde Lutetiæ Parisiorum Magister bonarum artium salutatus, eas multis deinde annis Viennæ Austriæ, item Cracouiæ & Ingolstadij publice priuatimque professus fuit. neque ita multo post Illustrissimorum Boiariæ Principum Ludouici & Ernesti Doctor constituitur; quo munere magna cum laude perfunctus est. Mirifice autem Historiæ scribendæ studio flagrabat. Quare perlustrabat Germanię fere totius, ac præcipue Boiariæ monumẽta & Bibliothecas, magni vir laboris, summæq; industriæ, ac lectionis plane infinitæ & recõditę.

Scri-

IOANNES AVENTINUS BOIUS HISTORICUS NASCITVR AN 1466 Obyt An 1533
Scriptor Aventinus patria clarissimus ora
Qua potis est Bavaros arte beare beat

IOANNES AVENTINVS
Bonus Historicus.

IOANNES Auentinus cognomento Turmarius dictus, Abusinâ Boiariæ oppido natus est anno 1466. Post absoluta tyrocinia in patriâ scholâ Ingolstadium venit, vbi in literis egregie eruditus fuit. Inde Lutetiæ Parisiorum Magister bonarum artium salutatus, eas multis deinde annis Viennæ Austriæ, item Cracouiæ & Ingolstadij publice priuatimque professus fuit. neque ita multo post Illustrissimorum Boiariæ Principum Ludouici & Ernesti Doctor constituitur; quo munere magna cum laude perfunctus est. Mirifice autem Historiæ scribendæ studio flagrabat. Quare perlustrabat Germanię fere totius, ac præcipue Boiariæ monumẽta & Bibliothecas, magni vir laboris, summæq; industriæ, ac lectionis plane infinitæ & recõditę.

Scri-

Scripsit rudimenta Grammaticæ de octo partibus Orationis & constructione, de græcorũ declinatione, de figuris, quantitate, accentu, distinctionibus, pedibus, carminibus, ex optimis quibusq; authoribus collecta. Numerandi per digitos manusq; veterum consuetudinis explicationem ex Beda, cum picturis & imaginibus. Illustratæ Germaniæ libros 10. quorũ titulos ex Gesneri Bibliotheca magna petes. Annalium Boiorum libros septem Latine & Germanice editos. Scripsit præterea, quæ non sunt edita, Ecclesiasticam Historiam. Pondera. Hymnum de cœlesti Sphæra. Imagines cœli. Annotationes in Claudianum. Imperatorum veterum Monetas. Dictionarium Græcum. Turcarum originem. Emẽdauit Diomedem, Ælium Donatũ, L. Apulcij Dialecticam, Symmachi Dialecticam. Manilium Theodorum de metris. Claudianum. Taciti Germaniam. Euticium discipulum Prisciani. Obijt satur æui, saturq; gloriæ Ratisbonæ V. Eid. Ian. anno 1533. vel secundum alios, 1529.

D. SEBASTIANUS PFAUSERIUS
D. MAXMIL II AUG ECCLESIAS
B.
Nascitur ad locum Bodamicu An 1520
Obijt Constantiæ an 1569
Cæsare quj coram spargebas verba salutis
Cæsareo felix munere Præsul eras

IOANNES SEBASTIANVS Pfauſerus D. Maximil. II. Aug. Eccleſiaſtes.

IOannes Sebaſtianus Pfauſerus Bodamicus, natus anno 1520. Theologię fuit profunde doctus. Erant in eo præter Theologiæ ſtudium virtutes egregiæ, animus in laboribus perferendis fortis, in aduerſis ſuſtinendis conſtantiſſimus, cum diligentia ſummâ coniunctus. Quare cum præſenti vbiq; eſſet animi magnitudine & conſilij promptitudine, perpetuuſq; Orthodoxæ fidei aſſertor, Diuo Maximiliano II. Auguſto à ſacris Concionibus & Conſilijs factus fuit, & Imperatoris inuictiſſimi gratiam fauoremq; ſummum meruit. Vnde Præſul demum & Eccleſiæ Lauinganæ in Palatina ditione fideliſſimus conſtitutus fuit, plane vir bonus & omnibus rebus ornatiſſimus: tandem apoplecticus anno ſalutis 1569. Ætatis verò 49. VI. Iunij obijt Lauingæ.

IOANNES GEYLERIVS CÆSARIS BERGIVS THEOLOGVS
Natus Iuriaci in Alsatia
Ao Obijt Argentinæ
Anno 1510
Magnorum te cura Ducum Geilere fovebat
Seruantem lingue liberiores iter

IOANNES GEYLERVS
Cæsarisbergius.

IOannes Geylerus, Alsatus patriâ, natus Monte Cæsaris oppido imperiali, varias orbis Christiani Academias perlustrauit, & præclaram assecutus fuit gloriam, non Philosophiæ solùm, sed in primis Theologiæ studio perficiendo. eam ipse postea maxima cũ admiratione summæ suæ eloquentiæ, memoriæ firmissimæ constantiæq; laudabilis nõ vno in loco publice profitebatur, Doctor literarum diuinarum sanctissimus. Sermonẽs sacros habuit per multos annos in patria, deinde etiam Herbipoli, Basileę, Friburgi, tandem sacris concionibus Argentinæ præfectus fuit in summo Templo, Petro Scoto Cõs. prudentissimo auspice rem moderante diuinitus, atq; constituente. Eo in munere summa cum laude & gloria versatus annis totis 32. & amplius, tanto pietatis zelo, & tam claro innocentis vitæ, viuęq; doctrinę exemplo extitit, vt

præcipuis Germaniæ Antiſtitibus, Inſuper etiam Diuo Maximiliano Aug. Cæſari charus ob id maxime haberetur. Obijt anno 1510. Ætatis anno 76. Eidibus Martijs. Scripſit Sermonum ad populũ lib. 1. Orationum ad Clerum lib. 1. Magnis ſumptib⁹ & labore diuturno collegit opera Ioan. Gerſon, quorũ multa ex Gallia tandem ad nos perduxit, diuiſaq; ea in tres partes ordine pulcherrimo ac tabula vtili admodum confecta, impreſſuræ commiſit. Scripſit item Nauiculam fatuorum. Nauiculam pœnitentiæ. Peregrinationem. Orationem Dominicam. Fragmenta Paſſionis. De communicandis his, qui vltimo ſupplicio afficiuntur lib. 1. De amouendis concubinis, etiamſi vterq; cõtinere decreuerit lib. 1. De hoc, quod pueri non ſunt inſtigandi ad religiones, in quibus regula non ſeruatur. De decem præceptis. De ſeptem peccatis mortalibus. Tropos ſiue ſales Argentinæ editos. Epiſtolas item plures.

IOANNES MARBACHIUS THEOL. ARGENT.
B.
Nascitur Lindaviæ
Anno. 1521:
Obijt An. 1581.
Argentina suo Marbacho talia debet.
Qualia Luthero debet hic ipse suo.

IOANNES MARBACHIVS
Theologus Argentinenſis.

IOANNES Marbachius Lindauium ad lacum Podmicum, patriã habet, vbi anno 1521. vitalem auram primũ hauſit. Ibi ergo ſub Caſparo Heldelino Præceptore puer informatus, poſtea anno 1536. Argentinam peruenit, vbi per triennium linguarum & artium ſtudio ſub Bedrotto eius Scholæ autore incubuit, & egregiam earum cognitionem ſibi comparauit. Cum decimũ octauum annum ageret, Wittebergam ſeſe cõtulit, talemq; ſeſe in omni genere exercitiorum exhibuit, vt anno ætatis viceſimo Magiſterij gradu ornaretur. Aderant huic eruditioni pietatis amor, & facundia quædam naturalis. itaque mox Ienæ ſub Hoffmanno per annum vnum ſubdiaconus fuit. Poſtea Wittebergam redijt & ſacrarum literarum vſum ſibi familiarem reddidit, ita vt ſtatim altero anno Theologiæ Doctor crearetur. Ea dignitate adepta Iſnenſis

Pastor factus Paulo Fagio successit. Quo in loco cum diligẽter suo officio fungeretur, anno 1545. Argentinam vocatus ad S. Nicolaum Ecclesiastes constituitur. Ibi docendo publicis cõcionibus plurimum profecit, sanctorumq; Patrum explicationes cum S. Scriptura diligenter contulit; vnde postea anno 1552. vrbis nomine Tridentũ missus, fidei suæ & Argentinensis Reip. rationem reddidit. Verum paulo post ob captam Augustam à Mauritanis Synodus illa soluta fuit.

Nec multo post Casparus Hedio primarius Argentinẽsis Ecclesiastes fato fungitur. In eius locum Marbachius substituitur. Quare annos 36. Pastor & Præses Argentinensis, simulq; sacrarum literarum professor & Ephorus perpetuus, demumq; Collegij Thomani Decanus fuit dignissimus. Ad hæc cùm Friderico Palatino mortuo Otto Henricus succederet, & Ecclesias suæ ditionis reformare statuisset, huius viri integritate permotus, anno 1556. cum ad se vocauit, atq; Heidelbergę & in Palatinatu omnia ad Argentinensis Ecclesiæ formam disponere

ponere iubet, id quod magna cum diligentiâ præstitit, & re confecta Argẽtinam reuertitur. Fuit mediocris staturæ, nonnihil ad macilentiam inclinãs, in colloquio familiaris, pietate, integritate, fide, virtute, sapientia & humanitate excellens. Moritur Argentinæ anno sal. 1581. Ætatis L X. Die 17. Martij.

Scripsit de miraculis veris & falsis diiudicãdis ex verbo dei: & confutationem Canisiani miraculi, quod M. Eiseng. in libello de Virgine Ottingana tantopere prædicat Germanicè. Veram item ex verbo Dei tractationem interioris & exterioris hominis Germanice. Concionem de officio Episcopi, & quis ad hoc munus debeat assumi, item de Cœna Domini duo volumina.

HARTMANNUS BEYERUS THEOLOGUS & MATHEMAT
Nascitur Francfordiæ
Anno 1516
Obijt ibidem An 1577
Sydera qui noras et sancta oracula Vatum
Ius Hartmanne duplex Solis in arce tenes

HARTMANNVS BEYERVS

Francfordien. Theol. & Mathemat.

HARTMANNVS Beyerus, parentibus Guilhelmo Beyero, & huius vxore Eliſabetha ciuibus Francfordiẽſibus ad Mœnum, ſpectatis virtute & pietate hominibus natus fuit, anno 1516. in vigilia D. Hieronymi, ſiue 29. Septemb. die, qui dies eſt Michaelis archangeli. A puero eum parentes pie educarunt, & ſub Iac. Micyllo primum, deinde ſub Io. Moſero præſtantiſſimis viris Præceptoribus ſuis militiam literariã militauit. Vbi ex ephebis exceſſit, de conſilio ſuorum Wittebergam proficiſcitur, anno 1534. Ibi Magiſterij gradum cum laude obtinuit. Atquia tunc diutiùs in Academia florentiſſima cum præſtantiſſimis viris viuere ſatagebat, cæpit priuatim iam hoc iam illud certis diſcipulis prælegere, & explicare. Eo tempore conſcripſit librum Quæſtionũ Sphæricarum, quem & prælo ſubiectum in lucem edidit. Ac fuit hic labor illius felix, multis-

que gratus, ita vt per Academias aliquot Germaniæ ad annos complures non alia præcepta Sphærica, quam hęc ab ipso conscripta, iuuentuti proposita fuerint. Ducebat tũ Wittebergæ vxorem Barbaram anno 1542. mense Ian. Tandẽ post obitum parentũ in patriam reuertitur, vbi certis conditionib. propositis ad ministeriũ à magistratu inuitatur: redit itaq; Wittebergã & cum D. Martino Luth. de statu patrię suę cõfert, deq; sui vocatione. Probat Luth. egregiã voluntatem Magistratus, hortatur vocatũ, vt vocationẽ sequatur. Sistit se ergo in patriã veniens suo loco an. 1546. In ministeriũ ingressus talem se ad extremũ vsq; diem vitæ suæ gessit, qualem ministerij dignitas, & qualem se gererẽ posse, quisq; fideliũ ministrorum optet. Instructus erat rerum Theologicarũ, artium, disciplinarum & linguarum scientia perfecta, quibus accessit vitæ morumque integritas & innocentia, ita vt aduersariorũ nemo vnq̃ vel ausus fuerit illũ calumnijs tẽtare. Humilitas animi illi fuit tãta, vt nunq̃ se alijs doctrina præstantiorem, maiorẽ officio, autoritate grauiorem,

rem, rerumue vſu ſuperiorẽ habuerit. In coniugio ſuã crucem exptus eſt, & viciſſim ſua etiã ex eo percepit cõmoda. Prima eius vxor Barbara Wittebergẽſis, an. 53. altero die ab eo, quo ipſe cum dignitate & cõmodo ſuo in integrũ reſtitutus fuerat (tẽpore enim Interemiſtico loco ſuo deiectꝰ fuit) nihil bono nũcio recreata, diẽ ſuũ obijt, fuit is 9. Apr. liberis ex eo cõiugio nullis ſuperſtitib. Alterã itaq; duxit conciuem, qua & ipſa ſimul cũ gemina, ple morte ſublata, tertiã ſibi matrimonio coniunxit Catharinam anno 1562. Aprilis die 22. quæ parentem habuit Sebaſtianum Ligarium Moguntinum, olim eiuſdem ordinis & Monaſterij cum Luthero fratrẽ, poſtea verò reipub. Francfordianæ Eccleſiaſten. cui mortuo M. Hartmannus fuerat ſurrogatus: ex hac procreauit liberos aliquot, inter quos Clariſſ. & Doctiſſ. Dn. IOANNES HARTMANNI MEDICINÆ DOCT. excellens, patrieq; ſuę Francfordiẽſis Phyſicus ordinariꝰ, nũc quoq; parẽtis laudatiſſimi virtutes famãque egregie aſſerit, neq; eas in omnem æuiternitatem intermori ſinet, publicatis plurimis litera-

literarum monumẽtis tum ſuo marte ſcriptis, tum aliorum, à ſe notis doctiſſimis illuſtratis, quæ paſſim inter manus doctorum verſari videmus, & ſuo tempore & loco à nobis referentur. Erat Hartmannus valetudine ſatis firma. aliquot ſaltem vicibus incidit in morb os graues, donec videlicet poſtrema vice à DEO prorſus euocatus fuit ad XI. Auguſti diem, anno 1577. cum annos 31. in patriâ ſuâ miniſterio verbi functus fuiſſet. Præter ſupra commemoratum libellum Sphæricum, idem noſter Hartmãnus ſcripſit in omnes libros ſacros Bibliorum doctiſſima commentaria, quæ apud eius hæredes adhuc premuntur. Vertit etiam Catecheſin Ioannis Brentij è Latina lingua in vernaculam, Brẽtio ita ab ipſo requirẽte. Sub nomine Andreæ Epitimi quædam de Miſſa edidit cõtra Sidonium Epiſcopum: & nonnulla contra Theobaldum Thamerum ſcripſit. Prę reliquis verò ſuis lucubrationibus inſignẽ laudem meretur Epitome Bibliorum Germanice ab eo edita, quę vulgi manibus vbique teritur.

HISTORICUS POETA THEOLOGUS
CONRADUS LAVTENBACHIUS
B.
Res gestas & mystica sacra pro sexus
Nobilis ingenij carminus autor eras
Natus An 1533 Obi Anno 1595

CONRAD. LAVTENBACHIVS

Theologus, Hiſtoricus, Poeta eximius, Francforti ad Mœnum.

COnradus Lautẽbachius, in Thuringis Mutiſlariâ & loco & genere humili, honeſtiſſ. tamen progenitus anno ſalutis humanæ 1534. eximijs animi radijs vel ab vnguiculis ſtatim emicuit. Primis itaq; elemẽtis primò Iſenaci ſub Bartholomæo Roſino, poſt Northuſæ ſub Baſilio Fabro Sorano informatus, ſtudijs velificaturus ſeuerioribus & altioribus relicta patriâ, peragratis Erfordio, Francofurto, Moguntiâ, Heidelbergâ 4. Martij anno 1553. tandem Argentinam, cultiſſimũ Phœbi & Muſarum Emporium deuenit. Vbi q̃ pauciſſimis annis, claſſes gradatim ſuperiores peruaſit omnes, & ad Acroaſes an. 1556. admiſſus eſt publicas. Quo tempore φιλομαθὴς vniuerſam Encyclopædiam tam feliciter decurrit, vt crementa ſimul faceret in Theologiâ (cui quaſi natus videbatur) quam vberrima. Ex

PHILOSOPHIS præcipue Ioanne Sturmio & Valentino Erythræo, ex Theologis, Ludouico Rabus, Ioanne Marbachio & Hieronymo Zanchio vſus. Quorum attentâ auditione ad Philoſophiæ ſimul & Theologiç culmen progreſſus fecit tam ſerios, vt pares nõ ſolum multis poſt ſe paraſangis relinqueret anticipãs, ſed & ſuperiores exuperaret breui, vel ſaltem profectu adæquaret. Charus autem & familiaris comprimis d. D. Marbachio fuit. Ita vt eo in omnibus patre & moderatore vteretur vitæ ſuæ inſtitutis. à quo etiam iam adhuc iuuenis ſenilibus præfectus officijs, Eccleſiam in Mundelsheim, agri Argentinenſis vico docendam ſortitus eſt: Cui eâ curâ, fide & induſtriâ præfuit, vt omnino altioribus videretur digniſſimus. Cluente ergo INTERIM anno 1557. menſe Nouembri, in vrbem retractus Diaconus ad Prædicatores primùm, poſt in Templo Cathedrali conſtitutus eſt: vbi ſuauitate & docendi grauitate admirationem populi in ſe cõuertit vniuerſi. Cæperat tum temporis reformari comitatus à generoſiſſimo Philippo Seniore in

Hanavv,

Hanavv, Domino in Liechtenberg. Is igitur fidelitate & integritate auditâ Lautenbachij, petijt à Senatu Argentinensi, illum Pastorem & Antistitem concedi sibi in oppidum Neuvveiler, anno 62. Cui Ecclesiæ cum magno zelo præfuisset biennium, accidit vt res ita DEO opt. max. disponente, vocatione alia ordinaria Hunæuillam Alsatiæ superioris oppidum ditissimum & fertilissimum, ditioni Wirtembergicæ subditum, exciretur. Quo etiam vel maxime suasu Marbachij concessit, nihil refragatus. Halcyonia hic ipsi vigescebant: & à negotijs otium dabatur largissimum. Quo fretus vir (vt erat homo ad miraculum φιλόπονος, osor ignauiæ acerrimus) vt tempori, sibi & posteris prodesset, subcisiuis horis Iosephum, antiquitatum Iudaicarum scriptorem, & Egesippum, & Catalogum testium veritatis in Germanicũ conuertit, & hunc præterea illustrauit feliciss-ime: ita vt paulo post à viris magnis, nobilissimo præcipuè Iureconsulto Lùdouico Grempio continuandi Sleidani negotium illi irrogaretur. Quod in se vt receperat, ita telã illam

iam aliquo vsq; deductã texuerat, cum Illustrissimus princeps Palatinus Ludouicus Elector, re certâ famâ comperta, ad Ecclesias suas Heidelbergam ipsum vocitat, anno 1580. & ad operis continuationem manum & apparatum illi omnem clementissime addicit. Erat autem λεχθὲν, quod aiunt, καὶ πραχθὲν. Viuo enim Electore, non vt Principe suo, sed vt patre: non vt Mecœnate, sed (æquitas verbo sit) vt amico vsus est. Cuius etiam suppetijs & ope auxiliaria, Historia non ad vmbilicum solùm, sed omnimodo ad calcem deducta est & absoluta, successu plane prospero. Quod etiam æternum viri istius laborum monumẽtum, in medijs patriæ nostræ oculis prostaret iamdudum, nisi & Illustrissimus insperatâ, imò immaturâ morte præuentus esset, & aduersariorum quorundam, veritatisq; osorum interuenisset molimen, patriæ communi detrimentosum. Sed vorsum. Heidelbergæ vix menses consederat plusculos, cum ab Illustrissimo Electore Ludouico nobilissimæ & Illustrissimæ illic ad S. Spiritum palatinatus

Biblio-

Bibliothecæ ordinandæ, & confusæ ad certos foculos seu pluteos dirigendæ mandatum accepit. Quod (iuxta & officij sui ratione habita quam diligentissima) biennio vno confecit, cum tanta laude, vt iudicium eius, seu labores, seu agilitatem admirareturne princeps potius incertum esset. Cuius obitum cum sequeretur status omnis & religionis quoque mutatio illico: LAVTENBACHIVS, veritati semel agnitæ, & omni vita proclamatæ cùm palinodiam canere nollet, dimissus est mense Iulio anno M. D. LXXXIV. Conuasatis itaque suis, Argentinam Ciuis & municeps se denuo contulit, senex iam & immẽsis laboribus prope fractus, nõ seruiturus amplius, sed sumpturus rudem, & Historiæ suæ additurus limam. Quid fit? Mensibus circiter binis Argentinæ suis vacans & intentus (vt vocationes fere diuinæ sunt) tale nihil ominans, de nouo vocatur à magistratu Frãcfortano. Cui proin vocationi paulo post nouis sollicitatorijs literis cõfirmatæ, cũ disparere piaculare putaret: peregrinationem hanc postremã suscepit, & ad D.

Catha-

Catharinam se conduci passus est Cal. Ian. anno 85. Vbi cum munere sibi demandato per decennium integrum fideliter, vigilanter, religiose & seuere defungeretur; vitæ tandem, lucis, ætatis, morum huius seculi satur 18. April. anno 95. mortalitatem exuit, & luctu publico, solennitate insuetâ deductus & sepultus, gemitus & vota bonorum omnium post se reliquit certissima. In hoc itaq; versatili mundo peregrinatus est annos sexaginta & vnum: si quisquam alius, is ipse comprimis certe (vt ille ait) μιμήτης τοῦ θείου παίγνιον. Quæ virtutis erāt puer omnia fecit. In prosperis μίσος, in aduersis Hebtaboeius. Hunc omnis vitæ suæ scopum præfixit, nocere memini, prodesse omnibus. Nec ita Hercules laborum promiscue omnium tolerans fuit, ac iste noster. Cui si quæ dies nō sine lineâ, sed sine paginâ effluxisset pridie, metaneâ exediisset se postridie. In archiuis ipsius, huius veritatis reperta fides est. Qui voluminum tantā molem scripsit suâ manu, quantam manus nō descripsissent quatuor, circuitu tam volubili. Famâ & foris & domi celeberrim⁹ ob id: quā-

quam

quam (vt fere ſolent ſordeſcere domeſtica) foris magis. Quin & ægrotus nonnunquam pereuntis inaniter temporis iacturam ita æquo animo ferre non potuit, quin identidem & ingemiſceret, & damnũ ſingultiret. φιλάνθρωπος, φιλόφιλος, φιλόξενος erga omnes extitit, maxime hos, quos commendarat ordinis æqualitas, & vitæ comprimis puritas. Cõtra vitijs enim delibutos & fucatos, mirũ quàm cenſor rigidus, iuſtus: quod arbitraretur huius profeſſionis homines ante alios omnes plebeios næuis & maculis notorijs carere debere. Carminis cultiſſimi tam felix autor erat, vt ſi huic ſtudio ſe totum dare maluiſſet, illuſtres quoſque Poetas æquare facile potuerit. In matrimonio annos exegit 37. ex vna coniuge pater factus liberorum XI. plerorumq; filiorum, quorũ quoſque ſtudijs capeſſendis iam aptos ita curioſe & anhelanter impẽſis ſuis & ſumptibus proprijs inſtituendos curauit, vt omnem pecuniæ iacturam rectæ informationi illorũ longe poſthabuerit. Ex quibus tum omnib⁹ vnicus, tum nunc ſuperſtes IOSEPHVS Philoſophiæ & Me-

dicinæ Doctor nunc apud Imperiale Francfordium præstantissimus, in quo non parentis solum virtutes eminent omnes, sed qui proprij etiam ingenij dotibus & eruditione præclara, clarissimam parentis sui memoriam illustraturus sit. Sed poscerent ista singula iustum volumen. Decurtato tamen filo, hîc hæc cursoria delineatio sciendi auidis satis sit: & tantum de Conrado Lautenbachio, cuius in ore Symbolon hoc perpetuo erat:

Durabilis misericordia patria Lex IESVS.

IOANNES SLEIDAN' HI
Quis ſtatus in terris fuerit, quæ cura ſacrorum
Imperio ſcripſi Carole quinte tuo

IOANNES SCLEIDANVS
Historicus.

IOannes Scleidanus à patriâ suâ, quæ in Belgio est, cognominatus, anno 1506. in lucem prodijt. in patria primum literarum fundamentis positis sese inde in Galliam contulit, & Lutetiæ linguis pariter & artibus diligentissime incubuit, adeo vt eruditione omnibus innotesceret. Postea iuris studia complexus, publice in ijs licentiam impetrauit. Hisce & eloquentiæ studium, & Latini sermonis puritatem adiecit. Cum hoc modo diu in Gallia versatus esset, tandem anno 1542. Argẽtinam venit, vbi rem literariam sua doctrinâ plurimum iuuit, & primum Philippi Cominei Commentarios de rebus gestis Ludouici eius nominis vndecimi Galliarum Regis, & Caroli Burgundiæ ducis, linguâ Gallicâ mirabili industria scriptos, in Latinum sermonem transtulit: postea quoq; Iacobi Sturmij Prætoris nobiliss. & amplissimi, prudẽtissimiq; familiaritatem nactus, eo non modo hortante, sed & materiã suppeditante Carolo V. Cæsare, de statu Religionis & Reipubl. Germanorum, cõmentarios diligentissime amicorum hortatu scribere cepit, & tandem libris 25. finiuit, præsertim cum publico protestantium stipendio eô inuitaretur; quæ quidem Historia latina ab anno 1517. ad 1555. continuata hodie vbiq; circumfertur. quæ deinde in Germanicã, Gallicam & Italicam linguam versa varijs in locis excusa fuit.

At verò Sleidanus non tantum librorum studio inhæsit: verùm etiam res politicas tractauit, resq; sibi commissas magna dexteritate perfecit. Itaq; cum reges Galliæ & Angliæ

grauissimum inuicem bellum gererent, ipse anno 1545. protestantium Legatus ad Angliæ regem missus fuit, vt eum ad pacis studia flecteret. Hinc nomine Argentinensis Reipubl. anno 1551. in Tridentino Concilio Legatus interfuit, & in eo loco nihil intermisit, vt tandem cum suę partis Theologis actio institueretur. Cum autem Mauritiani Cæsari præter expectationem bellum mouissent, Sleidanus Concilio soluto, & re infecta domum redijt. Paulo post Henricus Galliæ Rex per Lotharingiæ fines Argentinam versus cum instructo exercitu progressus est. Postulauerat is ab Argentinensibus, vti rebus necessarijs exercitui subuenirent: Ea de causa Ioannes Sleidanus cum Petro Sturmio, & Fridericо Gottessemo legati Sarburgum, septem ab vrbe miliaribus, missi, certam frumenti & vini portionem detulerunt, cumque eo vrbis nomine transegerunt. Quibus cùm honoribus laboribusque egregie perfunctus esset, sui seculi Historicus facile princeps, obijt Argentinæ ex Epidemico morbo, anno salutis 1556. (quamuis non desit apud quosdã dati veneni suspicio, ob edenda quædã Historica, quę tum ab ipso adhuc premebãtur) Ætatis 50. sepultusq; ibidem quiescit. in quâ ciuitate multiplice & eruditionis, & prudẽtiæ atq; pietatis edito specimine, summo semper loco habitus fuit. Transtulit autem prẽter suprà enumerata etiã Cominæi Cõmentariorum de bello Neapolitano libros V. cum breui explicatione rerum & authoris vita editis. transtulit & ex Gallico in latinam linguam Claudij Sesellij de republ. Gallorum & regum officijs libros duos. Addidit ijs summam doctrinæ Platonis de republ. & legibus. Præterea edidit Orationes duas, vnam ad Carolum V. Cæsarem; alteram ad Germaniæ Principes omnes, ac ordines Imperij, in quibus de Papatu & causa religionis tractatur. Frossardi nobilissimi scriptoris Gallici Historiarum opus omne breuiter collegit, & Latino sermone reddidit.

reddidit. De quatuor Monarchijs libellus elegantissimus eodem authore habetur publice.

SEBASTIANUS MUNSTERUS COSMOGRAPHUS
B.
Nascitur Ingelheum
Anno 1489.
Obijt Basileæ a° 1552.
Dimensus terras et summij sydera cœli,.
Edebam Hebræos Historicosq; libros.

SEBASTIANVS MVNSTERVS Hebræus & Mathematicus Basilienſis.

SEbaſtianus Munſterus naſcitur in oppido Rhenenſi Ingelheim anno 1489. Is vbi prima literarum fundamenta iecisſet, ſeſe ad Heidelbergẽſem Academiam contulit, atq; ob ingenij perſpicuitatem præclaram operam artibus & linguis nauauit. in primis verò diſciplinis Mathematicis, Geographicis, atque Hebreæ linguæ, in quibus tantum profecit, vt ſuo tempore in illis nulli ſecundus iudicaretur; atque vt commodius ſtudijs vacare poſſet, ſeſe monachorum minoritarum collegio Tubingæ coniunxit, huius mundi pompam nẽgligens. Poſteaquam verò in religione mutatio orta eſſet, eum ordinẽ reliquit, Heidelbergamq; rediit. In ea Schola cum ſua eruditione omnibus doctis innoteſceret, vna cum Simone Grynęo Baſileam vocatur anno 1529. & Hebraicæ linguæ Profeſſor in ea Academia conſtituitur.

Erat Munſterus infra mediocritatem ſaturę homo, craſſo & robuſto corpore cõſpicuus, adeoq; omnis laboris patiẽtiſſimus, moribus erat modeſtiſſimis atq; humilitatis amantiſſimus. Itaq; quãuis magna eruditione ornatus eſſet, tamen gradus Scholaſticos neglexit; huiuſmodi tamẽ dignitates & honores in aliis probauit, multiſq; vt eos ambirent, author fuit. Eam eius modeſtiam cum Academiæ Proceres cognouiſsẽt, Sebaſtiano honeſtum in publicis actibus locum, medium ſcilicet inter ſuperiorũ facultatum Doctores atq; artiũ Magiſtros tribuerũt, qui Licentiatorũ proprius exiſtit. Hinc anno 1547. Academiæ Rectorẽ elegerunt, eius operâ in reb⁹

arduis vſi. Cum etiam ſacrarum literarum vſum ſibi familiarem reddidiſſet, aliquandiu Theologiam publice profiteri, atque ſacra myſteria prophetarum explicare iuſſerunt; quæ Munſterus omnia ſummâ diligentia executus, tandem ob priuatas lucubrationes impetrauit, vt ea functione liberatus, in ſola Hebraicæ linguæ profeſſione pergeret.

Fuit in ea lingua atq; etiam in diſciplinis Mathematicis peritiſſimus. itaq; varios labores in ijs peregit, & ingenij ſui præclara documenta poſteris reliquit. vertit enim Rabi Moſche Kimhi Grammaticam ex Hebraiſmo, atq; Heliæ Leuitæ in eam Commentarium: pari modo librum accentuum, & librum traditionum, Prouerbia Salomonis, Tobiam & Euangelium Matthæi Hebraice primus propoſuit, & Latine reddidit. Deinde opus Grammaticum Hebraicum, abſolutum, ex variis Rabinis conſcripſit, atq; inſuper Grammaticam Chaldaicã primus publicauit: quin etiam Dictionariũ Hebraicum confecit, & Theologiæ candidatos ſuis vigilijs ad Sanctæ linguæ ſtudium pellexit. Tandem Hebraica Biblia de nouo tranſtulit, & duobus Tomis cum Hebraico textu anno 1533. edidit, collatis vbiq; probatiſſimis eius linguæ ſcriptoribus, & adiectis è Rabinorum commentarijs haud pœnitendis annotationibus. Eadem diligentiâ Ioſephi Hiſtoriarum Iudaicarum libros quinq; è Hebræo vertit & latine nobis tradidit, cum multis alijs huiuſmodi. Is enim Hebraicam linguam poſteritati multo clariorem propoſuit, & Mathematicas diſciplinas plurimũ excoluit. Scripſit enim exactam Horologiographiam, in plano, concauo, conuexo, & erecto loco, figuris varijs: deinde Organum Vranicum, in quo Theoricæ Planetarum atque eorundem quotidiani motus ad annos centum & amplius exprimuntur. Canones quoque ſuper nouum inſtrumentum luminarium. Ptolomæum reſtaurauit, & multas nouas tabulas adiecit. Pomponium

nium Melam & Iulium Solinum Scholiis exornauit, atque vltimo Cosmographicam Historiam vniuersalem, opus sane laboriosissimum, conscripsit. In ea totius orbis situs, regionum tabulæ, nobilium Ciuitatum descriptiones, omnium gentium ritus, regum & principum Genealogiæ, cum multis aliis rebus scitu dignissimis continentur.

Posteaquam itaque hoc modo Munsterus Esdras Straboq; Germanus, suam professionem diligētissime per annos 23. continuasset, atq; piis & ingeniosis lucubrationibus Germanice, Latine & Hebraice conscriptis de linguis, de bonis literis omnibus, de Philosophia & Theologia optime meritus esset, tandem vegeta adhuc natura anno sal. 1552. ætatis vero suæ 63. in ipso climacterico peste correptus, cum bonorum omnium luctu Anthrace absumitur, corpusq; in cathedrali templo honorifice sepelitur. Præter supra iam commemorata edidit etiam tabulæ Cusanæ explicationem. Depictionem vrbis Basilienſis, cum descriptione circumiacentis regionis. Introductionem in librum noui orbis. Librum Tobiæ, quem Hebraicum suppeditarunt Iudæi Constantinopolitani, edidit à se versum & annotationibus illustratum. Kalendarium Hebraicum ex Hebræorū penetralibus, quod non tam Hebraicæ studiosis, quàm Historiographis & Astronomiæ peritis subseruire poterit; Dictionarium Chaldaicum; Rabi Aben Ezræ commentariolum Hebraicum in Decalogum, cum sua latina versione publicauit. Item tredecim articulos fidei Iudæorum R. Moysis, Iosippi compendium elegans Historiarum Iosephi, complectens acta 70. interpretum, Gesta Machabęorum, & Herodum, & excidium Hierosolymitanum: Item 10. captiuitates Iudæorum incerti authoris, omnia hebraice cum latina interpretatione. R. Symeonis logica latina fecit. Dictionarium trilingue, in quo latinis vocabulis in ordinem Alphabeticum digestis, græca

& Hebraica reſpondent. Hebraicis adiecta ſunt magiſtralia & Chaldaica, quibus adiunctus eſt liber de Hebręis vrbium, fluminum, montium & aliorum locorum nominibus. Colloquium cum Iudæo, pertinaciter ſuis de Meſſia opinionibus addicto, Hebraice & Latine conſcriptum &c.

Pulpita qui patriam decoravi sacra per urbem
Interpres Divum Philosophusq; fui.

IOANNES VVOLPHIVS
Theologus, & Philosophus.

IOannes VVolphius, Tiguri, celebri Heluetiorũ vrbe natus, Philosophiæ pariter, & Theologiæ studijs excultissimus, Pastor ordinarius Ecclesiæ Tigurinæ ad Collegiũ virginum, vir pius & doctus, multisq; donis ornatissimus, præclara ingenij sui & industrię fidelis opera in publico reliquit. Collegit n. indicẽ Græcorum nominum, quæ ad Geographiam pertinent, ex Ptolomæo, Pausania, Stephano, Strabone, Eustathio & nonnullis alijs. Idem excudi curauit, additis præfationibus suis, Petri Martyris Vermilij Disputationem de Cœna Domini in Anglia habitam, & eiusdem librum de Sacramento Eucharistiæ. Confessionem Anglicanam, & quosdam alios libros ex Latino sermone in Germanicum transtulit. Scripsit præterea Præconem Euangelicum, siue de officio Concionatoris sacri orationem. De Sabbatho libellum Germanicum. Commentaria in quatuordecim vltima capita secundi libri Melachim, additis commentarijs in primum totum, & secundi capita vndecim: Commentaria in Nehemiam. De Christiana perseuerantia commendationis consolatoriæ ad N. Captiuos fratres librũ 1. Scripsit etiam commẽtarios in Esdram. in librum Esther. in Ionam Prophetam. Considerationes domesticas in quartum librum Mosis. Sermones & conciones in Deuteronomium, librũ Iosuæ, Iudicum, Hesther, Ruth, in Psalmos, Esdram, Prophetas Ionam, Nahum, Ioelem. Prælectiones, & repetitiones in Eccle-

fiaſten Salomonis. Item conciones in Matthæum, Ioannem, & Acta Apoſtolorum: memorabilia, in Marcum & Lucam. Conciones in Epiſtolas D. Pauli ad Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, Timotheum, Philemonem. In D. Petri & Ioannis Epiſtolas. Variarum Concionum Volumẽ. Præfationem in Pſalmum 109. Item libellum de conferendis Bibliorum tranſlationibus. De conficiendis ſuccinctis commentarijs in Biblia. De Eccleſia militante, vbi in his terris reperienda ſit. De conſtitutione Scholæ Tigurinæ. De Petra ſalutis. Scripſit & locorum communium ex lectionibus quotidianis collectorum volumen. & librum Epiſtolarum. Decadum dn. Henrici Bullingeri eõciones octo tranſtulit in ſermonem Germanicum. Commentaria in Aphthonium. In librum 2. Epiſtolarum Ciceronis. In eiuſdem Orationem pro Archia &c. Onomaſticum Phyſicum & Theologicum. Onomaſticon Palæſtinæ. Obijt Tiguri anno 1572. relicto filio Henrico Bibliothecæ ſuæ hærede.

HIERONYMUS WOLFFIUS PHILOLOGUS NASCITUR OETINGÆ AN. 1516.
OBIIT AUGUST. A. 1580
Redderet Ausonio qui rectius ore Pelasgos,
Germanos inter Wolffius unus erat.

HIERONIMVS VVOLPHIVS
Philologus Augustanus.

HIeronymus VVolphius Oetingæ Rhetiæ oppido natus, an. 1516. pereruditus in omni scientiæ genere ac græcis præcipue literis deditus fuit. Acutus Philosophus, elegans Poeta, præstans Astrologus, Philologus denique incomparabilis, plerisq; Germaniæ ac Galliæ Academiis perlustratis, Magisterij Lauream adept⁹ est Basileæ. Ex Græcis latinas fecit Isocratis Orationes omnes, cum nouem eiusdem Epistolis, additis annotationibus ac difficiliorum locorum interpretationibus. Transtulit etiam Demosthenis oratorum Græciæ Principis opera, quæ ad nostram vsque ætatem peruenerunt omnia, atque in ea iusta commentaria scribere instituit. Id cum dn. Fuggari literarum Mecœnates intellexissent, eum Augustam Vindelicorum ad se vocatum liberali stipendio ornarunt, & Bibliothecæ suæ instaurandæ præfecerunt, qua in vrbe vere augustâ, multis annis Græcas & Latinas literas in Schola Annæa fideliter docuit; Politioris doctrinæ Princeps. Tandem lithiasi intolerabili conflictatus, sibi quidem neque præmature, neque infeliciter, sed reipubl. literariæ intempestiue & luctuose decessit, Augustæ Vindelicorum anno salutis M. D. LXXX. Ætatis LXIII. 7. Id. Octobr. Ad Isocratis versionem argumenta in singulas orationes addidit. Genealogias item ex omnibus orationibus Isocratis, item vitam Isocratis ex Plutarcho, Philostrato, Dionysio Halicarnasseo transtulit. Transtulit etiã Vlpiani Rhetoris cõmentaria. Transtulit Æschinis & Dinarchi Oratio-

Orationes Demosthenis aduersarias. Instituit iustos in vtrũq; authorem commentarios. Commentaria quædam in quadripartitum Ptolomæi transtulit. Transtulit in latinam linguam Ioannis Zonaræ & Nicetæ Acuminati Choniatæ atq; Nicephori Gregoræ Historias separatim excusas. Ariani & Simplicij interpres fuit. Scripsit Astrologica quædam de vero & licito Astrologiæ vsu, impressa cum Ephemeridibus Leouitij. Edidit commentarios in M. Tullij Ciceronis libros de Officijs, additis breuibus scholijs: in Catonem, Lęliũ, Paradoxa & Somnium Scipionis. Isocratis sententias Græcolatinas additis annotationibus, notatisq; locis, ad quos nõ incommode referri posse videantur: & præterea eiusdem veterem Gnomologiam latinam tantum edidit. Item denuo Demosthenis & Æschinis opera cum vtriusq; Vita & Vlpiani commentarijs, nouisq; scholijs Græcolatina, à mendis repurgata, varijs lectionibus adaucta, annotationibus illustrata. Transtulit etiã Epictetea omnia. Prodierunt eiusdem quæstiones, maxime necessaria trium librorum Ciceronis de Officijs præcepta complectentes. Idem Historiam Imperatorum Romanorum à Constantino Magno vsq; ad Constantinum postremum, & Constantinopolim à Turcis occupatam, continua serie rerum & temporum expositam à quatuor scriptoribus Græcis, Latinitate donauit.

IOANNES STOFLERUS MATHEMATICUS.
Nascitur Justingæ, an. 1452
Sepelitur Tubingæ an 1531
Perlustrans terras STOFLERVS et astra polorum,
Cœlo animam jussit vivere, corpus humi.

IOANNES STOFLERVS
Mathematicus.

IOANNES STOFLERVS Iustingæ natus in Sueuia, anno 1452. Mathematicis disciplinis à prima adolescẽtia delectatus varias Germaniæ Academias p-lustrauit. vnde in eo genere doctrinæ ad miraculũ excelluit, adeo vt in his ætate suâ, nullum parem, nullum secundũ haberet. Tubingensis ergo Scholæ professor factus, Mathemata ibi publice docuit, idq; mun⁹ singulari industria obiit, neq; viuâ solũ, sed & mutâ voce, eaq; multis victura seculis reipub. literariæ cõmodebat. Scripsit enim p̃clarũ opus Ephemeridũ ab an. 1531. ad proxime sequẽtes viginti annos vsq;, id q̃ ad veterũ imitationẽ accuratissimo calculo elaboratum fuit. Scripsit & rationem compositionis Astrolabiorum cum explanatione eorundem vsuum. Item Procli Sphæram commentarijs illustrauit. Edidit Calendariũ Romanũ magnum. Tabulas Astronomicas.

Cosmographicas aliquot descriptiones de Sphęra Cosmographica, hoc est, de globi terrestris artificiosa structura. De duplici terræ proiectione in planum, hoc est, qua ratione commodius chartæ Cosmographicæ, quas Mappas mundi vocant, designari queant, quę edita sunt à Ioanne Dryandro Marpurgi. Habetur eiusdem de Dimensione per Astrolabium & quadrantē Germanicus libellus. Coniunctionum & oppositionum supputatio. Ciclorum antiquorum redargutio. Eclipsium prædictio. Cum itaq; hoc modo bonis artibus iuuandis sedulo laboraret, tandem veneranda canitie conspicuus, atq; immortale nomen decusque adeptus sempiternum, obijt Blaubeurij, sepultusq; fuit Tubingæ, eô transportatus, anno ætatis octuagesimo, anno verò salutis 1531. Eius Epitaphium in summo Templo Tubingæ supra monumentum eius sculptum ita habet:

Heus, heus, adesse te cupit
Rogat q; saxum vt hoc legas:
Mathesis ecce principem
Dedit tulit q; Sueuia

Vel

Vel illa Martia. hoc decus
Sed abstulit nimis fera hic
Premitq; Parca iam cubent,
Vt cernis ossa Stofleri?
Precare quisquis hac abis.

IOAN SCHONERVS MATHEMATICVS
B.
Nascitur Carol. 5. Imp.
an 1477 Obyt
Norimbergæ an 1547
Si tabulæ & geneses fauunt coeli esse peritum,
Iure equidem Astronomus Astrologusq; ferar

IOANNES SCHOENERVS
Mathematicus.

SChœnerus patriâ Caroloſtadius, ex Franciâ, naſcitur anno 1477. & à tenerâ ſtatim ætate literis adhibitus, adultior plures Academias viſitauit. artibus & Mathematicis diſciplinis in primis deditus fuit. in quibus tantum profecit, vt & publice doceret, doctiſſimiſque huius ſcientiæ viris annumeraretur: Aſtrologus atque Aſtronomus excellentiſſimus, vtpote qui Mathematum ſtudia ſua opera atque induſtria plurimum auxerit illuſtraueritque. Reſolutarum Tabularum opus illud egregium, ſine quibus Theoricæ, vt vocant, motuum Cœleſtium luce ſuâ carent, in publicum edidit. Opus Genethliacum anteceſſoris ſui Regiomontani multis modis auxit atque locupletauit, quo ipſe multa non ab alijs modò tradita, ſed & à ſe longo obſeruata vſu, in vnum corpus digeſta explicauit planiſſime, &

tan-

tanquam dissipatas ędificij partes extruxit bellissime. Præmittuntur Tabulis documenta generalia, ex regulis Arithmeticis de minutijs Physicalibus pro vsu earundem necessaria. Extant eiusdem globus Astronomicus, & libellus cum ipso instrumento excusus. Opera eius vniuersa Norimbergę excusa sunt anno 1551. sunt autem hæc. Isagoge Astrologiæ iudiciariæ. De iudicijs natiuitatũ lib. 3. Tabulæ resolutæ. De vsu globi cœlestis. De compositione globi cœlestis. De vsu globi terrestris. De compositione eiusdem. Libellus de distantijs locorum per instrumentum & numeros inuestigandis. De constructione torqueti. In constructionem atque vsum Rectanguli siue radij Astronomici annotationes. In fabricam atq; vsum magnæ regulæ Ptolomæi annotationes. Horarij Cylindri canones. Æquatorium astronomicum, ex quo errantium stellarum motus, luminarium configurationes & defectus colliguntur, appositis vbiq; Planetarum Sphæris & terminorum expositionibus. Planisphærium seu meteoroscopium, in quo singula quæ per motum

tum primi mobilis contingunt, inueniuntur. Organum Vranicum. Instrumentum impedimentorum Lunę, per quod dies impediti facillime colliguntur, his apprimè vtile, qui Almanach scribere gestiunt. Edidit quoq; libellũ medicinæ germanicum. His itaq; monumentis publicatis, prędare de re literaria vniuersa meritus obijt Norimbergæ septuagenarius, 6. Cal. Febr. anno 1547.

ERASMVS OSWALDVS SCHREccEFVCHSP MATHEMATIC
B.
Nascitur in Austria
Anno 1511.
obijt Friburgi An 1579.
Linguam Oswalde Deo conformas, turbina coelo
Et neget hanc quisquam mentem habitare Deos

ERASMVS OSVVALDVS *Schreccefuchſius, Mathematicus.*

ERaſmus Oſvvaldus Schreccefuchſius natus in comitatu Merckenſtein Auſtriacæ ditionis, anno 1511. in patriâ ſchola literis mediocriter tinctus ſeſe ad varias vniuerſitates contulit. in primis verò Ingolſtadij, Lipſiæ, Baſileæ diligenter ſtudia proſecutus eſt. quibus locis cum ingeniũ excoluiſſet, ſeſe Memmingam amœnã Sueuiæ ciuitatẽ contulit. atq; ibi Scholæ præfuit aliquandiu, poſtea Tubingam abijt, vbi Magiſterij gradu ornatus, ſtipendio Principis Hebręas literas magna laude expoſuit. Cum hoc modo varijs functionibꝰ ſeſe exerceret, atq; in primis Sebaſtiani Munſteri Præceptoris ſui exemplo Hebręæ linguæ atq; diſciplinis Mathematicis operam nauaret, anno 1551. Friburgum Briſgoiæ vocatur, vt & Mathemata doceret, & Hebręæ linguæ myſteria explicaret, id quod ipſe

singulari dexteritate perfecit, non sibi modo, sed vniuersæ Academiæ magnam existimationem comparans. Scripsit in Sphæram doctissima commentaria, atq; Ptolomæum egregie restituit. Commentaria item in primum mobile & Theorias Planetarum luculenta. Inter alias quoq; lucubrationes Testamentum nouum in Hebraicam linguam primus vertit, atque scriptũ exemplar pro sua humanitate multis, anno 1565. exhibuit. Paraphrasin in cantica canticorũ & Ecclesiasten Salomonis ex Chaldaica lingua in Latinum sermonem transtulit. Addidit etiam orationem funebrem Hebraice conscriptam de Obitu Sebastiani Munsteri Præceptoris sui. Transtulit in Latinam linguã Rabi Abraham Cai Hebræi librũ de Sphæra, & Arithmeticam Rabi Eliæ Hebraicè & Latinè edita. Scripsit cõmentaria in Sphæram Io. de sacro busto. Opus nobilissimum gentium Calendaria eruditissima monstrans, vnâ cum instrumentis ad eam rem necessarijs. Item in Almagestum Ptolomæi annotationes. Huic eru-

eruditioni acceſſit vitæ integritas & docendi felicitas. Bene itaque de Republ. literariâ meritus obijt Friburgi anno Chriſtiano 1579.

MVSICVS ORLANDVS LASSVS D. BAVAR.
Quantum exit melicâ reliquos Orlandus in arte,
Etheriis propior tantum abit ille choris.

ORLANDVS LASSVS
Musicus.

ORlandus Lassus Bergæ Hannoniæ vrbe natus, anno 1530. septem annorum puer ad literas discendas adductus sesquiennio post ad musicam animũ applicuit, qua breui tẽpore percepta ob vocis suauitatẽ præ cæteris suis æqualibus commendabatur, vnde inter pueros Symphonicos viuens, ex schola ter plagio sublatus est, bisq; sollicitâ parentũ curâ reductus fuit: tertiò Scholã non repetijt, sed cũ Ferdinando Gonzaga prorege Siciliæ, tum temporis Cæsareарũ copiarũ apud Santdesideriũ duce manere consensit. Itaq; solutâ Belgicâ expeditione cũ eo discessit, & partim in Sicilia, partim Mediolani eidem adhæsit, donec post sexenniũ, vt fit, vocẽ mutare cœpisset. Ergo 18. ætatis anno à Constantino Castrioto Neapolim ductus cum Marchione de la Terza tribus circiter annis vixit. Inde Romam venit, & hospes Archiepiscopi Florentini sex mensibus fuit, donec præficeretur ad S. Ioannem Lateranensem, vniuerso Musico sacello longe celeberrimo. Vnde post peregrinationes Anglicanas Gallicanasque cum Iulio Cæsare Brancacio susceptas, Antuerpiæque totidem annis versatus; tandem Alberti & Guilielmi ducis Boiarum Musicæ Magister supremus per integrum vicennium, & à Maximiliano II. Cæsare nobilitatus, atque à summis Imperij Principibus proceribusque summe honoratus fuit. Cantionibus harmoniacis tam sacris quam profanis omnium linguarum in orbe vniuerso celebratissimus. Edidit Cantiones aliquot 5. vocum, tum viua voce, tum omnis

generis

generis instrumẽtis cantatu commodissimas. Selectiorum, item aliquot cantionum sacrarum sex vocum fasciculum cũ tribus Dialogis 8. vocum. Cantionum sacrarum libros 2. quatuor vocum, authoribus Orlando d. Lasso & Cypriano de Rore. Quatuor libros cãtionum Gallicarum ijsdem autoribus. Cantiones sex 4. vocum Latinas & totidem Germanicas, Italicas, Gallicas cũ Dialogo 8. vocum. Magnificat 8. Tonorum. Cantionum Germanicarum ad instrumenta accommodatarum partes duas quinque vocum. Lectiones 9. ex Iob. 4. vocum Madrigalium libros 4. quinque vocum. Modulos quinis vocibus, nunquam editos hactenus. Cantionum nouarum Germanicarum partes quinque, quatuor & quinque vocum. Patrocinium Musices, cantionum, quas Motetas vocant, opus nouum quinq; tomis digestum, quorum primus, secundus, tertius, & quartus in lucem prodierũt grandissimis pro choro notis, & folio regali. Patrocinij Musices, partem quintam, continentem Magnificat aliquot 4. 5. 6. & 8. vocum folio regali. Patrocinium Musices, Passionem quinque vocum & Lectiones matutinas de Natiuitate Christi quatuor vocum complectens, in folio regali, grandibus tum notis, tum characteribus. Theatrum Musicum, tum suas tum aliorum præstantissimorum Musicorum selectissimas cantiones sacras 4. 5. & plurium vocum repræsentans. Selectissimas cantiones, quas vulgò motetas vocant, partim omnino nouas, partim nusquam in Germania excusas, sex & pluribus vocibus cõpositas, cui editioni accessere omnes Orlandi Motetæ, quæ in veteri thesauro Musico continebantur, cum quibusdam alijs, ita vt fere tertia parte opus hoc sit auctius. Librum Missarum quatuor & quinque vocum, quæ cum viuæ voci, tum omnis generis instrumentis Musicis cõmodissime applicari possunt. Fasciculos aliquot sacrarum cantionum, cum 4. 5. 6 & 8. vocibus,

cibus, antea quidem ſeparatim excuſos, poſtremò verò authoris conſenſu in vnum corpus redactos. Librum Motetarum trium vocum, tum viuæ voci tum inſtrumentis applicandarum. Nouas aliquot & antehac non ita vſitatas, ad duas voces, cantiones ſuauiſſimas.

PARACELSVS AVREOLVS PHILIP. THEOPHRA.
Hic est cui magni mysteria cognita mundi:
Et dare qui potuit de salis arte salem.

PHILIP. AVREOL. THEOphraſtus Paracelſus Bombaſt ab Hohenheim Medicus.

PHilippus Aureolus Theophraſtus Paracelſus dictus Bombaſt ab Hohenheim, naſcitur anno 1493. Medicinæ vtriuſq; Doctor fuit inclytus, eamq; Baſileæ aliquot annos publico ſtipendio maximâ cum admiratione profeſſus fuit. Primus nouæ Spagiricæ Medicinæ autor fuit, quam Archidoxis Theophraſtiæ, alijſq; libris propemodum infinitis editis longe lateq; diſſeminauit. Dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropiſin, aliaq; inſanabilia corporis contagia, arte ſua mirifice ſuſtulit. Quin et commentaria in ſacros libros & præterea quædam dogmatica poſt ſe reliquit; quibus nomen ſuum omnibus paſſim illuſtre reddidit. Vitæ Eremiticæ ſectator, & ſuus quã alterius magis eſſe deſiderans, bona ſua in pauperes diſtribuenda collocãdaq; ordinauit. Tandẽ fine optato annos natus 47. vitam cum morte cõmutauit, anno Chriſti 1541. Septembris die 24. Is contemptis veteribus omnibus nouam medicinam inſtituit, et plurima nõ in medicina ſolũ ſed Theologia quoq; ſcripſit, omnia tamen Germanice. Editi autem ſunt non pauci etiam Latini ab eius ſectatoribus facti, quorum numero ſunt ſequentes. De vrinarum ac pulſuũ iudicijs: De Phyſionomia, De morborum Phyſionomia fragmentum. Septem libri de gradibus Receptorum naturalium. His addita 6. capita de Anatomia publicata ab Adamo Bodenſtein. Pyrophilia vexationumq; liber. Cui acceſſerunt, primò tractatus metallorum ſeptem: Secũdò rerum naturalium tria fore principia, q̃ per demonſtra-

tionem artis igneæ docetur. Tertiò contracturarum origines & curæ. Quartò morborum capitalium quatuor, Epilepsiæ, Podagræ, paralysis & Hydropisis curæ. Philosophiæ magnæ collectanea quædam per Gerhardum Dornęum latina reddita. Chirurgia vulnerum tùm recentium tùm veterum & manifestorum: cui libri duo, prior de contracturis, de Apostematibus, Syronibus & nodis alter, accessere per Gerardum Dorn. Latine redditi. De meteoris, item de matrice, & de tribus principijs libri duo: Quibus Astronomica & Astrologica fragmenta quædam accesserunt, per Dornęum latine. Archidoxorum de secretis naturæ mysterijs lib. 10. De Tinctura physicorum, de præparationibus, de vexationibus Alchimistarum, de Cementis metallorum, et de gradationibus eorundem, omnia eodem interprete, Chirurgia minor quam aliàs Bertheoneam intitulauit, cum eiusdem tractatibus de Apostematib⁹, Syronibus, nodis. Item de cutis apertionibus, de vulnerum & vlcerum curis, ac de vermibus, Serpentibus & maculis à natiuitate ortis ex versione Dornæi. De Tartaro libri septem auctiores & castigatiores. Liber paramyrum, in quo vniuersalis Theorica Physices, & Chirurgiæ origines, & causæ morborum traduntur: accesserunt libri de modo pharmacandi: de xenodochio: de Thermis, &c. De Spiritibus Planetarum siue metallorum libri tres. Eiusdem de tinctura Physica, de gradationibus, de cemẽtis, de zodiaci figuris & eius mysterijs, Georgij Phædronis pestis Epidemicæ curatio. Chirurgia minor. De vita longa libri 5. Commentarij in Aphorismos Hippocratis. Septem defẽsiones aduersus æmulos suos. Tractatus de morbis Tartareis. De natura rerum & de natura hominis. Libri iam enumerati omnes Latine, sequentes vero Germanice sunt editi. Explicatio aliquot Aphorismorum Hippocratis. Item tres vtiles tractatus de Occulta vi & operatione Coralloru m,

Hype-

Hyperici, & Perſicariæ. De præparatione Hellebori, et de perforata. Archidoxa. Liber præparationum. De tinctura Phyſicorum. de renouatione Vitæ, de Vita longa. Tractat⁹ de apertionibus cutis, de vulneribus, de ſerpentibus, Araneis, &c. ac maculis à natiuitate ortis. Occulta Philoſophiæ Archidoxa. Libri 9. de myſterijs naturæ. Archidoxorum pars prima de renouatione & reſtauratione vitę longæ. De mineralibus è ſale, Vitriolo, Arſenico, ſulphure. Tractatus quinq; 1. de rebus naturalibus: 2. de quibuſdam herbis: 3. de metallis: 4. de mirabilibus, 5. de gemmis. Aſtronomia magna, ſiue tota Philoſophia ſagax maioris & minoris mundi. De Thermis Fabarianis in Heluetia. De proprietatibus perfecti Chirurgi. De Spiritu vitæ & eius virtutibus. De virtute internorum Spiritalium et corporeorum membrorum. De virtutibus exteriorum & confirmatione interiorum membrorum. Metamorphoſis de rebus naturalibus, de minoribus metallis: De lapide Medicorum, & lapide Philoſophorum. Tractatus duo de viribus morborum Spiritalium, de Electro. De morbo Tartarico. De Alchimia. De cementis. De medicina cœleſti. De præparationibus. De Spiritibus planetarum. Libri Paragraphorum 14. Latino ſermone, integritati reſtituti & explicationibus explicati à Toxite. Aurora Theſauruſq; Philoſophorum, acceſſit monarchia Phyſica per Gerhardum Dornæum. Anatomia viua Paracelſi. De lapide Philoſophico tractatus germanice. Manuale de lapide medicinali, de Tinctura planetarum. Theſaurus Theſaurorum, Occulta Philoſophia cum annotationibus nouis germanice. Scripta de tribus principijs omnium generationum: Item Theſaurus Alchimiſtarum editus à Bodenſtein Germanice. De ſecretis creationis à Toxite editus. Archidoxorum, ſeu de ſecretis naturæ myſterijs lib. 10. quibus ac-

ceſſerunt libri duo, vnus de materijs metallorum, alter de quinta eſſentia. Expoſitio vera imaginũ olim Norimbergæ inuentarum Latine. De reſtituta vtriuſque medicinæ vera praxi, in ordinem redacta & in Latinum ſermonem conuerſa à Dornæo. Centum & quindecim Curationes experimẽtaq; è germanico latine verſa. Acceſſerunt quædam præclara atq; vtiliſſima à B. G. de portu Aquitano annexa. Sextus liber de morbis calculoſis & podagricis eorumq; curatione germanice. Libri quinq; de vita longæua germanice. Circũferũtur autem alij quoq; libri complures Theophraſti: vt et multa eius ſcripta Theologica ſeruantur, cùm commentaria in complures ſacros libros, tũ quædam dogmatica. Porro contra Theophraſti nouam Medicinam quatuor volumina edidit clariſſimus atque doctiſſimus Medicus D. Thomas Eraſtus.

Stemmate natus Eques Medicus Magus atq; peritus
Juris et Imperij consul Agrippa fuj.

HENRICVS CORNELIVS *Agrippa Eques.*

HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA ex nobili familiâ ab Netteſheim apud Belgas ortus, iuris vtriuſq; et Medicinæ Doctor Carolo V. Cæſari Auguſto à Conſilio Iudiciario & Archiuis, à teneris annis literis incubuit, et ob felicem indolẽ in omni genere artium ſibi magnam eruditionem comparauit. Poſteà quoq; Principum caſtra ſecutus, ſua fortitudine effecit, vt armatæ militiæ Eques auratus crearetur. Cum hoc modo literis & armis conſpicuus eſſet, anno circiter 1530. animum ad ſcribendum appulit, & de occulta Philoſophia tres libros compoſuit: Poſtea de incertitudine & vanitate ſcientiarum Declamationem inuectiuam vel Cynicam, qua docetur nuſquam certi quicquam, niſi in ſolidis Dei eloquijs, atq; in verbi Dei eminentia latere. Scripſit etiam Hiſtoriam de duplici coronatione Caroli Cæſaris, præterea de præcellentia

muliebris sexus atq; de apparitionibus animarum. Cum autem in artem Raymundi Lullij breuē commentaria feciſſet, atq; abditæ Philoſophiæ & Aſtrologiæ deditiſſimus eſſet, fuerunt qui ipſum dæmonum commercio frui exiſtimarent. quos tamen ille Apologia edita confutauit, atq; ſe intra artium terminos permanere oſtendit, Anno 1538. Scripſit orationes plures doctiſſimas, quibus ingenij ſui excellentiam omnibus manifeſtauit, præcipue verò decem, quarum prima eſt in prælectionem Conuiuij Platonici, in Ticinenſi Gymnaſio habita, Amoris laudem continens. Secunda in prælectionem Hermetis Triſmegiſti, de poteſtate & ſapientia Dei. Tertia pro quodam Doctorando. Quarta ad Metenſium Dominos, cum in illorum Aduocatum, Syndicum & Oratorem acciperetur. Quinta ad Senatum Lucenburgiorum, pro Dominis ſuis Metenſibus habita. Sexta in ſalutationem eiuſdem Principis & Epiſcopi pro Dominis Metenſibus ſcripta. Septima in ſalutationem cuiuſdam magnifici viri pro Dominis Metenſibus

sibus scripta. Octaua per quendam Affinem suum Carmelitanum, sacræ Theologię baccalaureum formatum, in acceptione Regentiæ Parisiis habita. Nona pro filio Christierni Regis Daciæ, Noruegiæ & Sueciæ & in aduentu Cæsaris habita. Decima in funere D. Margaretæ Austriacorum & Burgundionum Principis habita. Scripsit etiam Dialogum de homine. De originali peccato disputabilis opinionis declamationem ad Episcopum Cyrenensem. Epistolam ad Michaelem de Arando Episcopũ S. Pauli. Querelam sup Calũnia intentata Argentinæ anno 1539. excusã &c. His itaque monumentis editis, Cornelij nomen ob multiplicem doctrinam, non modò apud Germanos, sed et apud exteros celebre extitit. Ipse enim inter Diuos nullos non carpit Momus: inter Heroas monstra quoque insectatur Hercules: Inter Dæmones Rex Erebi Pluto, irascitur omnibus vmbris: inter Philosophos ridet omnia Democritus: contra deflet cuncta Heraclitus: nescit quæque Pyrrhias: et scire se putat omnia Aristoteles: Contemnit

cuncta Diogenes. Nullis hic parcit Agrippa, contemnit, scit, nescit, flet, ridet, irascitur, insectatur, carpit omnia; Ipse Philosophus, Dæmon, Heros, Deus & omnia.

FINIS II. TOMI
Virorum illustrium.

*

INDEX EORVM QVI in 11. hoc Tomo continentur, cum Distichis singulorum Iconibus subiectis.

1 Carolus Clusius, Atrebas.

Consilio Pylium, Chironem vincit in herbis,
Atq; Titum antiqua Clusius Historia.

2 Iustus Lipsius.

Ausonios olim fuerat quod Tullius inter,
Hoc inter nostros Lipsius vnus erit.

3 Hulrichus Huttenus.

Palladis inuictus pariter Mauortis alūnus,
Inclytus ingenio militiaq; fui.

4 Dionysius Lebeus-bathillius.

Si virtus, Doctrina, Vsus, Prudētia sūmis
Efficiunt charum regibus esse virum;
Ista tibi certe simul arrisere Bathilli,
Qui partes tanti regis in vrbe geris.

35 Petrus Gualtherius Chabotius.

Vt legit libros Gualtheri Phœbus: hic, inquit,
Solus habet Flacci pectora diamei.

6. Ioannes Posthius.

Te Posthi, te Phœbus amat, seu Carmina pã-
Pæonia veniat, seu tibi ab arte decus. (*gas,*

7. Paulus Melissus.

Teutonici Vates veniant & pignore certent,
Victor erit culto carmine Francus olor.

8. Petrus Ramus Veromanduus.

Rame tuis Gallis es quod Latio fuit olim
Romani Princeps Tullius eloquii.

9. Petrus Ronsardus.

Bystonii cecinit Vates ad Strymonis vndas
Non melius, tibi quam funditur ore melos.

10. Ioannes Fischerus.

Concidit vt ferro ceruix præcisa Britanni,
Virtus, ingenium concidit & Pietas.

11. Thomas Morus.

Singultantem animam Mori taboq; natantẽ
Abluit hei Pietas ipsa suis lachrymis.

12. Thomas Crammerus.

Crammerus flammis positus crepitantibus
Ipse meæ Iudex partis & vltor ero. (*inquit,*

13. Wilhelmus Budæus.

Sol Iuris, Graii & Latii sermonis ocellus

Nocte

Nocte sepultura funera lustro meæ.

14. Andreas Alciatus.

Andreas prisco reddit sua iura nitori,
Consultoq; facit doctius inde loqui.

15. Ioannes Oldendorpius

Iuris Oldendorpi, fueras qui viuus asylum
Nunc quoq; es Ausonii portus & aura fori.

16. Andreas Cludius.

Cludius hic vultu est, animi vim scripta loquuntur,
Pulpita doctrinã, Guelphias aula scholam.

71. Ioannes Schneiduinus.

Multa forum, plus aula tibi, schola plurima debet,
Ætatis nostræ fama, sequentis amor.

18. Tobias Paurmeisterus.

Mentem forma tuam, Doctrinam penna Cheruſci
Acta, fidem Cæsar Guelphiadesq; probãt.

19. Simon Pistoris,

Saxonica vixit qui Cancellarius aula,
Pistoris tali pingitur ore Simon.

20. Modestinus Pistoris.

Cui

Cui schola, cui debet Respubl. cui ducis aula
Nempe Modestinus gloria iuris hic est.

21. Bonifacius Amerbachius.

Jura foro, doctasq; scholis qui sufficit artes,
Talis Amerbachus conspiciendus erat.

22. Sebastianus Brandt.

Tractauit pariter leges, sacramq; Poesin
Nobilis ingenio Brandus, at arte rudis.

23. Nicolaus Cisnerus.

Vt Schola Cisnerum, sic imperiale tribunal,
Atq; Palatini prædicat aula ducis.

24. Ioannes Ludouicus Viues.

Sydus in Hesperiis Viues regionibus ortum,
Cur iubar arctoum protulit vsq; polũ?

25. Iacobus Latomus.

Latomus artifici disponens singula dextra,
Facundum solers ædificauit opus.

26. Ioannes Latomus.

Esse foris maior potes, obstat patria, vestri
Gloria prima fori Latome, prima chori.

27. Ioannes Cochlæus.

Par tibi cum summis debetur gloria, nam tu
Par calamo summis ingenioq; viges.

Ioan-

28. Ioannes de Indagine.

Qui cœli indagas cursus sensusq́ DEORVM,
Indagatoris quàm bene nomen habes.

29. Wilibaldus Pirckheimerus.

Res mundi gestas & cœli Sydera noram:
Ima simul debent & supera alta mihi.

30. Alardus Amstelrodamus.

Agricolã Logices ni gloria prima sequatur,
Amstelrodamo debita sola fuit.

31. Guilhelmus Philander.

Architectus eras, nec te solertior alter,
Par tibi cum magno gloria Vitruuio.

32. Ioannes Hartungus.

Sit Roma sibi, si vendicat Hellados ora,
Quid reliquũ de te patria laudis habet?

33. Ioannes Auentinus.

Scriptor Auentinus patriæ clarissimus oræ,
Qua potis est Bauaros laude beare, beat.

34. Ioannes Sebastianus Pfauserus.

Cæsare qui coram spargebas verba salutis,
Cæsareo felix munere Præsul eras.

35. Ioannes Geilerus:

Magnorum te cura ducũ Geilere fouebat,

Seruantem linguæ liberioris iter.

36. Ioannes Marbachius.

Marbacho tantum plebs Argẽtina fatetur
Luthero quantum debuit ille suo.

37. Hartmannus Beyerus.

Sydera qui cœli, qui Vatum oracula noras,
Ius Hartmanne duplex Solis in arce tenes.

38. Conradus Lautenbach.

Res aui gestas & mystica sacra professus,
Nobilis ingenui carminis autor eras.

39. Ioannes Sleidanus.

Quis status in terris fuerit, quæ cura sacrorũ,
Imperio scripsi Carole quinte tuo.

40. Ioannes Munsterus.

Dimensus terras & magna sydera cœli,
Edidit Hebræos Historicosq; libros.

41. Ioannes Wolfius.

Pulpita qui patriam decoraui sacra p vrbẽ,
Interpres diuûm Philosophusq; fui.

42. Hieron. Wolfius.

Redderet Ausonio qui rectius ore Pelasgos
Germanos inter VVolfius vnus erat,

Ioan-

43. Ioannes Stoflerus.

Perluſtrans terras Stoflerus & atria cœli,
Cœlo animam uſſit viuere, corpus humi.

44. Ioannes Schœnerus.

Si tabulæ et geneſes faciunt cœli eſſe peritum,
Iure equidē aſtronomus aſtrologuſq́ ferar.

45. Eraſmus Oſvualdus Schrecce-
fuchſius.

Linguā Oſualde deo cōformas, lumina cœlo,
Et neget hanc mentem quiſquam habi-
tare deos.

46. Orlandus di Laſſus.

Quātū exit melica reliquos Orlādus in arte,
Ætheriis propior tantum abit ille choris.

47. Theophraſtus Paracelſus.

Hic eſt cui magni myſteria cognita mundi,
Et dare qui potuit de ſalis arte ſalem.

48. Cornelius Agrippa.

Stemmate natus Eques, Medicus, Magus,
atq́ peritus
Juris, & imperii Conſul Agrippa fui.

FINIS.

ERRATA.

In Thoma Crammero, pag. 227. lin. 6. lege, omnĭ virtutum genere cumulatiſsimus.

In Conrado Lautenbachio: pagin. 248. lin. 12. lege, puer omnia tulit, vir omnia fecit. In eodem, pag. 249. lin. penultima, lege, ex quibus tamen omnibus vnicus & dum ſuperſtes, &c.

QVORVM ALII QVIDEM INTER VIVOS ESSE IAM OLIM
desierunt, alij vero nunc quoq; vitali aura, honorumq;
suorum beati per fruuntur gloria.

Natalium eorundem succincta notatio, singulis Iconibus adiuncta:
Disticha passim addita singulis, opera et studio

Omnia in ære recens scite facta, et edita per Hæredes Theodori de Brÿ.

Francfordij ad Moenum Anno MDIIC.

LECTORI SPECTATORIQVE AMICO, CANDIDO, BENEVOLO, PIO.

DIGNISSIMVS est equidem Vir Nobilis & Clarissimus *Ianus Iacobus Boissardus, Antiquariorum nostri seculi facile princeps, Poeta Coronatus, & Ciuis apud Mediomatricos augustos spectatissimus*, quem & boni omnes & ipsę adeò Musæ ornent amentq; plurimum; nam si cætera eius in rem literariam merita, si virtutes præclaras ipsamq; adeò doctrinam admirabilem silentio prætereamus, inde fessum saltē studiū eius de bonis, deq; doctis omnibus ergregie promerendi, vniuersos in ipso numeros perfecte absoluerit: cumq; alii habeant quòd vel præceptoribus suis, vel studiorum suorum patronis, quin ipsi Genio debitè acceptum referant, hic sane noster *Boissardus* sua solertia, humanitate & perpetua gratitudine, effecit vt plus ipsi multo iam

debeatur ab his, quam ante acceperit, vnde nō incongrue *Teucrides Annæus Lonicerus Priuatus, conciuis & amicus noster singularis* in effigiem eiusdē Boissardi, à Roberto Boissardo cōsanguineo eius, iuuene præclaræ virtutis & artis crypticæ solerti artifice factam, hoc Districho lusit, ad Boissardum virum ter maximum à Musis, à Pallade, à Gratiis ita scribens;

Hic est Boissardus, cui plus tria numina debent,
Quam tulit acceptum, tam bene gratus erat.

Is ergo, quem modò diximus *Ianus Iacobus*, hactenus inter cætera sua monumenta præclarissima etiam duos Tomos adornauerat, in quibus virorum doctrina & virtute præclarorum vultus effigiatos cum luculenta descriptione Natalium, subiectis ad singulos suis Distichis complexus fuerat; eosq; THEODORI *de* BRY senis optimi atque crypticę artis peritissimi artificis, parentis nostri dum viueret, longe charissimi, opera & impensis effingi, sculpi atque edi fecerat: ex quo studio, operæque solertia, parens noster tantum delectationis capiebat vt iam non tantùm tophosæ senectæ tædia iis falleret, sed & minimè Tomis duobus illis editis contentus, ipse suo priuato consilio & iudicio vnam atque alteram Iconum quinquagenam prioribus editis sat scitè in ære eas sculpendo adderet, additurus quotquot vspiam conquirere posset, foreq; confidens, vt dum aliorum monumenta assereret, & ipse sibi suisq; indelebile monumentum in iis erectum statueret: neque pol fefellit eum opinionis tam pulchrè conceptæ sententia. præter enim alias eius operas, ex his quoque virorum illustrium Iconibus nescio quid beatitudinis sibi affulsisse sensit: Verùm vt sumus homines fatorum necessitati obnoxii, dum in medio laborum suorū cursu iam maximè acceleraret, præuentus morte 27. Martii die Anno 1598. quod in eo diuinum erat, ad illud

lud diuinum quod in vniuerſo viget, ſeptuagenarius redegit, aſſociandus beatis viuidiſq; illorum animis, quorum vultus hic inter labores multa cum admiratione refectioneq; contemplatus fuerat. At enim licet operæ eius obitu interruptæ viderentur, nos tamen filii eius nullo modo commitere voluimus, vt propterea etiam vltima morientis voluntas, qua expreſſe iniunxerat nobis filiis ſuis, vti inceptas operas ad finem ſub eius nomine deduceremus, mutilaretur. Quinquagenam itaq; hanc III. Tomi Iconum continuantes, fecimus eandem ad dn. Boiſſardi exemplum diſponi & illuſtrari ab amico & conciue noſtrate *Teucride Annæo Lonicero Priuato Poëſ. & Med. cand.* notatione Natalium aliunde plerunque conquiſita, atque Diſtichis à ſe factis: qui tum in his tum in aliis, vti ante hac ſæpius operam ſuam nobis benigne beneuoleque pro ſuo in nos operaſq; noſtras ſtudio, proq; ſingulari eius de bonis benemerendi affectione, præſtitit, quod & ſibi patriæq; ſuæ honori id maxime fore duceret: qua in re ſi gratum Lectori fecimus, ſentiet nos deinceps nec ſumptibus nec laboribus vllis parcere, donec & reliqua pari induſtria confecta prodeant. Deus modò dieſque ſucceſſum hiſce ſtudiis noſtris felicē conceſſerint. Vnum eſt de quo Lectorem præmonitum adhuc cupimus, ſuo nimirum quenque iudicio in hiſce vitis notandis relictum, nec enim de tantis ingeniis cuiuſquā fuerit temere pronūciare. vixit ſibi quiſq;, & ſibi quiſq; mortuus eſt; *qua gratia currûm armorumq; fuit viuis ea cura ſepultos proſequitur.* Rationem ordinis præcipue talem Lonicerus inſtituit, quæ inſtructæ aciei ex parte conueniret, atque ex variis militantium ordinibus conſtaret, vnde alij coryphæi, alij celeres, alij ductores agminis poſt principia, alij aſſidui eſſent, alij deniq; vulnera curarent, alij animos accenderent, neque eſſet qui vel de prælatura,

tura, vel de præfectura indigne sibi prærepta dolens conqueratur. Id nescius ne esset. Lector benevolus volentes cupiuimus, cui & nos & nostra studia ita commendamus, vt idem & nos studiaque nostra suo fauore atque patrocinio tueri & promouere benigne studeat satagatq;. Vale. Calend. Septembr. Anno 1598.

Jo. Theodorus, & Jo. Israël de Bry fratres, Ciues Francof.

PHALAECIVM,

ad Præstantissimum Virum, dn.

IOANNEM MOLLINVM,

A SECRETIS REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMOQVE DVCI, dn. HENRICO IVLIO GVELFO, FIdelissimum, Dominum & Mecœnatem suum omni cultu honorandum.

INSTRVCTA est acies, & ære rauco
Missenus ciet Ordines nitentes,
Campo signa volant, mouetur agmen,
Jamq; hostis procul impetum capessit.
Hoc exercitus vnicum veretur,
Ne morbos subeat laboriosos,
Saluo deficiente commeatu,
Quòd nondum datus Jmperator illi.
At, MOLLINE, præesse Copiarum
Si Ductoribus, & fauere velles;
Non morbos patietur, aut timebit.

TEVCRIDES ANNÆVS LONICERVS Priuatus, Poës. & Med. cand. Ciuis Francf.

Magnus es, at major fieri dum ALBERTE, *recusas*
Dispeream, si quid majus hic orbis habet.

ALBERTVS MAGNVS.

LBERTVS Bolstadius propter doctrinam & Philosophiæ studium, disciplinarumque omnium bonarum exactam cognitionē Magni cognomento appellatus, natione fuit Sueuus, patriam habuit Lauingam, oppidū non procul à Danubio, vbi ex equestri ordine parentibus clarissimis natus est anno MCXCIII. & à prima ætate in bonis literis institutus, Parisios deinde se contulit, ibique Theologiam & Aristotelicam Philosophiam magna cum laude & auditorum frequentia professus est. Vir in diuinis scripturis valde studiosus & eruditus, atque in seculari Philosophia nulli suo tempore secundus, ingenio subtilis, eloquio scholasticus, vita & cōuersatione deuotus atque sanctissimus. Post aliquot annos Coloniam Agrippinam se conferens, habitum

bitum Fratrum Prædicatorum ſuſcepit, docensque bonas diſciplinas inter innumeros quos habuit diſcipulos, familiariſſime vſus eſt S. Thoma Aquinate, & Bonauentura, qui duo poſtea in clariſſimos viros euaſerunt, & ſua tempora poſteritatemque doctiſſimis ſcriptis illuſtrarunt. Albertus verò propter inſignes animi dotes, perfectamque in ſacris literis & Philoſophiæ cognitionem, vocatus eſt Anno 1259. Ratisbonam Boiorum ciuitatem clariſſimam, communibusq; Principis & Sacerdotum omnium, populiq; ſuffragiis, maxime autem Alexandri IV. prouiſione factus eſt Epiſcopus Ratisbonenſis, cum eſſet ætate annorum 66. Qui cũ aliquot annis eam Eccleſiam ſumma cum laude & integritate rexiſſet, quia videbatur publicis hiſce occupationibus à priuatis ſtudiis diſtrahi, functionem hanc oneroſam alteri ceſſit, & amore ſtudij ſalutaris Coloniam Vbiorum ad Conuentum ſuum reuerſus eſt. Vbi in ſuo Monaſterio priuatus reliquum vitæ exegit docendo & ſcribendo. Illicque anno ætatis 87, anno verò Chriſti 1280. mortuus eſt Rodolpho Imperatore Romanorum regnante, ſepultus in medio Templi choro conuentus ſui,

non

non ſine opinione ſanctitatis; non enim ſurrexit poſt eum vir ſimilis ei, qui in omnibus literis, ſcientiis & rebus tam doctus, eruditus & expertus fuerit. Quod autem de necromancia accuſatur, iniuriam patitur vir Deo dilectus, cõſtat eum vitæ ſanctimonia & integritate clarum vixiſſe, nec eſt quod necromanten aut magum eum contumelioſe traducant. Eius opera prope infinita recitantur: quorum hæc præcipuè recẽſentur: Summa Theologiæ ſiue de mirabili ſcientia lib. 4. Super ſententias lib. 4. De quatuor coæuis lib. 1. De homine lib. 1. De bono lib. 1. de Vita ſpirituali lib. 1. In officium miſſæ lib. 1. De Corpore Chriſti lib. 1. De eodem 32. ſermones lib. 1. De muliere forti lib. 1. Super lib. Dionyſij lib. 5. De multiplici timore lib. 1. de Laudibus S. Marię. lib. 3. Defenſio mendicantium Ordinum lib. 1. De partu & formatione hominis lib. 2. De Origine animæ lib. 1. Super Oratione Dominica lib. 1. de arte prædicãdi liber vnus. De reparatione lapſi hominis lib. 1. de adhęrendo Deo lib. 1. in quinq; libros Moſis. in libros Ioſuæ, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, in Eſdram, Nehemiam, in Tobiam, in Iudith, in Eſther, in Prouerbia, in Eccleſiaſten, in Cantica

Canticorum, in librum Sapientiæ, in Eccleſiaſticum, in libros Machabæorum, In Iob, in Prophetas Eſaiam, Hieremiã, Ezechielem, & Danielem, & in alios 12. Prophetas: In Euangeliũ ſecundum Matthæum, Lucam, Marcum & Iohannem. In Epiſtolas Pauli; in Apocalypſin. Præterea ſermones de tempore; de Sanctis, de animalibus libri 26. Paradiſus animæ lib. 1. Orationes ſuper ſententias & Euangelia. de differentia ſpiritus & animę, de Diuinatione & Prophetia. Diuerſarum quæſtionum lib. 1. de natura locorum. de cauſis elementorum; de motibus animalium. de Intellectu & intelligibili. de Iuuentute & ſenectute. de vita & morte. de plãtis & vegetabilibus. Summa Philoſophiæ de Vnitate intellectus. Quæſtiones contra Auerroiſtas. de Vnitate formæ. Philoſophiæ moralis lib. 16. de Monaſtica. de Oeconomica. de Politica. de Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtronomia. de Sphæra, de Aſtris, Speculũ Aſtronomiæ. de mineralibus, de natura DEORVM. de Secretis naturæ. de 12. Alphabetis. de Magiſtris eligendis, de Somniis, de Vniuerſalibus. de Prædicamentis. de Sex principiis. de definitionibus. de cauſis. de Grammatica. de Rhetorica. de Medi-

Medicina. de lanificio. de Agricultura. de Aratura. de Nauigatione. de Metaphyſica lib. 13. in Phyſicam Ariſtotelis lib. 8. de cœlo & mundo lib. 4. de generatione & corruptione lib. 2. de ſcientia meteororum lib. 4. de Anima. de Nutrimento & Nutribili. de Somno & vigilia. Quæſtiones 15. lib. 1. de perſpectiua. In omnes libros Ariſtotelis commentarios fecit, aliosque plurimos tractatus ſcripſit, vt de Magia, Librum de aggregatione. de periculo miſſæ. de Sacramentis, de immortalitate animæ. de apprehenſione ſuper loco, miſſus eſt. de Metallicis libros V. qui impreſſi ſunt cum Raimundi Lullij libris de quinta eſſentia. Libellus de Secretis mulierum Venetiis exiuit. Extat & libellus de cauſis, alius ab illo qui de cauſis elementorum inſcribitur, quaſi Epitome totius Philoſophiæ. de Virtutibus lib. 1. Præterea hæc opuſcula nunquam impreſſa habentur Viennæ in Bibliotheca Prædicatorum. De ſenſu & ſenſato. de memoria & reminiſcentia. de reſpiratione & inſpiratione; de cauſa longitudinis & breuitatis vitæ; de principiis motus proceſſionis. de natura & origine animæ; contra Auerroem lib. 13. de paſſionibus aëris. de cauſis & proceſſu vniuerſitatis à cauſa

cauſa prima. de libris licitis & illicitis. Sermo generalis de ſeptem regionibus aëris. de natura animalium quadrupedum, auium, piſcium, de arboribus, herbis, lapidibus precioſis, metallis & coſmographia, manuſc. in Bibliotheca Imp.

Hæc tam varia rerum diuerſarum cognitio, vita ſolitaria, rarus cum hominibus congreſſus, & admiranda vitæ auſteritas, qualis eſſe ſolet in vita contemplatiua, bonum virum ſuſpectum reddiderunt apud inuidos & viros malos, qui omnes ex ſe metiuntur, malæ cum Genijs & Dęmonibus conuerſationis, quamuis eius vita & ſcripta longe aliter de eo teſtimonium reddant, fuit enim naturæ ſpeculator ſolertiſſimus, rerũq; obſcurarum indagator atq; explicator plane admirabilis, qui ſua ætate omnes ingenio, doctrinâ atq; eloquentiâ ſuperauit, vnde Magni cogmentum merito tulit. Atque hoc loco minime prætereundum puto, quod anno 1360. Lauingæ in ædibus paternis Alberti Magni natus fuit equus portentoſæ magnitudinis, qui ibidem in foro ad latus iuxta imaginem Alberti Magni depictus eſt, à N. Reuſnero L. hiſce verſibus deſcriptus;

Tanta molis Equus, velox & ſaltibus aptus,
Prælon-

Prælongus ter quinq; pedes, & corpore magno
Nascitur Alberti Lauingæ sub lare Magni.

ÆNEAS SYLVIUS PICCOLOMINEUS dictus PIUS II Pont. Max. Nasc. Cosimi A° 1500
Obyt Ancoæ Anno 1564.
Ut pius Æneas, ut eloquens Sylvius esset,
Doctor & Oeconomiæ Pastor in urbe fuit.

ÆNEAS SYLVIVS
dictus postea Pius II. Pontifex maximus.

ENEAS Syluius postea Pius II. Papa dictus natione Thuscus fuit, patria Senensis, sedit in Pontificatu post Calixtum III. annis sex vir vndecunq; doctissimus, Philosophus, Orator, & Poëta insignis, plurima ingenij sui monumenta posteris reliquit. Hic quondã in concilio Basiliensi cuidam Prælato seruiuit pauper: deinde in Scribam Cancellariæ Friderici Imperatoris III. assumptus, & Poëta ab eo Laureâ receptâ creatus est: Primò Episcopus Tergestinensis, postea Senensis, exinde Cardinalis, & nouissimè Papa omnium suffragio electus est: Mortuus est sub Friderico III. Imperatore Anno domini 1464. indictione duodecima, XIX. Calend. Septemb. ætatis suæ anno similiter quarto & sexagesimo, sepultus Romæ in Ecclesia S. Petri iuxta altare D. Andreæ. Eius scripta

quæ extant hæc sunt. De Educatione liberorum liber vnus. Solutio quæstionum lib.1. De duobus amantib. lib. 1. Contra Thaboritas liber 1. ad Nicolaum de Cusa lib.1. de fide ad Turcum lib. 1. De profectione in Turcas lib.1. De miseriis curialium lib. 1. ad Episcopum Cracouiensem lib. 1. De studio venandi liber. 1. Præcepta Rhetoricæ lib. 1. de Præscientia Dei lib.1. Epistolarum ad diuersos lib. 1. de Clade Constantinopolitana Oratio lib. 1. de Clade vniuersalis Ecclesiæ lib.1. Ad Calixtum Papam Oratio lib. 1. Coram cœtu Cardinalium Oratio lib. 1. de rebus à se gestis lib. 1. de Fato, lib.1. Dialogus contra Turcas, lib. 1. Historiarum opus imperfectum lib. 1. Epigrammata plura. Iuuenis Niraphilenticum scripsit versu facili & expedito. Poëmata quoque in Epistolarum modum complura. Scripsit ad Ladislaum Regem Boëmorum adhuc adolescentem libellum de arte Grammatica: mox alterum de Regia institutione, ad Fridericum de Noricis integros commentarios. Rerum sui temporis in Italia gestarū libros 12. quod opus nondum absolutum cum vita finiuit, vetuitque publicari nisi emendaretur. de Euryalo. de Ortu Nili fluminis. de Hæresi Hussitarum. de digni-

dignitate Cæsaris. de potestate Concilij. de sanguine Christi. de Veritate Christiana ad Mahumetem Turcam. De gloria belli suscipiendi ad Franciscum Sfortiam. De concilio Basilien si & eiusdem erratis. De fortuna. de defensione Poëtices. De miseria curialium singulos libellos, quorū magna pars Dialogis constat. Præter Scotiam, Noruegiam & Lituaniam, Rhodon quoque & Mitylenen & Lesbon, & Cyprum expressit accurata breuitate. Orationes quatuor & viginti. Decadium Blondi ēpitomen, qua omnis ab inclyto Romanorum imperio historia, quæ cepit fere anno Christi 407. per cētum & amplius annos miro compendio citra obscuritatem comprehēditur. Familiarium Epistolarum opus. Historiam Boëmorum à principio gentis vsque ad Georgium Ladislai successorem, ad Alfonsum Regem Aragonum. Hoc opus postea repurgatum & integris periodis locupletatum ad Exemplar manu scriptum typis excusum est; inscribitur etiam Vitichindus hæc Historia. Descripsit Asiam minorem & Europam, Veterum simul ac recētiorum res memoratu dignas complectēs, maxime quæ sub Friderico III. apud Europęos Christiani cum

Turcis, Prutenis, Suldano & cæteris hoſtibus fidei tum etiam inter ſeſe vario bellorum euentu commiſerunt. Item commentarium in quatuor libros Antonij Panormitæ, dè dictis & factis Alphonſi regis Aragonum, quo capitatim cum Alphonſinis contendit. Extat eiuſdem Germania, qua continentur grauamina Germanicæ nationis: item confutatio eorundem cum replicis. De concilio Conſtantienſi & Baſilienſi. De collatione beneficiorum, cum replicis in Bulla Leonis x. De Eccleſia reformanda fundatiſ. De concordatis Principum. de Officio Papæ & eius officialibus. de Veritate Chriſtianæ religionis. Scripſit præterea profectionem Marchionis Badēſis Romam, eiusq; oratiunculam ad Papam, & reſponſionem Friderici III. & Maximiliani, cęterorumque Germaniæ principum. de duobus falſariis Romæ ſub Innocentio VIII. combuſtis. Extat eiuſdem Dialogus contra Bohemos & Thaboritas de communione corporis Chriſti. De ſitu & origine Brutenorum. Faſciculus rerum expetendarum & fugiendarum. Hunc eundem cohoneſtauit Benedictus Arrias Montanus hoc elogio, de ſe ipſo ita loquentem faciens:

Sum

Sum Pius Æneas fama notißimus Orbi,
Quem rexi Paſtor, Scriptor & inſtitui.
Quæſtio nulla fere eſt, in qua non docta reliqui
Argumenta mei fertilis ingenij.

Onuphrius Panuinus vitā eius ita proſequitur, inquiens: In nomine Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti benedicti, Amen. Sanctiſſ. D. N. Pius II. Pontifex Max. Senenſis Thuſcus Æneas Syluius Picolomineus, Syluij & Victoriæ filius, Corſmiani, quod oppidum eſt Senēſis agri, natus eſt. Fuit primùm à ſecretis Dominici Capranici, Card. S. Crucis poſt Nicolaum Albergatum Card. Bononienſem ſecutus, apud eum per aliquod tempus manſit, vir literarum eruditiſſimus, inde Canonicus Tridentinæ Eccleſiæ factus, Baſileam ad Concilium ſe contulit, vbi magno ſemper in honore apud omnes eſt habitus. Fuit enim in celeberrima Synodo primò clericus ceremoniarum, poſt literarum Apoſtolicarum Abbreuiator, inde Legatus à Felice v. ad Imp. Fridericum III. miſſus, inter intimos familiares admiſſus, & à ſecretis ab eo creatus eſt, cuius ad Eugenium IIII. Papam aliquando orator fuit, quo munere mortuo Eugenio IIII. fungēs, Romæ, Conclaui quo Nicolaus

colaus PP. v. creatus est, præfuit, & cum ab Eugenio Subdiaconus Apostolicus creatus fuisset, à Nicolao v. Episcopus Tergestinus primò creatus est: mox Senensis, cuius Vrbis ciuis erat, à Calixto, in altera sua Cardinaliū ordinatione, cum aliis quinque Diaconis, Cardinalis primò S. Eustachij, mox S. Sabinæ, presbyter ordinatus est: mortuo autem Calixto III. XVII. Cardinalium suffragiis in Conclaui tunc apud S. Petrū existentibus, decimoseptimo vacantis sedis die, id est, XIIII. Cal. Septembr. Pontifex Maximus vnanimi omnium consensu renunciatus est, sedit hic Apostolicus Pontifex in sacratissima B. Petri sede, annis V. Mensibus vndecim, dieb. 26. Anno autem 1458. die III. nonas Sept. PP. Pius II. suæ coronationis insignia suscepit Romæ, in gradibus ante fores Basilicæ Apostoli Petri, per Prosperum Columnam S. R. E. Archidiaconum, omnibus Cardinalibus, Episcopis, Clero & innumera populi multitudine, astantibus. Anno Dominicæ natiuitatis 1464. Die XIX. Cal. Septembris PP. Pius II. Anconæ in Piceno, quo se bellum Turcis illaturus contulerat, mortuus est, (non sine suspicione veneni: Argentinæ filiam relinquēs, quam Lega-

Legatione fungens aliquando ibidem ſuſceperat ex indigena:) Obiit autem Pontificatus ſui anno ſexto. Cadauer Romam relatum in Baſilica principis Apoſtolorum ibidem ſepultum eſt. Eodem anno, die XIIII. Cal. Decembr. Romæ in Baſilica S. Petri, Exequię ſiue Nouendialia PP. Pij II. celebrari à Cardinalibus ſunt cœpta, nouem diebus, more maiorum.

Orbis Pontificem summum me maximus Orbis
Cæsar, pro meritis gratior ipse facit.

HADRIANVS TRAIECTENSIS, Pontifex Maximus.

IN nomine DEI (inquit Onuphrius Panuinus (& Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Benedicti, Amen. Sanctiſſ. D. N. Hadrianus, Florentij filius, infimo genere ortus, cuius pater Florentius, textrinam pannorum fertur exercuiſſe, natione Batauus, ſeu vt nunc dicitur Hollandus, in Belgis ortus, patria Traiectenſis, quæ vlterioris Germaniæ ciuitas eſt, ab ineunte ætate Louanium ad liberales artes ediſcendas proficiſcens in quodam collegio receptus eſt, vbi breui adeò profecit, vt & vitæ integritate & ſcientiarum multiplici cognitione, facilè inter omnes primas obtineret. Cuius virtutum fama, poſtquam ad Imperatoris Maximiliani aures peruenisſet, eum Carolo nepoti, poſtea auguſto præceptorem dedit. Cuius operâ poſtmodum primò Epiſcopus Dertuſenſis in Hiſpaniis, poſt presbyter Cardinalis S. Ioannis

& Pauli à LEONE PP. x. in quinta sua Cardinalium ordinatione cum aliis xxx. creatus est, quo postea mortuo, post diutinam Cardinalium disceptationem inter se concordare de LEONIS v. successore non valentium, præter omnium expectationem v. Idus Ianuarij, 39. vacantis sedis die, 39. Cardinaliū suffragiis absens, (in Hispaniis enim cum Imperatore agebat pro Imp. Carolo v. aug.) Pontifex maximus electus est. Sedit autem in Pontificali sede annum vnum, menses octo, & dies sex. Eodem anno Pontificatus Papæ Hadriani VI. anno primo die III. Calend. Septembr. altero post ingressum vrbis die PP. Hadrianus sextus in gradibus Basilicæ S. Petri suæ Coronationis insignia suscepit per Marcum Cornelium Venetum S. R. E. Archidiaconum, infinita multitudine, Clero, P. que R. astantibus. Pontificatus anno II. Die Lunæ 18. Cal. Octobr. PP. Hadrianus VI. Romæ mortuus est in Palatio Apostolico S. Petri. Cadauer eius in Basilica principis Apostolorum sepultū, mox ad Ecclesiam Teutonicorū translatum est, & eodē anno 10. Cal. Nouembris fuerunt cœptæ celebrari exequiæ sine nouēdialia PP. Hadriani II. Romæ in Basilica S. Petri à Cardinalibus

nouem

nouem diebus. Antequam Pōtificatum gereret, eſſetque T T.S. Chryſogoni presbyter Cardinalis Batonien. multos præclaros libros compoſuit, ſiquidem vir erat magnæ ſcientię, de quibus ſubſcripti circumferuntur: de ſermone latino & modis latine loquendi lib. 1. Venatio ad Aſcanium Cardinalem verſibus Phaleciis ſcripta. Iter Iulij II. Pontificis Romani verſibus Heroicis decantatum. De vera philoſophia lib. 4. ex quatuor Eccleſiæ Doctoribus conſcripti & varia eruditione multaque pietate referti. Expoſitio in ſententias P. Lombardi. Claruit ſub IVLIO II. Pontifice, & Maximiliano Imperatore: eum Benedictus Arrias Montanus hoc Tetraſticho ornauit; de ſe ipſo ita loquentem faciens:

Regnat vbi in terris prudens vir, conſtat & alma
Virtuti in terris, quod meret ipſa, decus.
Dat mihi & hæc teneros formanti Cæſaris annos
Orbis Pontificem me facit hæc eadem.

Scotia si Vatem hunc gelidam produxit ad arcton,
Credo equidem gelidi percaluere poli.

GEORGIVS BVCHANANVS
Scotus Poëta & Hiſtoricus.

GEORGIVS Buchananus in Leuinia Scotię prouincia natus eſt, ad Blanum amnem, anno ſalutis Chriſtianæ milleſimo quingenteſimo ſexto circa Calendas Februarias, in villa ruſtica hæreditaria, familia magis vetuſta quàm opulenta. Patre in iuuētutis robore ex dolore calculi extincto, auoq; adhuc viuo decoctore, familia ante tenuis, pene ad extremam inopiā eſt redacta; Matris tamen Agnetis Heriotæ diligētia liberi quinq; mares & tres puellæ ad maturam ætatem peruenerunt. Ex iis Georgium auunculus Heriotus cum in ſcholis patriis ſpem de ingenio eius concepiſſet, Lutetiam amandauit. Ibi cùm ſtudiis literarum, maximè carminibus ſcribendis, operam dediſſet, partim naturæ impulſu, partim neceſſitate (quod hoc vnum ſtudiorum genus adoleſcentię proponebatur) intra biennium auunculo mortuo,

tuo, & ipſe graui morbo correptus ac vndiq; inopia circumuentus, redire ad ſuos eſt coactus. Cum in patria valetudini curandę prope annum dediſſet, cum auxiliis Gallorum, qui tum in Scotiam appulerant, ſtudio rei militaris cognoſcendæ in caſtra eſt profectus. Sed cum ea expeditione prope inutili hyeme aſperrima per altiſſimas niues reduceretur exercitus, rurſus in valetudinem aduerſam incidit, quæ tota illa hyeme lecto affixum tenuit. Primo vere ad fanum Andreę miſſus eſt ad Ioannem Maiorem audiendum, qui tum ibi Dialecticen, aut verius Sophiſticē in extrema ſenectute docebat. Hunc in Galliam ęſtate proxima ſecutus, in religionis reformationē tum paſſim inſtitutam incidit: ac biennium fere cum iniquitate fortunæ colluctatus tandem in collegium Barbaranum accitus prope trienniū claſſi Grammaticam diſcentium præfuit. Interea cum Gilbertus Kennedus Caſſiliſſę comes adoleſcens nobilis in ea vicinia diuerſaretur, atq; ingenio & conſuetudine eius oblectaretur, eum quinquennium ſecum retinuit, atq; in Scotiam vna reduxit. Inde cum in Galliam ad priſtina ſtudia redire cogitaret, à Rege eſt retentus, ac Iacobo filio notho

tho erudiendo præpoſitus. Interea peruenit ad Franciſcanos elegidion, per ocium ab eo fuſum, in quo ſe ſcribit per ſomniū à D.Franciſco ſollicitari, vt eius Ordini ſe adiungat: in eo cum vnum aut alterum verbum liberiùs in eos emiſſum eſſet, tulerunt id homines, māſuetudinem profeſſi aliquantò aſperius quàm patres tam vulgi opinione pios ob leuiculam culpam decere videbatur. Et cum non ſatis iuſtas iræ ſuę immodicæ cauſas inuenirent, ad cōmune religionis crimen, quod omnibus quibus male propitij erant intētabant, decurrunt. Et dum impotentiæ ſuæ indulgent, illum ſponte ſua ſacerdotum licentiæ infenſum acrius incendunt, & Lutheranæ cauſæ minus iniquum reddunt. Interea Rex è Gallia cū Magdalena vxore venit, nec ſine metu ſacrificulorum, qui timebant ne puella Regia ſub amitæ Reginæ Nauarræ diſciplina educata nonnihil in religione mutaret. Sed hic timor breui ſecuto eius deceſſu euanuit. Subſecutæ ſunt in aula ſuſpiciones aduerſus quoſdam è nobilitate, qui contra Regem coniuraſſe dicebantur. In ea cauſa cum Regi fuiſſet perſuaſum nō ſatis ſincerè verſatos Franciſcanos. Rex Buchananum forte tùm in aula agen-

tem ad se aduocat, & ignarus offensionis quæ ei cum Frāciscanis esset, iubet aduersus eos carmen scribere. Ille vtrosque iuxta metuens offendere, carmen quidem scripsit & breue & quod ambiguam interpretationem susciperet. Sed nec Regi satisfecit, qui acre & aculeatum poscebat, & illis capitale visum est, quenquam ipsos nisi honorifice ausum attingere. Igitur acrius iussus in eos scribere, eam syluam, quæ nunc sub titulo Franciscani est ædita, inchoatam Regi tradidit, ac breui post per amicos ex aula certior se peti, & Cardinalem Betonium à Rege pecunia vitā eius mercari, elusis custodibus in Angliam contendit. Sed ibi tum omnia adeò erant incerta, vt eodem die ac eodem igne vtriusque factionis homines cremarentur, Henrico octauo iam seniore suæ magis securitati, quàm religionis puritati intento. Hæc rerum Anglicarū incertitudo, & vetus cum Gallis consuetudo, & summa gentis humanitas Buchananum ad se traxerunt. Vt Lutetiam venit Cardinalem Betoniū pessimè erga se animatum ibi legatione fungi comperit. Itaq; eius iræ se subtraxit Burdegalam, inuitante Andrea Goueano, profectus, ibi in scholis quæ tum sumptu publico eri-

co erigebantur biennium docuit, quo tempore quatuor scripsit tragœdias, quæ postea per occasiones fuerũt euulgatæ. Sed quæ prima omnium fuerat conscripta (cui nomen est Baptista) vltima fuit ædita, ac deinde Medea Euripidis. Eas enim vt cõsuetudini scholæ satisfaceret, quæ per annos singulos singulas poscebat fabulas, conscripserat, vt earum actione iuuentutem ab allegoriis, quibus tum Gallia vehemẽter se oblectabat, ad imitationem veterum, quâ posset retraheret. Id cum ei prope vltra spem successisset, reliquas Iephthen & Alcesten paulò diligentiùs, tanquam lucem & hominum conspectum laturas elaborauit. Sed nec id temporis omnino ei fuit expers solicitudinis, inter Cardinalis & Franciscanorum minas. Cardinalis etiam de eo comprehendendo ad Archiepiscopum Burdegalẽsem literas misit, sed eas forte fortuna Buchanani amantissimus dederat. Verum hunc metum Regis Scotorum mors & pestis per Aquitaniam sæuissime grassata sedauit. Interea literæ à Rege Lusitaniæ superuenerunt, quæ Goueanum iuberent, vt homines Græcis & Latinis literis eruditos secum adduceret, qui in scholis quas ille tum magna cura & impẽsis moliebatur,

liebatur, literas humaniores & Philosophiæ Aristotelicæ rudimenta interpretarentur. Ea de re conuentus Buchananus facile est assensus. Nam cum totā iam Europam bellis domesticis & externis aut iam flagrantem aut mox flagraturam videret, illum vnum videbat angelum tumultibus liberum futurū, & in eo cœtu qui eam profectionem susceperant, nō tam peregrinari, quàm inter propinquos & familiares agere existimaretur. Erant enim plærique per multos annos summa beneuolentia cōiuncti, vt qui ex suis monumentis orbi claruerunt, *Nicolaus Gruchius*, *Guilielmus Garantæus*, *Iacobus Teuius*, & *Helias Vinetus*. Itaq; non solùm se comitem libenter dedit, sed & Patricio fratri persuasit, vt se tam præclaro cœtui cōiungeret. Et principio res præclarè succesſit, donec in medio velut cursu Andreas Goueanus morte, ipsi quidem non matura, comitibus eius acerba præreptus est. Omnes enim eius inimici & æmuli in eos primùm ex insidiis, deinde palàm animo plane gladiatorio incurrerunt, & cū per homines reis inimicissimos quæstionem clàm exercuissent, tres arripuerunt; quos post longum carceris squallorem in iudicium

cium productos multis per eos dies conuiciis exagitatos rursus in custodiam abdiderunt. Accusatores autem ne adhuc quidem nominarunt. In Buchananum certè acerbissime insultabant, vt qui peregrinus esset, & qui minime multos illic haberet, qui incolumitate eius gauderēt, aut dolori ingemiscerent, aut iniuriam vlciſci conarentur. Obiiciebatur ei carmen in Franciscanos scriptum, quod ipse antequam è Galliis exiisset, apud Lusitaniæ Regem excusandum curauit; nec accusatores quale esset sciebant: vnum enim eius exemplum Regi Scotorum, qui scribendi autor fuerat, erat datum. Crimini dabatur carniū esus in quadragesima, *à qua nemo in tota Hispania est qui abstineat*. Dicta quædam oblique in monachos obiecta, quæ apud neminem, nisi monachum, criminosa videri poterāt. Item grauissime acceptum, quod in quodam sermone familiari, inter aliquot adolescentes Lusitanos, cum fuisset orta mentio de Eucharistia, dixisset sibi videri Augustinum in partē ab Ecclesia Romana damnatam multo esse proniorem. Alij duo testes Ioannes Tolpinus Normannus, & Ioannes Ferrerius è Subalpina Liguria (vt post aliquot annos comperit)

perit) pro testimonio dixerunt, se ex compluribus hominibus fide dignis audiuisse, Buchananum de Romana religione perperam sentire. Vt ad rem redeam, cùm quęstores prope sesquiannum & se & illum fatigassent, tandem ne frustra hominem non ignotum vexasse crederentur, eum in monasterium ad aliquot menses recludunt, vt exactius erudiretur à monachis, hominibus quidem alioquin nec inhumanis nec malis, sed omnis religionis ignaris, hoc maxime tēpore Psalmorum Dauidicorum complures vario carminū genere in numeros redegit. Tandem libertati redditus, cum à Rege commeatum redeundi in Gallias peteret, ab eo rogatus vt illic maneret, pecuniola interim accepta in sumptum quotidianum donec de conditione aliqua honesta prospiceretur. Sed cum procrastinationis nec certam spem, nec certum tempus tæderet, nauem Cretensem in portu Olisipponensi nactus in ea in Agliā nauigauit. Nec hic tamen substitit, quamuis honestis conditionibus inuitaretur. Erant enim illic omnia adhuc turbida, sub Rege adolescente, proceribus discordibus & populi adhuc animis tumescentibus ab recēti motu ciuili. Igitur in Galliam transmisit

miſit iiſdem fere diebus, quibus vrbis Mediomatricorum obſidio fuit ſoluta. Coactus eſt ibi per amicos ea de obſidione carmen ſcribere, idq; eò magis inuitus, quod nō libenter in contentionē veniret cū aliis pleriſq; neceſſariis,& imprimis cū Millino Sangelaſio, cuius carmen eruditum & elegans de ea re circumferebatur. Inde euocatus in Galliam à Carolo Coſſæo Brixiacēſi, qui tum ſecūda fama res in Liguſtico & Gallico circa Padum agro gerebat. nunc in Italia, nunc in Gallia cum filio eius Timoleonte quinquennium hæſit, vſq; ad annum milleſimū quingenteſimum ſexageſimum, quod tempus maxima ex parte dedit ſacrarum literarum ſtudio, vt de controuerſiis, quæ tum maiorem hominum partem exercebant, exactiùs diiudicare poſſet, quæ tum domi conquieſcere cœperant, Scotis à tyrannide Guiſiana liberatis, eo reuerſus nomen Eccleſiæ Scotorum dedit. E ſuperiorum autem temporum ſcriptis quædam veluti è naufragio recollecta ædidit? Cætera verò quæ adhuc apud amicos peregrinantur fortunæ arbitrio committit. In preſentia ſeptuageſimum quartum annum agens apud Iacobum ſextum Scotorum Regem, cui erudiendo

diendo erat præfectus, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, ſenectutiſq; ſuæ malis fractus portum exoptans agit. Et hæc quidem eſt Georgij Buchanani Vita ab ipſo ita conſcripta biennio circiter ante mortem, quam obiit Edimburgi anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, Septembris die vigeſimo octauo paulò poſt horam quintam matutinam. Eodem die Ioannes VVynramus doctor Theologiæ, qui in religione inſtauranda egregiam operā nauauit, obiit Andreapoli horâ octauâ ante meridiem. Viri itaque huius benemerentiſſimi manibus parentatus Ioſephus Scaliger hoc illi fecit Elegidion.

EPITAPHIVM

G. Buchanani Scoti

per

Joſephum Scaligerum Iul. CÆS. F.

Poſtquam laude tua patriam, meritisque beaſti,
Buchanane, tuis Solis vtranque domum.
Contemptis opibus, ſpretis popularibus auris
Ventoſaque fugax ambitionis, obis.

Præmia

Præmia quina quater Piſæa functus oliuæ,
Et linquens animi pignora rara tui.
In quibus haud tibi ſe anteferent quos Itala vates
Terra dedit, nec quos Gallia mater alit.
Æquabunt genium felicis carminis, & quæ
Orbis habet famæ conſcia ſigna tuæ.
Nanque ad ſupremum perducta poëtica culmen
In te ſtat, nec quo progrediatur, habet.
Imperij fuerat Romani Scotia limes:
Romani eloquij Scotia finis erit.

In eiuſdem Effigiem ſcripſit Io. Ionſtonus hoſce verſus.

I.

Diuini frontem Vatis tibi BVCHANANI,
Pectusque & vultus ars animoſa refert.
Ingenij ſed diam animam, ſed pectoris aurum
Immortale refert Carmen & Hiſtoria.

II.

Tres animas Vatum, Vatis tibi reddit in vno
Pectore, Apellæa picta tabella manu.

Mœonidæ, Flacciq; animã, mentemq; Maronis,
Pectore tres uno nam BVCHANANVS *habet.*

III.

Diuitis ingenij domus hæc, atque hoſpita quondã
Quæ Suadæ, & Sophiæ, quæ fuit Aonidum.

Præter ſupra commemorata etiam Grammatices Latinæ rudimenta Thomæ Linacri ex Anglico ſermone in Latinum vertit. extant eius elegantiſſima Poëmata. ſcripſit de iure regni apud Scotos Dialogum. Ædita eſt rerum Scoticarum Hiſtoria libris viginti comprehenſa eodem autore.

MICHAEL HOSPITALIUS GALLIÆ CANCELLAR
Acernus, Obijt an. 1573 Ætat. 69.
Esset qui dignus Galli moderamine regni.
Invenius nemo est hoc MICHAELE magis.

MICHAEL HOSPITALIVS
Franciæ Cancellarius.

MIchael Hoſpitalius natione Auernus fuit, eorum facile princeps, quos Auernia extulit olim Ferrariæ quàm plurimos, & ſtudiis literarum & iuris ciuilis ſcientia præſtantiſſimos. Huius patrem audio fuiſſe Doctorem Medicum, & comitem illuſtriſſimi Principis Caroli Borbonij in Italiam relegati: quo poſtea filius puer furtim à mulionib. aſportatus fuit. Pater primas eius ætates ibidem ingenuis artibus ad humanitatem informandas curauit: vbi inter alios cõdiſcipulos in philoſophia habuit Strozios nobiles viros Florentinos, Petrũ & eius Fratrem Priorem à Capua. Et Præceptorem Græcum qui organum Ariſtotelis illis interpretaretur. Ferunt autem hunc Hoſpitalium, vt ætate ſic literis & eruditione adeò profeciſſe, vt facile ſibi poſtea multorum amicitias tàm Eccleſiaſtici quàm Senatorij ordinis conciliarit: atque in primis Cardinalis Granmontani; in cuius fa-

miliaritatem ita penitus intraſſe dicitur, vt iam aditus à Cardinali muniretur, ad eũ Romæ præficiẽdum libellis ſupplicibus, Cardinalium conſiſtorio referendis: cum ille à parentibus & amicis in Franciam reuocatur, vbi non diu ſolum dicaſterij forenſis patronus triuit, cum à primariis Senatoribus in generum expetitus ſit, & in ordinem regiorum Conſiliariorum cooptatus. Inde breui per alios honorum gradus ad ipſa tribunalia facile aſcendit. Interea verò dum tales Lutetiæ gereret magiſtratus, ſi quid poſſet otij à negotiis forenſibus nanciſci, id totum in Epiſtolas verſibus conſcribendas ad clariſſimos quoſque nobilitate & dignitate viros, atque omni genere humanitatis politiſſimos cõferebat. Cuius quidem rei faciunt fidem libri ſex Epiſtolarum carmine ab ipſo conſcripti, annisque ſuperioribus in lucem editi, à Michaele Huraldo Hoſpitalio à Faio, ſenis illius Nepote ex filiâ vnicâ Magdalena Hoſpitalia & genero Roberto Huraldo Bellebatio, de antiqua & nobili Huraldorum familia, ex ducatu Britanniæ oriunda (vt mihi inquit doctiſſimus Boëſſardus, fideliter ac vere relatum eſt à doctiſſimo viro Petro Gualterio Chabotio, qui in familia

lia Michaelis multis vixit annis, institutioni nepotum illius præfectus.) Hunc Michaelem à Fajo vnum omnium nepotum reliquit, tanquam effigiem non solùm corporis, sed ingenij etiam & morum vt iam à multis de ipso prædicaretur: Cessit quidem Auus è vita, sed quasi non cessisset ille, reliquit post se similem sui nepotem: cui si per inuidiam aulicam licuisset longius esse superstiti, nemini est dubium, quin & animi magnitudine, & grauitate, singulari cum comitate coniuncta vitam & consuetudinem aui sui expressisset, vbi præcipuæ ætatis maturitas ad id plene præstandum venisset: cuius rei iam insignia paucioribus annis in aula regia cõsumptis dederat documenta. Sed vt ad auum redeam, de quo institutus fuerat sermo, is talibus Epistolarũ obsequiis non sibi solum beneuolentiam Senatorũ & Antistitum, sed Principum etiã breui collegit. Ex quibus quæ sunt ad priores scriptæ, gradum ipsi fecerunt ad inferiorum honorum adeptionem: quæ verò ad posteriores, ac præsertim illa ad illustrissimã Principem Margaritam Regis Henrici secundi sororem, & sermo eius de sacra Francisci secundi Regis Galliarum initiatione, atque adeò de ratione regni

regni prudenter & commode adminiſtrādi metrice cōſcriptus faſtigium autoritatis togatæ impoſuerunt, illumque ad Cancellariatum Francię euexerunt. Nam poſt obitum Henrici ſecundi Michael Hoſpitalius delect⁹ eſt veluti paranymphus quidam ad Margaritam Principem ſpōſam Duci Sabaudiæ, Emanueli Philiberto deducendam. Interea moritur Amboſij Franciſcus Oliuerius Franciæ Cancellarius. Quo deſiderato quæſitū eſt ab adoleſcente rege Franciſco ſecundo, quem ſuis priuatis cōſiliis exiſtimaret dignū, qui tantam Cancellarij perſonam ſuſtinere poſſet; reſpondit eum tali munere dignum videri ſibi, qui ipſum initio inaugurationis ſuæ docuerat rationem regni prudēter & commode adminiſtrandi. Hoc reſponſo dato Michael Hoſpitalius Nicæa reuocatur à negotiis Margaritæ Biturigū & Sabaudiæ ducis ad clauum regni tam florentis tenendum, & ad gubernacula Gallicæ reipub. tuenda. Cancellariatu Biturigicæ ditionis mandato ipſius genero Roberto Huralto. Hac deſignatione audita, Galli & Latini poëtæ ceperunt libenter congratulari Reipub. Gallicanæ, quod eam DEVS opt. max. donaſſet cuſtode Legum obſer-

obseruantissimo, & Iurisconsultorum iurisperitissimo, atq; adeò Musis omnibus amicissimo. De priore autem scientia qua valebat plurimum, tractatum methodice, id est, definitionibus, distributionibus, & illustrationibus progredientem inchoatum, reliquit suo Nepoti, Michaeli Huraldo perficiendum, quem ipse per valetudinem non potuit absoluere. reliquit etiã sui Cancellariatus luculentissimam Historiam: Sed quia illa complectitur,

Motum ex Metello consule ciuicum,
Belliq; causas & vitia & modos,
Ludumq; fortunæ, graueſq;
Principum amicitias & arma:

Quæ non possunt sub aspectum hominum subiici, sine grauissima multorum offensione; qui se quasi flabella ciuilis discordiæ concitatæ existimarent notari, cum periculo autoris. Nepos ideò consilium Horatij ad C. Asinium Pollionem secutus, reiicit in meliora tempora illius publicationem, vt in Epistola dedicatoria ad Henricum tertium Galliæ & Poloniæ regem subindicauit. At quoniam huius vita in clarissima omniũ luce versata est, nihil certe tam magnifice aut dici aut

scribi de ipsa potest, quin virtus eiusdē facile longeq; superet. Neque necesse est hic subiicere, quo modo Cancellarij munus deposuerit, & se ad priuatam vitam receperit, insigni iniuria læsus à Carolo Lotharingiæ Cardinali, qui bonum senem in tanta autoritate constitutū, medio Principum & Senatus consessu, colapho petiuerit, quod recusaret Antistitis affectibus & importuno imperio inseruire. De qua re integra paratur Historia suo tempore in publicum emittenda. In eius locum suffectus est Biragus, homo quidem vigilās, & magni ingenij, sed longe ab Hospitalio doctrina & iudicio differens. Nam in tantis Gallicæ ciuilis discordiæ tēpestatibus, alienatis à bono publico principibus, & ciuitatibus, opus erat Gubernatore legum prudentissimo & vigilantissimo, quiq; natione Gallus esset, & in Gallicarum rerum vsu versatus, vt patriæ curam cordatiore affectu susciperet, & futuris periculis prouidentia singulari occurrere & damna quæ secuta sunt auertere posset. Michael igitur Hospitalius à munere Cancellariatus discedēs in sua prædia diuertit, relictis illis fluctibus publicis, quibus totum regnum erat agitatum. Seorsimq; ab hominum con-

conſpectu liber viuens cum amicis familiariter conferebat, & diſſerebat de impendenti naufragio, ex quo totius regni interitus & ſubmerſio emanabat, niſi bonitas diuina tanta damna auerteret. Cumque ad annum ætatis ſexageſimum nonum peruenisſet, è vita deceſſit anno ſalutis 1573. die Martij 13. Sepultus eſt in æde ſacra Chammotæi finitimi Vignæo caſtello eiuſdem prędio.

PHILIPPVS MELANNTHON GERMANIÆ PHOENIX
Nascitur Brettæ
Anno 1497
obyt Wittebergæ Anno
Corpore parvus erat sed maximus arte philippus,
Quam bene Germanus sic Philo mela fuit

PHILIPPVS MELANCHTHON

Phœnix Germaniæ, & alter Elisæus.

BRETTA Palatinorum oppidum, fuit celebris illa Philippi Melanchthonis Elisæi Germaniæ patria, vbi natus fuit anno 1497. parētib. honestis, primò quidē in illustrissima Herciniæ Schola PORTÆ in literis est versatus, dum videlicet puer esset admodum, valeretq; ingenio & magna industria, habuit tum præceptorem in illa Schola clarissimum Theologum & Philosophum Io. Capitonem, qui studiorum eius cursum moderaretur. Heidelbergæ primam doctrinæ suæ lauream adeptus est, alteram magisterij Tubingæ, ætatis anno 21. Dum verò ea tempestate Martinus Lutherus rem Christianam reformaret, Melanchthon, Lutheri fama accensus VVitebergā venit, & annis totis quadraginta duobus in ea Academia fidelissimam operam in docendo nauauit, factus

Lutheri ἀγχιστάτης fidelis & omnium pariter laborum ac ſtudiorum ſocius. Erat ſacrarū literarum explicator ſolertiſſimus & fideliſſimus, Veritatis cœleſtis patronus in primis ſtrenuus, optimarū diſciplinarum & artium cum inſtaurator, tum conſeruator. Collegit enim & ad certam rationem reuocauit omnem doctrinam, quæ prius quaſi vaga & diſſipata erat. Vir pietate, vitæ innocentiâ, humanitate, benignitate erga omnes, ac inprimis incomparabilis modeſtiæ exemplo, nō modò cæteris, verùm etiam ſe ipſo ſuperior: ſeculi noſtri ſingulare ornamentum; & Germanię decus perpetuum. Tandem VVitebergæ ſanctè & feliciter obiit 13. Kl. Maij, anno 1560. cum annos vixiſſet 63. & dies totidem. Scripſit pene infinita volumina Tomis aliquot diſtributa. Tomus primus hæc continet: Commentarium in Geneſin. Commentaria in prouerbia Salomonis. Enarrationem breuem in aliquot Pſalmos. Annotationes in Euangelium Matthæi & Ioannis, item in Epiſtolam Pauli priorem ad Corinthios. Orationē Didymi pro Martino Luthero aduerſus Thomam Placentium. Apologiam pro Martino Luthero aduerſus Pariſienſes Sophiſtas. Iudicium

contra

contra Anabaptiſtas. De cœna domini ſententias veterum collectas. De officio principum, vel an principes debeant mutare impios cultus, ceſſantibus aut prohibentibus Epiſcopis, aut ſuperioribus dominis. An liceat Chriſtianis litigare; De eccleſia & autoritate verbi DEI, cum Catalogo Synodorum & cenſura doctiſſima de Eccleſiaſticis ſcriptoribus antiquis, ſententias collectas ex vtroque Teſtamento de promouendo Euangelio. Tomo ſecundo continentur: Commentaria in Epiſtolam Pauli ad Romanos. Aliud commẽtarium in eandem Epiſtolam, cum præfatione ad Philippũ Landgrauiũ Haſſiæ, &c. Diſpoſitio ſiue Methodus ordinis & locorum Dialectica in Epiſtolam Pauli ad Romanos. Scholia in Epiſtolam Pauli ad Coloſſenſes. Loci communes Theologici, ſiue ſumma religionis, pure, ſimpliciter, & methodice tractata per capita 39. Tomo tertio inſunt: Cõfeſſio fidei, & apologia Cõfeſſionis, qualis à principibus quibuſdam Germaniæ exhibita eſt Cæſari. Catechiſmus qui continet explicationem Decalogi, Sacramentorum, &c. Ratio breuiſſima concionandi à quodã docto ac pio rhapſodo Philippi Melanchthonis familiari congeſta, cum

sta,cum dissertatione de officio concionatoris. Ratio breuis discendæ Theologiæ.Disputationes variæ Theologicæ, methodo propositæ. De tribus votis ad Carthusianum quendam epistola. Epitome reuocatę ecclesiasticæ doctrinæ.Epistola ad Comitem Ioannem à VVeda. Tomi quarti opera philosophica sunt hæc: Commentarius de anima. in primum, secundum, tertium & quartum libros Ethicorum Aristotelis cōmentarius. Philosophiæ moralis Epitome.in Politica Aristotelis commentaria. Tomo quinto continentur Grammatica Latina,Grammatica Græca. Dialecticæ libri quatuor. Rhetoricæ libri duo. In Hesiodi opera & dies enarratio. Vocabula mensurarum & rei numariæ cum interpretatione germanica. Farrago epigrammatum. Liber de Ecclesiæ autoritate seorsim excusus est. Scripsit præterea Commentaria in Epistolam ad Romanos diuersa à superioribus. Tabulam de mensuris Græcorum.Eclipsium Solis & Lunæ annis iam aliquot visarum descriptiones. Selectarum declamationum Philippi Melanchthonis Tomos,quas conscripsit & partim ipse in Schola VVitebergēsi recitauit,partim aliis recitandas exhibuit: adiectæ

sunt

ſunt eiuſdem Præfationes in aliquot illuſtres autores. Edita eſt eiuſdem Præmonitio ad Alcorani lectorem. Defenſio coniugij ſacerdotū. Reſponſio ad ſcriptum quorundam delectorum à clero ſecundario Colonię Agrippinæ. Commentarius in Danielem Prophetam, in quo ſeculi noſtri ſtatus corruptiſſimus & Turcicæ crudelitatis finis deſcribitur. Item in Hieremiæ Prophetæ Vaticinia argumentum. Diſſertatio in locum ad Coloſſenſes: Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam inanem. M. Tullij officia ac Dialogos de amicitia & Senectute, itē Paradoxa & Somnium Scipionis annotationibus, illuſtrauit. Scripſit argumenta & ſcholia in familiares Epiſtolas Ciceronis. Commentarios de artificio & diſpoſitione Rhetorica in aliquas Ciceronis orationes, nēpe pro S. Roſcio Amerino: L. Murena, P. Sylla. Archia poëta, in quam & paraphraſin edidit: pro M. Cælio, pro Milone, pro M. Marcello. M. T. Ciceronis dialogos tres de Oratore paſſim notis illuſtrauit, vna cum ſcholiis in fronte adiectis, quibus loci obſcuriores explicantur. In Hiſtorias Saluſtij, & alios libellos veteres breues annotationes fecit. in ſingulas P. Terentij fabulas duplicia

argumenta cū ſcholiis perbreuibus edidit. Fecit Scholia & ſuccinctam quandam enarrationem locorum inſignium difficiliumque in P. Ouidij Faſtorum libros 6. Annotationes in Vergilij Bucolica & Æneidem. Syntaxis eius ſiue cōſtructio Latini ſermonis cum libello de periodis & proſodia eſt ædita. Præfatus eſt in Thomæ Linacri libros de ſtructura Latini ſermonis. Scholia in pugnam ranarum & murium fecit. Ex Demoſthene tranſtulit Olynthiacam primam, Philippicas quatuor, & duas Orationes contra Ariſtogitonem, adiecit & Scholia nonnulla. Ex Plutarcho vertit Sympoſiacorū libri ſeptimi caput ſextum. Pſalmos quoſdam ex Hebræo vertit. Proſtat eiuſdem Epiſtola ad Ioannem Oecolampadium de Theologica diſputatione Lipſica. Elogium de Eraſmo Roterodamo & Martino Luthero. Annotationes in Euāgelia, quæ vſitato more in diebus dominicis & feſtis proponuntur. Doctrinæ Phyſicæ elementa ſiue initia dictata in Academia VVitebergenſi. Scripſit & cauſas quare & amplexæ ſint & retinendam ducant doctrinam quam profitentur Eccleſiæ, quæ confeſſionem Auguſtę exhibitam ſequuntur, & cur iniquis in ſynodo

Tri-

Tridentina iudicibus non ſit aſſentiendum. Hiſtoriam de Vita & obitu Martini Lutheri. Enarrationem ſymboli Niceni. Reſpõſionem ad ſcripta quorundam delectorum à clero ſecundario Coloniæ. Imaginem Eccleſiæ carmine elegiaco. Commentaria in primam & difficillimam partem Partitionum Oratoriarum Ciceronis. Scholia in libros de Oratore & in Topica eiuſdem. Librum de officio principis, cum Ambroſij Moibani libro de communione infantium. Epiſtolarum librum: alium libellum Epiſtolarum. Epigrammatum librum. Ptolomæi libros quatuor de ſyderum effectionibus in linguam Latinam tranſtulit. Commentarios etiam ſcripſit in priorem Epiſtolam ad Corinthios. De controuerſia Muſculi & Reſpõſionem ad articulos Bauaricos. Corpus doctrinæ in quo complures articuli, eius libri coniuncti ſunt, & diſputationes eius plurimæ cũ Lutheri operibus impreſſæ ſunt. Primam & ſecundam partẽ Chronici Carionis latine expoſuit, & auxit multis & veteribus & recentibus hiſtoriis vſque ad Caroli Magni tempora, quibus Caſpar Peucerus quartum & quintũ librum addidit, & vſque ad Caroli quinti tempora perdu-

xit. Ex eiuſdem ſcriptis obiectionum & Reſponſionum Theologicarum partes quinq; Chriſtophorus Pezelius collegit. Plurima præterea alia ſcripſit. Tumbam defuncti elogiis ornarũt præſtantiſſimi Germaniæ Poëtæ, inter quæ hoc Sabini generi ſui legitur:

Hic inuicte tuus collega Luthere Melanchthon
Non procul à tumulo conditur ipſe tuo.
Vt pia doctrinæ concordia iunxerat ambos,
Sic ſacer amborum iungit hic oſſa lapis.

Nec minus elegans eſt Io. Stigelij Poëtæ.

Fons latet hoc tumulo, quid quæris amice viator?
Fons dogmatum piorum & eloquentiæ.
Si quis ab hoc riuum proprios deduxit in hortos,
Non aureas huic præferat pyramides.
Illius obſtructas doleo Germania venas,
Parem futura non habebunt ſecula.

At Io. Matheſij longe elegantiſſimum eſt:

Flos iacet hic mellis nigra tellure Melanchthon
Apes dolete ſedulæ,
Vnde bonus ſpirabat odor, pia mella fluebant;
Piæ fleant Eccleſiæ.

Lenta

Lenta febris potuit paruum comburere febrem,
Lugete parui floſculi.
Nulla viri famam poterit delere vetuſtas,
Fuci leues faceſſite.
Semper apes flauo diſtentent nectare cellas
Qua nunc ſtetit flos melleus.
Semper humus ſuaues illic diffundet odores,
Qua nunc iacet flos paruulus.
Sed cum ſumma dies optato illuxerit ortu,
Flos hic virebit denuo.
Et reliquas inter beneolentes pulchrior herbas,
Chriſti nitebit vertice.

Libet & maximi illius Maioris Poëtæ carmẽ ſanctiſſimis præceptoris ſui Manibus datum Coronidis loco apponere, tametſi & præcedẽs eodem autore ſcriptum norim, quod ſub nomine Io. Math. circumfertur, conueniunt vtrinque literæ initiales, in nominibus, I & M, voluitque Poëta clariſſimus in eo præceptori ſuo dilecto Matheſio gratum & honorificum facere; eſt autem & hoc Maioris:

Maximꝰ hic meritis, ſed paruus mẽbra Philippus
Pone iacet tumulum, magne Luthere, tuum.

Cui pia relligio se totam debet, & artes,
Et pax & regni publica commoditas.
Testis erit vitæ, studiique, actique laboris
Quicquid Romano viuit in Imperio.
Cumq; odia à multis fuerit perpessus alumnis,
Nunc cœlo precium dulce laboris habet.
Ossa tenet tumulus, sed viuit fama, iacere
Tot dotes vno non potuere loco.

IULIUS CÆSAR SCALIGER
Veronensis pater
Bordonis
Iulius hic vultu erat Cæsar, sed Scaliger ille
Quo prius nigenio nisi animove fuit.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER aliâs Bordonis Veronenſis, pater.

IVLIVS Cæſar Scaliger, prius cognomine dictus Bordonis, Veronenſis fuit, Vir apprime eruditus & ſui ſeculi illuſtre per Italiam ipſamq; adeo Europam Muſarum decus, toti orbi innotuit, Vitam qui eius cognoſcere volet, requirat librum quem de latina lingua ſcripſit, in cuius frontiſpicio ea exponitur, nos quidem, qui tanti viri laudibus decantandis impares ſumus, in perſtringendo eius vitæ curſu breuiores erimus, præſtat enim in re ardua tacere potius, quàm minus apta & ſufficientia dicere. Scripſit non ſolum ſoluta oratione, ſed & verſu quædam cecinit, inter quæ eſt Elyſius, (poëmatis hæc inſcriptio eſt) in qua inſulam Padi Beluedere nominatam, Ferrariæ Ducis, eleganti carmine deſcripſit & omnem fere Eſtenſium Genealogiam proſecutus eſt. Libellum de

numeris comicis edidit, mira adeò ſubtilitate concinnatum, vt interdum niſi bene in numeris verſatus Lector, ſe vix poſſit explicare. Scripſit ad hæc de cauſis Latinę linguæ libros tredecim. Heroes item & orationem in partu filij habitam. Cõmentarios in Hippocratis librum de ſomniis adiecto textu ab eodem conuerſo. Orationem in luctu filij. Commentarios in libros duos, qui inſcribũtur de plantis Ariſtotele autore. Nobilium exercitationum libros 15. ad Hieronymi Cardani libros de Subtilitate, è quibus plurima acute & ſolide confutat. De Poëtica libros ſex varia eruditione refertos. Commentaria in Hippocratem de inſomniis recognita & aucta. Commentaria in Theophraſti libros de plantis. Veræ Alchimiæ artiſq; metallicæ citra ænigmata doctrinam certumque modum. De ſapientia & beatitudine libros octo, quos Epidorpides inſcripſit carmine. hunc ornauit Vtenhouius eleganti Hexaſticho, quod in vtriuſque honorem ſubiiciemus;

Induperatores velut inter Iulius omnes
Extulit auguſto Cæſar honore caput.
Doctrina, ingenio & facundi dotibus oris,
Ceu ſatis ex eius colligere Hiſtoria eſt.

Scripto-

Scriptores sic iste sui transcendit & aui
Doctrinæ scalâ Scaliger omnigenæ.

IOSEPHUS SCALIGER
Iulii de Veronensis.
Ille simul Musas & Phoebum scripserit ipsum.
Qui scribit nomen Clare Iosephe tuum.

IOSEPHVS SCALIGER
Iuliades filius.

IOSEPHVS Scaliger Iulij Cæsaris Scaligeri Veronensis filius, patrem non nomine tantùm & vultu referens, sed virtutum eruditionisq; ornamentis eum ad viuum exprimens, non incōmodè huius Prosopographiæ ordinem post parētis effigiem continuabit, at enim cum multa & pręclara de virtutibus deque exquisita doctrina huius viri in medium afferenda forent, non tam vt lectori, sed & vt ipsius etiā meritis atq; autoritati præclaræ aliqua ex parte responderemus, non iniuria Caroli Vtenhouij carmen in eundem scriptum huc citabimus, quod qui cognouerit, tum sibi tum ei in cuius honorem decantatum fuit recte satisfactum putet. Quis enim à laudato laudari non æquissime ferat, quisue tanti autoris censuram subterfugiat? Proinde cape Lector illud, breue quidem, sed rotundum & elegans, ita autem cecinit:

Hæc est Iosephi geniti patre Cæsare imago,
Scaligeri, tenero qui semper ab vngue patrizans.
Postquã humeris scalis genitor quib. induit iisdem
Encyclopædiæ fastigia contigit, iisdem
Sic gradibus tandem, dubites vt an artibus iste
Filiolum pater, an superauerit iste parentem.

Scripsit in Varronem de lingua Latina Cõiectanea; præterea euulgauit Publ. Virgilij Maronis appendicem cum supplemẽto multorum antehac nunquam excusorum poëmatum veterum poëtarum, additis in eandem appendicem commentariis & castigationibus. Idem coniectanea in Varronem recognouit & appendice auxit, & in eiusdem libros de re rustica notas edidit. Ausonij quoque poëmata emẽdauit & illustrauit. Ad hæc Catulli, Tibulli, Propertij poëmata recẽsuit, & in eosdem castigationum librum scripsit. Eiusdem in libros 20. M. Verrij Flacci quæ extant, & Sexti Pompeij Festi de verborum significationibus castigationes prodierunt in publicum.

Atque hæc est illa illustris Scaligerorum Italiæ principum familia, qui Veronæ Marchiones fuerunt; Scripsit totam Genealogiam Scalanæ gentis

tis Paulus Scalichius, vir ad miraculum doctus, quam qui cognoscere volet, poterit eam editam in quarto ex ordine perlustrare; Nos vero eiusdē Pauli effigiem addemus, cum Vitę illius notatione aliquali, ne lector habeat quod in familia tàm erudita, tamque præclare merita desiderare possit.

PAULUS SCALICHIUS
Comes Hannorum
Marchio Verona.
B.
Omnia qui nosti divina humanaq; sensa,
Dic age quo fato PAVLE perite sacés.

PAVLVS SCALICHIVS
Comes Hunnorum S. Theol. D.

PAAVLVS Scalichius Comes Hunnorum, Marchio Veronæ, è priſca illa Scalanæ gentis familia principe originem venditãs ſuam. Myſticæ Philoſophiæ & totius Encyclopædiæ ſcientiſſimus, quod vel ex amico Catholico Epiſtemone quo vniuerſus orbis, tam ſacrarum, quam prophanarum diſciplinarum omniſque omnium ſectarum & Philoſophiæ doctrina catholica declaratur, ſatis apparet. Sed idem tamẽ in Theologia alter ſui temporis Eceboles, olim Ferdinando Aug. Cæſ. à Sacrificio Miſſæ, poſt fidei aliquãdiu profeſſionem in Boruſſia ſimulans Euangelicæ, tandem Canonicus Eccleſiæ Pontificiæ Monaſterienſis iniquis electus ſuffragiis, partes Antichriſti Romani, quas antea oppugnauerat ſcriptis propugnauit ſuis. Demum multis variantis fortunæ caſibus exercitus, vitam in terris clauſit ſuam, fine incerto.

Scripsit autem Epistemon orbis disciplinarum, cuius iam mentio facta est, Theses mysticæ Philosophiæ, Eulogum seu de anima separata eiusq; passione. De iustitia æterna seu vera promissione. Gradationem. Exiliũ seu de vera Christi doctrina & de sola fide iustificante. Ephesiam disputationem. De Chorea monachorum seu cœtu Antichristi. De illustrium origine. Reuolutionem Alphabetariam, seu perfectissimam ad omne genus scientiarum Methodum. Dialecticam contemplationem ad cõsequendos scientiarum habitus perquam vtilem & necessariam. Conclusiones in omni genere scientiarum olim Bononiæ primùm, deinde Romæ propositas. De mundo archetypo, Intellectuali, cœlesti, Elementali, minori & infernali. Dialogum de missa. Glossam in 32. articulos Canonis Missæ ex Apostolo. Epistolam ad Romanum Antichristum. Encomium scientiarum. Miscellanea de rerum causis & successibus & de secretiore quadam Methodo, qua euersiones omnium regnorum, vniuersi orbis & futurorum series erui possint libris 7. Item certissimam methodũ qua homines palãtes, ad viam veritatis reuocãdi veniant, cõtra centurias Ioan.

Nasi

Nasi Minoritæ. Iudicium de præcipuis sectis nostræ ætatis: Item de proprietatibus Antichristi & de extremo iudicio Germanice. Vaticiniorum & imaginum Ioachimi abbatis Florensis Calabriæ,& Anshelmi Episcopi Marsichani,super statum summorum Pontificum Romanę Ecclesię; contra falsam cuiusdam pseudomagi,quæ nuper nomine Theophrasti Paracelsi in lucem prodiit, pseudomagicam expositionem,indubitatam explanationem. Locos communes Theologicos, siue pro Ecclesia Romana eiusque autoritate aduersus vesaniā Neopistorum orationem. Miscellaneorum Tomum 11. siue Catholici Epistemonis,contra quondam corruptam ac deprauatam Encyclopædiam libris 15. Orationem pro Romana Ecclesia.Dialogum de Lyra. enarrationes tam veteris, quam noui Testamenti. De Genealogia Scalichiorum.

Ecquid Utenhouio debetur prima canentum
Gloria, quo Phoebo haud gratior ullus erit.

CAROLVS VTENHOVIVS
Neochthon.

CAROLVS Vtenhouius Caroli filius, vel inter primos huius Catalogi cõnumerandus venit, vitam enim in his terris multo cum nomine ducit, mortaleſq; ſui memores præclare tum de literis tum de republ. merendo facit, dignus cuius effigies in medio foro erecta poſteritati cõmendetur: at enim cum tempus edax rerum atq; inuidioſa ſenectus omnia paulatim conſumant, atque ita meritos ſimul honores in ſtatuis ipſis deleãt, rectius venturo æuo conſuluerint qui per artem hanc typographicam virorum ſimulacra veros vultus imitantia colligunt: quâ viâ & modo nõ abſurde dicemus vel tertiam illis vitam impertiri, qui ita celebrari merentur: viuunt enim primum eâ quam à parentibus acceperunt vitâ, quaque inter beatas animas immortalitatem nobis pollicemur; viuunt deinde & Muſarum beneficio, ſuisque in remp. præclare meritis, virum enim dignum lau-

de Musa vetat mori: tertia illis vita est quâ præstantium artificis ingeniosis repertis & effictis simulacris posteris repræsentantur, quâque à doctis & laudatis ornari prædicarique merentur: talium enim artificum auspiciis felicius iam illi per ora virorum deuolitant securi vel sæuissimorum fulgurum, atque adeò ipsius vetustatis: Quare & huic viro clarissimo consultum hoc modo merito cupientes dignissimum eum iudicauimus cuius Iconem inter cæteras poneremus, præterquā enim quod ex nobilissima familia prognatus est, patriamque Neochthonem agnoscit, etiam propriis ingenij monumentis familiam suam illustrissimam longe illustriorem reddidit, & quod mirandum in eo maxime est, ingenio adeò felici natus, vt quæcunque scribat, quæcunque proloquatur, per ea polito genere metrico in medium proferat, Minerua suauissime arridente, multa è Græco vertit, multa è Latino, quæ Basileæ plæraque excusa sunt, inter cętera fecit Commentariolum parallelon, siue libellum assertorium quo Principum inprimis duorum Hispaniarum scilicet & Indiarum Regis augustissimi, Regis Philippi secundi: & Turcici Mahumetis Tertij vires, opes,

opes, prouinciæ, atque forma eas bene administrandi & regendi, tempore pacis bellique explicantur, & arma & arcana infinita deteguntur, ex Ioanne Botero Italo in Latinum versum, cū præfatione eiusdem Vtenhouij excusum: Ornauit Vtenhouium Doctiss. Ioannes Posthius Medicus & Poëta præclarus sequenti elegia, quam scripsit anno Christi 1595. quo tempore Vtenhouius ætatis annum 59. agebat apud Agrippinates Coloniæ:

Vir bonus atque pius laudaris Carole doctis,
Docte artes, linguæ multiplicesque sonos.
Nemo non igitur viui simulantius ora
Optat habere tui pectoris indicium.
Vt mutes faciem tamen ecce relucet ocellis
Ex clausis bonitas, ex patulis pietas.
Quod mortale fuit tabula spectatur in ista
Nempe os disertum & Vultus Vtenhouij.
Ingenij effigies doctis expressa libellis
Expers sepulchri cuncta viuet sæcula.

PETRUS VICTORIUS FLORENTINUS. Orator, & Philosophus.
Victor es, & Musis vincis & Apolline dextro
Quinage Parcarum vincere Clauis tra studes.

PETRVS VICTOR
alias Victorius Florentinus.

PETRVS Victorius Florētinus fuit patria, Orator, Philosophus, & antiquarius clarissimus, hac facie quam appositum Schema exprimit, spectabilis tum, cum annum ageret octogesimum; multa præclare & erudite scripsit, è quibus sequentia inter manus versantur; Ciceronis libri castigati, adiectis explicationibus castigationum, excusis cum Ciceronis operibus. castigationes in libros de Oratore, in Brutum, in perfectum Oratorem & Rhetorica ad Herennium: item Epistolæ familiares, & ad Atticum, excusæ cū diuersis aliorum in eosdem Ciceronis libros commentariis. Extant eiusdē Victorij annotationes in Catonem, Varronem, Columellam: item Commentaria in libros tres Aristotelis de arte dicendi, excusa primū Florentiæ, postea Basileæ. Variarum Lectionum libri 25, ad vtriusque linguæ illustrationem vtilis-

simi pariter iucundissimique. Oratio ad Iulium III. Pontificem Romanum habita & excusa Florentiæ. Politica Aristotelis correcta. Eiusdem alij variarum Lectionum libri quatuor Cõmentarij in Demetrium Phalereum de elocutione. In Aristotelem de arte Poëtica. Aristoteles de arte Poëtica correctus Græce. Liber de Laudibus Ioannæ Austriacę natæ Reginæ Vngariæ & Boëmiæ, Eiusdem & Ioannis Baptistæ, Adriani & Petri Perontini Orationes. Eiusdem Epistolarum ad Germanos missarum libri tres à Caselio editi Rostochij. extat & Petri Victorij de Vrbis Romæ regionibus & locis libellus. His itaque monumentis publicatis, tum aliis plurimis iisq; optimis conscriptis Vir sui æui decus & fama nobilissima vixit viuetque dum sua bene de Musis merito apud memores bene stabit gratia.

IOANNES SAMBUCUS MED. ET HISTORIC
Nascitur in Vngaria an 1531.
Obyt Vienna. an 1583.
Excitat et sanos scriptis Sambucus, et agros
Restituit medica maximus arte manu.

IOANNES SAMBVCVS
Medicus, Hiſtoricus, Antiquarius, & Poëta.

IOANNES Sambucus Tirnauiæ Pannoniæ oppido natus, anno 1531. in plæriſque Italiæ, Galliæ & Germaniæ Academiis cum laude verſatus eſt: cõiunxit autem cum literis humanitatem; cum Latinis Græca: & quod è ſcriptis eius facile apparet; ſcientiam antiquæ Philoſophiæ cum elegantia doctrinæ. Vnde in Medicum elegantem, in Poëtam venuſtum & ſcitum, in Hiſtoricum & Antiquarium ſolertem euaſit. Diuo Maximiliano II. & Rudolpho II. Aug. Cæſ. à Conſiliis & hiſtoriis factus, maximam gloriam in vniuerſo orbe Chriſtiano adeptus eſt, cũ propriis ſcriptis elucubrandis, tùm veteribus autoribus recolligendis. Obiit tandem Viennæ Auſtriæ Idibus Iunij anno Sal. M. D. LXXXIIII. ætat. 53. Scriptorum quæ ipſe multa & erudite & eleganter conſcripſit, quæq; rara

rara & inuentu difficilia maximis laboribus & sumptibus collegit & publice edidit, catalogus hic erit: Expositio Methodi conscribendarum Epistolarum', incerti autoris: item Typus Epistolicus Libanij. Versio concionum aliquot ex Cyri-Pædia Xenophontis, pro tyronibus Græcæ linguæ, cum Orationibus Critiæ & Theramenis ad vsum scholarū. Oratio quod Oratores ante Poëtas à Pueris cognoscendi sint. Carmina quædam Poëmatum à se edendorum specimen. Cæsarum Romanorum vitæ ab eodem castigatæ & auctæ. De imitatione Ciceronis Dialogi IV. Orationes sex, prima in Natalem Christi cum aliquot Hymnis. 2. de imitatione. 3. in laudē iuris ciuilis. 4. vtrum poëtæ in scholis, Oratoribus præponendi. 5. Funebris in obitum Iacobi à Stubenberg. 6. in obitum Generosi adolescentis Georgij Bona Cibunienſis, domini in Landsech. Orationis dominicæ simplex expositio. Chorographia noua Vngariæ. Oratio funebris in obitū inuictissimi Imperatoris Ferdinandi, &c. Tabula de LXX. discipulis Christi, & cuiusque loco, dignitate, morte, nomine, edita & Latine facta ex B. Dorothei vetustissimo libro. Epitethorum Græcorum liber.

In Lu-

In Luciani dialogos tetrasticha mythologica. Carmina Ethica X. quinternionum Patauij edita. Appendix rerum Vngaricarum à Rege Matthia, vsque ad Imperatorem Ferdinandum, Petro Ranzano adiecta. Narratio obsidionis Agriæ & Zigeth in Vngaria factæ per Turcam. Continuatio ad Bonfinium rerum Vngaricarum ad Maximilianum II. vsque. Paraphrasis & Commentarij in artem Poëticam Horatij. Emblemata 250. Thucididis & Xenophontis conciones artificio explicatæ. Sententiæ & regulæ vitæ ex Georgij Nazianzeni scriptis collectæ, & eiusdem Iambi aliquot. Arcus aliquot triumphales & monumẽta victoriæ classicæ in honorem Iani Austriæ Victoris non quieturi, 1572. Præterea in Latinum sermonem conuertit Platonis Phædrum, Alcibiadem, Axichum, Hesiodi opera & dies cum Batrachomyomachia. Hippoliti Thebani libellum de ortu Mariæ. Nili oratiunculam contra Barbaros. Theophylactum in Apostolorum acta. Eius item operâ & ex illius Bibliotheca editi sunt hi libri: Aristenæti quinquaginta Epistolæ amatoriæ. Laërtius Diogenes plus quam mille in locis restitutus ex fide dignis vetustis exemplaribus Græcis,

cis, Latine quidem editus, sed ita vt inde etiam Græcum exemplar possit restitui. Eunapius Sarpianus de vitis Philosophorum & Sophistarum. Hesichius cognomento Illustrius de his qui eruditionis fama claruerūt. Hephæstion Grammaticus. Lilij Tifernatis Epitome in Herodotum. Ianni Pannonij Panegyrici duo & Epigrammata. Chronica Petri Ranzani de rebus Vngariæ cū suo appendice. Bornij Salæ de patiētia, & ad mortem præparatione. Apollonij Syntaxis manca & mendosa ab ipso suppleta & correcta. Philo de Virtutibus. Bonfinij de coniugali pudicitia dialogi tres. Eiusdem Decades quatuor & dimidia, quarum quarta & dimidia ante non fuerunt editæ: Postremò præter illos autores veteres, quorū suo loco mentionem fecimus, hi quoque in eius Bibliotheca fuerunt: Catena copiosissima de vita S. Chrysostomi. Epistolæ 800. sacræ, nondum editæ. Nazianzeni, Chrysostomi, Theophylacti, Basilij, Cyrilli, Bessarionis, Chrysoloræ, itē Basilij Magni homiliæ. Ad Chylum discipulū. Ad Simplicium. ad Episcopos Italos & Gallos. in Christi natalem. in Sycophantas. Epistola ad desertorem solitariæ vitæ, & alia ad Hoptimium Episcopum

de cæ-

de cæde Cain, & verbis illis per tuam ipſius animam penetrabit gladius. ſed hæc omnia ſingulatim commemorare non eſt huius inſtituti: ea enim fuit viri clariſſimi diligentia & ſtudium in colligendis veteribus libris, liberalitas in edendis, vt maximis principibus, qui hac re laudem conſecuti ſunt, meritò queat conferri: maiorem autem laudem cùm propriis ſcriptis, tùm emendatione veterum adeptus eſt, quàm vt in hac notatione pro merito prædicari poſſit. Extāt eius Emblemata aliquot numorum antiqui operis. Item Icones veterum aliquot & recentium Medicorum, Philoſophorumq; quas excudit Plantinus anno 1574. Ornauit eum Poſthius Medicus & Poëta hoc Tetraſticho:

Præſtantes Medicos, præſtantes carmine Vates,
Maxmilianus habet Cæſar & Hiſtoricos.
Hæc tria ſed ſolus qui præſtet munia, nullum
Sambuco excepto, Cæſaris aula videt.

Longe elegātiſſimum eſt Victoris Althani Liberi Baronis Auſtrij eidē factum Epicediū ſequens:

Qua modò Cæſareo viguit Sambucus in horto,
Depoſuit latas languida facta comas.

Flete pij flores veterem tu Hyacinthe querelam
Inscriptam foliis lugubris ede tuis.
Flete pij niuea quicunq; sub arbore cygni
Duxistis, dum sors risit amœna, modos.
Namq; nec Alcinoi sylua, nec Atlantia tempe,
Quæ fama Hesperidum est culta fuisse manu:
Sambuco flores similes, frondesq; tulerunt,
Sambuco Hunnorum quæ fuit orta solo.
Illa sed venti nimis heu nimis obuia vento
Concidit, vt terris concidit vsta modo.
Iamq; Paradisi qua felicissima vitæ
Frondibus æternis arbore opacat humum.
Arte creatoris liquido viret æthere, deq;
Iustitiæ puro flumine fonte bibit.
Illic non Austri spirant mala flabra, nec vlli
Officiunt æstus, vllaue nec vrit hyems.
Salue arbos dilecta DEO, dilecta beatis
Mentibus, & Regi viue beata DEO.

Addam & Paschasij Brismanni:

Dum Sambuce cadis cœli terræque marisque
Numina decessum congemuere tuum.

Si

Si periisse queant cœli terræque, marisque
Nomina, te extincto disperiisse putem.
Nam cœlũ, terram, mare, gesta recondita mundi
Cœperat ingenij vis operosa tui.
Verum orbem hunc qui iã superaras, ante, petisti
Orbem alium potis haud hic satis esse tibi.

HARTVIC. SMIDENSTET.
PHILOS. ET ORATOR
Nasc. Lubbenhusiae A. 1559.
Ob. in patria A°. 1595. 31. 7.
Ore SMIDENSTET' mulcebat pulpita et aulas
Gudius Amphion et Linus alter erat.

HARTVICVS SMIDENSTE-tus, Orator, Poëta & Philosophus, in illustri Academia Guelforum.

HARTVICVS Smidenstet, Lunæburgæ Saxonum vrbe admodum nobili natus anno Christi 1539. mense Aprili, à primis statim annis ad Musarum sacraria à parentibus honestis & spectatis eiusdē Reipub. ciuibus adductus fuit; vsus ibi præceptoribus fidelissimis iuxtâ & doctissimis, Ioanne Bathelio Cosfeldensi V. Vestphalo Rectore, & Luca Lossio Vachensi Hesso Conrectore, pietatis literarumq; fundamenta iecit fideliter in Scholâ patria. Hinc anno ætatis duodecimo proficiscitur Rostochium, de consilio & iussu patruelis sui HENRICI SMIDENSTETI Doctoris & Professoris Theologi in Vniuersitate Rostochiana facundissimi. Hoc studiorum duce HARTVICVS Philosophiæ adyta penetrans, Latinæ pariter Græcæ-

que linguæ artiumq; omnium exactam sibi cognitionem comparat, præcipue Eloquentiæ studio deditus & ARNOLDI BVRENI Oratoriæ ibidem professoris prælectiones studiose auscultãs. Quo in studio iam mediocriter confirmatus ad almam illam VVitebergam Saxonum se cõfert, ibique nullis laboribus, nullis vigiliis parcens, solertissimum in ea Academia Eloquẽtiæ artificem PETRVM VINCENTIVM Vratislauiensem frequẽs audit, eiusque vestigiis insistens & ipse in grauissimum ORATOREM breui euadit. Agens itaque annum vicesimum quartum MAGISTERII laurea sub Decano HIERONYMO OSIO Poeta Laureato decoratur, primumq; locum in admodum numeroso candidatorum cœtu obtinet, facta est ea promotio VVitebergæ anno 1563. Exinde priuatim Oratoriam VVitebergæ profiteri aggressus tanta cum laude & applausu docuit, vt nominis eius celebratio statim per aulas Principũ, maxime per Borussiam increbresceret. Quapropter ab Alberto Marchione Brandeburgico primo Borussię duce ad Scholam Regiomontanam euocatur, vt Oratoriæ professionem in ea volens susciperet, paruit, præfuitque illi Spartæ glorioſe annis decem continuis.

Interea

Interea Illustrissimus & potentissimus Dux Brunsuic. & Lunæburgen. Diuus IVLIVS GVELFVS Helmsteti nouum Musis sacrariũ consecrat, erat tum annus 1576. eo rumore excitus HARTVICVS, simulque patriæ desiderio illectus, passus est se quoque vocatione legitima in Iuliæ Academię professorem cõscribi anno 1578. Ergo Regiomontanis multa & officiosa cum solennitate valedicens HELMSTADIVM venit, honorificentissimeque tum à Duce Guelfo, tũ ab vniuersitatis proceribus exceptus partes Oratoris suscipit, quas deinceps grauissime profitendo, omnesque Academiæ magistratus magna cum autoritate dexterrime obeundo magnifice exegit annis sedecim integris. Tandem dum iam laboribus morbisq; sæuissimis miserè fractus Lunęburgam patriam, quæ non ita procul HELMSTADIO abest, cum Coniuge matrona honorata ANNA TRIPTIA Ciuis & Negociatoris primarij VVitebergensis filiâ (cum qua annos viginti septem plane feliciter & beate in matrimonio eo vsque exegerat) pro more per æstatem inuiseret, iamque inter amicorum cognatorumque optata alloquia animum explicaret, obiit morte quidem repentina,

sibi

sibi ipsi verò minime inopina, expirans piè & placide inter suorum complexus prid. Kal. Sext. anno 1595. sepultusq; in summo eius ciuitatis Templo, maximo Senatus patrij totiusque Reip. illius luctu; Academiæ verò Iuliæ iactura nimiu graui: relictis post se ingenij sui monumētis admodum illustribus, & victuris, quorum alia soluta, alia ligata oratione splendide elaborauit. ex his editæ sunt Orationes aliquot, item Tractatus de Imitatione Ciceroniana exquisitissimus: edita sunt & poëtica complura, sparsim tamen & diuersis locis temporibusque emissa. Premitur in Bibliotheca eius relicta præstās Volumen Epistolarum Illustrium & Scholasticarum, Orationes item selectiores plurimæ, quarum præcipuas in Illustrissimorum potentissimorumque Ducum Guelforum laudes partim carmine partim prosa fecit. Premitur & opus absolutissimum in quo totam Cyclopædiam ita in locos communes digessit, omniumque scientiarum rerumque capita & tractationē ita disposuit, vt futuro Oratori, siue cuicunq; ex tempore etiam dicturo veluti locupletissima Eloquentiæ Bibliotheca quouis loco & tempore in promptu, atque in infinitum expedita esse

ta esse queat. Taceo prælectiones doctissimas nõ in Ciceronis solùm Orationes, aliaque eius Scripta, sed & in quascunque totius Philosophię partes, præsertim in Rodolphi Agricolæ Dialectica, quæ omnia in publicum dare ipsemet quidẽ iam quieti se compositurus meditabatur, verùm aliter DEO visum. Visura tamen & ipsa aliquando lucem, vbi vel Clariss. Doctissimoque viro Dn. N. BARTHERO V.I.D. & Professori in eadem Vniuersitate Iulia, Bibliothecæ autem Smidenstedianæ, vt & matrimonij faustissimi successore spectatissimo, à negotiis publicis prælectionibusq; Academicis vacatio oportune erit; vel alius eius Beneficiariorum quispiam ea in parte officio suo debitè satisfaget. Hæc itaque cum ad eum quo dixi modum sese habeant, haud immeritò eius memoriam honoratam acerbamque esse censuit illustris Guelforum Poëta & Historicus præstans HENRICVS MEIBOMIVS, qui Oratoris huius Natales laudesq; digne prosequens, Manibus illius magnifica Oratione parentatus fuit; illorum ergo honori & nos iusto affectu indulgentes, tùm in demortui, tùm in parentãtis existimationem, eam subiiciemus, quod dignissima sit, quæ &

Manes sic meritos iustè celebret, quæque & ipsa applausu celebraretur ab omnibus.

Parentalia

HARTVICO SMIDENSTETO ORATORI FACTA PER HENRICVM MEIBOMIVM POETAM ET Historicum illustrem.

Vt nec adulari didici; neque falsa cuiquam
Futilis affingo venali encomia lingua:
Sic bene promeritis castarum munera laudum
Soluo libens, magnasq; animas, & lumina mundi
Non humilis, nec inane crepãs, sed numine plenus
Mæoniis fidibus æterna in sæcula mitto.
Vatibus hoc propriũ est; virtuti reddere famã:
Et calamos aptare sacris: qui degener istis
Finibus excedit, præscriptis legibus audax
Vim facit, & sanctã temerarius inquinat artem.
Si mereor, pietasq; mihi mea subuenit, & mens
Officiosa bonis, nullique iniuria, Phœbum
Conciliat: vates vt censear inter, & ore
Altiloquo cathedras moueã; mihi carminis vsus

Vnicus

Vnicus hic esto: meditantem turpia virtus
Deserat, & frustra Musas in carmina poscam.
Nũc adeò, quanquã inuitꝰ, lacrymabile rursum
Ordiar autor opus: mallem hoc me fata vetarent:
Mallem alios mecum: tuque hæc suggesta teneres
Amplius, ô nostri lumen SMIDESTETE *Lycei.*
Christo aliter visum: nec te tua plurima virtus
Subtraxit letho: communia fata secutum.
Quãdo aliter nequeo exequiis decorabo supremis.
At tu diuitibus iampridem clara Salinis,
Clarior eximiaque Schola, & sapiente Senatu,
Lvnaebvrga potens, Arctoi gloria tractus:
Tu statuam molire viro, tu nomen alumni
Dulce tui, & partos nunquam obliuiscere honores.
In te vitam iniit: tu tanto ciue fuisti
Notior Europæ populis: tibi debet auiti
Stemmatis exortum, maiorumque inclyta signa.
Quinque ter exierant à nato sæcula Christo,
Et septennia sex, si tres modò dempseris annos,
Quando infans hausit grata primordia lucis.
Illa dies præclara fuit, felicibus astris
Et positu cœli percommoda, vt exitus ingens

Edocuit. Puerum genitrix lacte imbuit almo
Doctrinæ ſaluantis, & os animumque tenelli
Impleuit pietate ſacra: iam figere greſſus
Nouerat, & plenas reddebat pectore voces:
Ergo ſchola datur. Illius tum frena gerebat
VVeſtphaliæ veteri COSFELDA *ex vrbe creatus*
BATHELIVS, *iunctusque illi collega fidelis*
LOSSIVS, *extremis Cattorum finibus ortus.*
His ducibus fidis indefeſſisque magiſtris
Eloquiis animum ſacris, & cœlite verbo:
Inſtituit: mox doctrinæ genus attigit omne
Quantum ætas infirma capit: ſtupuêre coæui
Diſcentem iuuenes atque inuidêre citatos
Præcocis ingenij niſus: quo rectius ille
Oſtenſum veſtigat iter: quo pronior inſtat:
Hoc magis acquirit ſibi præceptoris amorem
BATHELII: *nec enim integrior vel amãtior alter*
Militiæ talis multis inuentus ab annis.

Hinc, vbi bis ſenos impubes egerat annos,
ROSTOCHIVM *conuertit iter, patruelis amici*
Iuſſa ſequens: ille interpres & præco fidelis
Ætheriæ legis magna cum laude docebat

Vãdalici ad ripas VARNI: tibi magne PHILIPPE
Carus ob ingenium moderatũ & mentis acumen:
Tunc vbi opus pugnare viris, & ſoluere elenchos.
Nunc quoq; fama viri ſuperat perſpectaq; virtus
Nomen habet: quà voluit aquas vagus ALBIS,
& ARCTOS
Deſpicit effuſas truculentæ BALTHIDOS vndas.
Hoc præeunte viro SMIDESTETVS in intima
ſeſe
Proripuit Sophiæ penetralia, & hauſit auitas
Italiæ florentis opes: hoc indice Graiûm
Exiit in campos, & nectare proluit ora
Socratico: tibi plura tamen diuine BVRENI
Debuit: Orator tu maximus, æmulus illis,
Quos tulit AVGVSTI pollens virtutibus æuum.
Te duce barbariem craſſosq; RHODVNTIA mores
Dedidicit, cœpitque loqui, quod Mintias Andis,
Molle quod Arpinum, quod aquoſus Sulmo probaret.
O patriæ ſacer vrbis honos, te VVESTPHALA
tellus
Extulit, & tanto illuſtrem ſe iactat alumno.

Vt RHODII *excoluit* CICERONEM *cura* MO-
LONIS,
Et caſtum patefecit iter, quod ducit ad arcem
Flexanimæ Peithus: ſic imperioſa BVRENI
Sedulitas geniũ HARTVVICI *formauit ad vnguẽ.*
Quæ præcepta dabat ſenior, quæ voce ſonabat
Neſtoria, oraclorum inſtar ſtudioſa iuuentus
Admirata fuit veneratque: in omnibus vni
Nemo tamen noſtro æqualis: catus ille magiſtri
Scrutari inuenta atque Ariadnes credere linum.
Hic etiam inuenti patruæ qui verbere linguæ
Eloquij curas ſteriles & caſſa notabant
Cœptarei: quibus ille locum ſi forte dediſſet,
Inter conſultos Themidis viguiſſet alumnos,
MYNSINGERE tibi par, aut BORCHOLDE: *Sed*
ardens
Ingenium, TVLLI *facundia, & impetus acer*
QVINTILIANE tuus rapuit: vos eſſe ſciebat
Artifices fandi: vobis haurire magiſtris
Eloquij ſatagebat opes: nil dulcius vſquam
Eſſe ratus, dignumque magis vernantibus annis.
Prima rudimenta, & duros ſuperauerat orſus,

Fide-

Fidebatque ſibi, nec, vt ante, premebat inaudax
Omnia, quæ vigilans multis procuderat horis:
Sed certare aliis, palmamque ambire theatro
Judice, & à docta poterat ſperare corona.
Ergo Leucoreum gaudens feſtinat ad Albim,
Namq; ibi doctrinæ emporium, caſtæq; palæſtram
Virtutis norat florere, MELANCHTHONIS arte
Et ſtudio illuſtrem: cui prouida cura Iehouæ
Addiderat ſocios operum, comitesque laborum,
VINSEMIVM, ESROMVMQVE & paruum corpore EBERVM,
PEVCERVMQVE grauem: illorũ ſudorib. ARGO
ALBIAS antiquos iterum inſtaurabat honores
TIPHYOS occaſu læſos. Quod mente petebat
LEVCORIS exhibuit docili fœcunda Sophorum
E cathedris inuenta ſonans: hîc inuia pridem
Doctrinarum adyta, & fontes luſtrauit amœnos
Peruigil: hîc omnes feliciter attigit artes,
Excuſſitque libros veterum, quos Græcia felix,
Quos Latium claras lucis produxit in oras.
Semper adeſt dubiiq; regit moderamine greſſus

Ille

Ille Brateſilea VINCENTIVS vrbis alumnus.
Huic ſeſe Albiacis commiſerat aduena ripis,
Fœcundum ingenium facundaque labra docentis
Miratus: nec vana fides felicibus huius
Adiutum monitis ſuperaſſe Heliconia Tempe.
Quattuor implerat vitæ ſexennia, mitram
Cum meruit: qua ſudores penſauit honeſtos
Ordo patrum: ſocios inter, quæ plurima turba,
Primus ei locus, & primæ data præmia lauri
Rem peragente OSIO: quem Phœbi fronde reuinctum,
Inter honoratos numerat Germania vates.
Ex illo inuenit famam, cœpitque docere
Quæ prius audierat, memoriq; in mente tenebat.
Quicquid ARISTOTELES, quicquid monumenta PLATONIS,
Dicendi ſuper arte notant: quæcunque reliquit
Æneadis FABIVS, Fabioque auguſtior Vrbis
Summus honos CICERO ventura in ſæcula miſit,
Priuatim expoſuit rudibus. vaga fama per vrbes
Diſtulit hæc, aulaſque ducum: florere potentis
Ingenij iuuenem, quo non facundior alter

Pulpita

Pulpita conſcendat: quem concio tota ſtupeſcat
Vi tacita rapientem animos, atque impete forti
Ducentem quocunq; velit. quis credat? ad Arcton
Rumor iit, qua Sarmatiæ vicina BORVSSVS
Arua colit, Scythicoque educit ſuccina Ponto
Hæc regio diues pecorum, ditiſſima frugum,
Plenaque piſcoſis lacubus, MASOVIA *quondam*
Imperia agnouit: ſed quòd portenta Deorum
Barbara adoraret: quòd Chriſto templa negaret,
Vicinis inuiſa fuit: quos Marte cruento
Non ſemel inuaſit, delubraque perdidit igni,
Oppidaque euertit: tandem victricibus armis
Candida qui geſtant MARIANI *pallia fratres*
Subiêcere ſibi, & Chriſto adduxêre Boruſſos.
Nunc ibi barbaries omnis ſublata, vigetque
Religio in templis, nec deſunt præmia Muſis.
Hoc ALBERTE *tibi debetur* MARCHIO, *Achillis*
Teutonici generoſe nepos: tu bella fugaſti:
Tu labem verbo aſperſam, Romanaque ſacra
Hei multum damnoſa piis, impunè tuliſti
E medio: ſub te doctrina efflоruit omnis,
Ingenia æquauit precium, & fauor extudit artes.

Fortunate ſenex ergo tua fama manebit,
Bregela dum piſces, dum ſuccina Pontus habebit.
Principis accitu tanti, quo ſanctior alter
Non erat, Hartuicus caro diſceßit ab Albi
Prußiacam viſurus humum: via longa ſubinde
Tædia gignebat nimiumque remota paternis
Eſſe videbatur laribus Ducis aula Boruſſi.
Ut tamen accelerans & ſpe faſtidia vincit. (ipſum
Ut vidêre virum proceres MONSQVE *audiit*
REGIVS *orantem, placuit facundia, & almæ*
Frontis honos moreſque pij geſtusque ſeueri.
Nec mora propitiæ ſumtu conducitur aulæ,
Ut cathedram Rhetor teneat, collapſaque longis
Diſſidiis ſtudia, & penè effugientia ſiſtat.
Præfuit huic Spartæ denos feliciter annos:
Collapſumque Scholæ vigil inſtaurauit honorem
Quà licuit, non quà voluit: diſcordia multum
Obfuit, & ſumptos eliſit iniqua labores.
Pacis amans Orator erat, tantiſque dolebat
Gymnaſii damnis, quæ continuata malorum
Ducebat ſeries: cumque inclinata videret
Omnia, & informes tantum ſuperaſſe ruinas,

Optauit

Optauit migrare loco: si mollior aura
Commodius daret hospitium. Iam IVLIA stabant
Atria, & antiquas æquauerat ELMVS Athenas
Barbarie excussa: iam structi fama Lycei
Ibat ad extremas Europæ diuitis oras.
Saxoniæ fortuna recens geminataque virtus
HARTVICO pergrata fuit: qui plurima secum
Exigere, & casus cœpit spectare futuros.
O nunc fata meis non desint inuida votis,
Propositumque iuuet sors lenior: ille quietem
Promittit locus. En patriæ vicinior vrbi,
Natali me iunget agro: dabit esse propinquum
ROSTOCHIO Musisq; tuis pater ALBI. quid optẽ
Maius vtroque mihi? nil iam de principe dicam,
Auspice quo felix assurgit IVLIA. is acres
Pacificus superauit auos, atauosque: quis illi
Deferre officium atque operam condicere nolit?
Me præsaga iubet mens exspectare salutem
SAXONIDE in terra: videor mihi tecta videre
Julia, & ardenti cathedris insistere gressu.
Prosperet augurium omnipotẽs, omenq; secundet.
Talia secum agitans spem concipiebat opimam.

Interea GVELFA consultabatur in aula,
Vnde vocarentur virtute & nomine clari
Doctores: quibus officium parteſque docendi
Committi tutò poſſent: ambire videres
Certatim innumeros: ſed, quæ prudẽtia GVELFI,
Quæ pietas, elegit eos, quibus optima curæ
Religio, nec ficta fides ſimulataq́ virtus.
Tunc quoq́ Pruſſiaci opportunè mentio facta eſt
Rhetoris, ingenio, doctrina, vſuque valentis.
Extemplo aſſenſit princeps, patreſque Lycei
Vnanimes, miſſisque accitur vtrinque tabellis.
Paruit ille libens flauumque acceſſit ad Ocrim,
Flore virens æui, & melioribus integer annis
Hic quoq́ demeruit procerumq́ Ducisq́ fauorẽ,
Officiumque iniit pacta mercede. Quis autem
Enumeret quibus ille modis, qua inuerit arte
Incrementa ſcholæ? vos pulpita; vos ego teſtes
Scamna voco; vos Palladij laquearia noſtri.
Hic ſtetit, hic grauida vibrauit fulmina lingua
Attonitos feriens animos: hic audiit illum
Muſagetes Guelfus cum ſemideo comitatu,
Nobiliumq́ animoſa cohors: hic nectaris vber

Melli-

Mellifluoſque ſonos auidis bibit auribus hoſpes.
Nec contentus erat veterum præcepta iuuenta
Prodere, quod multis ſatis eſt: imitatio cordi
Una fuit: cui quà licuit ſtudioſus inhæſit,
Legitimè tamen & dextrè: nam ſæpè videmus
Inſubidos quoſdam, & ſolidæ nihil artis habentes,
Particulas veterum euulſas, & fragmina carpta
Infarcire ſuis centonibus. ô mihi bilem
Vt mouet, vt riſum ciet hoc: ſic purpura panno
Aſſuitur: vili ſic clauditur vnio lamna.
Quanto rectius hic, veterũ qui ſcripta reuoluẽs
Compagem totam primum: mox ſingula membra
Dædalea reſoluta manu diſcuſſit, & acri
Ingenio aduertit, qua vi, quáue arte coiſſent:
Quæ nexus ratio: quæ gratia: diſcolor vnde
Ornatus, molliſque decor: ſcrutatus ad vnguem
Omnia, materiem ſibi legit, & arte perita
Æmulus expreſſit operis formamque modumq;,
Effigiemq; nouam exhibuit: quædã edidit horum,
Quædam alij aſſeruant: mirum vt ſyſtemate toto,
Vt membris referat cautã CICERONIS *amuſſim.*
Hoc ille inuento placuit, iuuenumque ſequaces

Impulit his animos, fecitque vt rectius irent
Omne per autorum genus, & sua cõmoda ferrent.
Cætera quæ fecit laudem meruêre, nec vlli
Displicuêre bono: si congrediente Senatu
Exponenda foret sententia, liber ab omni
Affectu responsa dabat, nullumque premebat
Inuidia: inprimis quantum fas illud agebat,
Vt patribus suus esset honos, & debita sacris
Quam legum præscripta volunt dignatio sceptris.
Ipse magistratus sine crimine gessit, & æquis
Legibus insistens oblata negotia dextrè
Composuit: lucrum nunquam captauit auarus.
Non illum ambitio torsit, non fastus inanis,
Stultorum commune malum: delicta fateri
Erroresque suos aliisque ignoscere norat.
Dissidiis inimicus erat, quæ gliscere cernens
Arguit officij immemores pacemque reduxit.
Interior morata fuit, moderataq́ vita:
Intra luxuriem sordesq́. Sed omnia vicit
Coniugium concors indeflexumque: quod etsi
Nulla coronauit soboles, tamen arctus vtrinq́
Mansit amor, viguitque fides: in compare virtus

Plurima,

Plurima, laudatusq́ pudor votumq́ marito
Obsequium sobolis desiderium omne rependit
Sollicito. Quid nota feram? quid tenuia versu
Prosequar? ô tales videas modo Iulia plures!
O similes illi inuenias! Tria lustra duasque
Egerat his terris messes, iamque improbus illi
Paullatim attereret vires & robora languor,
In patriam statuit migrare, & dulcibus illic
Alloquiis mulcere animum, dilataque multùm
Ducere ad optatum grauiora negotia finem.
Vidit amicorum vultus: gratissima vidit
Mœnia, & optata recreauit membra quiete
Quantum opus: hic illũ sanum, & nil tale timentẽ
Fatorum series & ineluctabilis hora
Obruit. heu paucas intra, quis crederet? horas,
Vixit & occubuit; cum nec vestigia morbi
Vlla forent mortem inuenit: seu profluus humor
Incubuit cerebro, gelidusque oppleuit inanes
Ventriculos: siue arctato clausoue meatu
Spiritus ad cerebrum assurgens è corde resedit:
Eripuitque omnem neruis in corpore motum.
Causa parum nota est; illi vni cognita, noxas

Qui morbis & morte premit, quique omnia nouit.
I nunc, & demens rebus confide caducis,
Caniciemque tibi & multos promitte Decembres,
Nil ſtabile hic, nihil æternum, nil denique tutum.
Tunc vbi cura minor lethi, cùm credula ſpebus
Affluit, & nullas metuit fiducia clades,
Fata vocant, metaſque dati contingimus æui.
At quãquam hæc lethi ſpecies triſtiſſima nobis
Incutit horrorem meritò, & perfundit amaris
Sollicitos lacrymis: ſaluum tamen eſſe, piéq;
Viuere cum CHRISTO *nemo dubitauerit: illi*
Credlderat ſeſe hinc abiturus, & omine quodam,
Ceu vitæ ſatur, & morti vicinus, ad aras
Aſtitit, & ſupplex ſuprema viatica ſumſit.
Quinetiam myſtæ tacito quæ multa premebat
Pectore detexit lacrymans, fidumque popoſcit
Conſilium comiteſque preces & mutua vota.
Vixit, CHRISTE *tibi, vitam tibi reddidit vni:*
Vnde igitur formido mali? ſeu viuere detur, (mus
Siue mori, CHRISTI *ſum⁹: hoc duce, & auſpice ini-*
Mortis iter: quæcunq; premat, nexũ illa reſoluit;
Nil nocet: à Chriſti nutu mors vitaque pendent.

Hæ

Hæc collega tibi, hæc frater cariſsime, luctu
Saucius & caſu nimium concuſſus acerbo
Exequiis ſacrata pio de more coëgi:
Sufficiat ſtudium rectis, & honeſta voluntas:
Nil moror inuidiam: tunc, cùm mihi ſoluerit olim
Munus idem vates aliquis: cùm lucidus vltrò
Pertæſam terrarum animam ſuſceperit æther,
Maior ero, meritoſque dabit mihi liuor honores.

WOLGANGUS LAZIUS HISTORIC' CÆSARE
Nasc. Vienna Austriæ
an 1514
Obyt in patria.
an 1565.
Lazius Historiam Regum, Ducumq; recensens,
Associus vixit Regibus & Ducibus.

VVOLFGANGVS LAZIVS
Hiſtor. Cæſareus & Medicus.

WOLFGANGVS Lazius natus eſt Viennę Auſtriæ anno 1504. Patrem habuit Medicinę Doctorem & Poliatrum Simonem. Fuit & ipſe Medicinæ Doctor, & excellens Philoſophus, inprimis verò Philiſtor & Polyhiſtor maximus; Scriptorque rerum Romanarum & Germanicarum celeberrimus. Viennam patriam ſuam adeoque totam Auſtriam fideliſſime illuſtrauit, atq; omnem antiquitatem indagauit ſolertiſſimè. Ob quæ tam præclara eius merita & egregia animi ingeniiq; dona Ferdinandus Cæſar aug. non modò inter Conſiliarios ſuos eum annumerauit, ſed & in Equeſtrem ordinem eundem euexit; multisque inſuper aliis amplis honoribus nobilitauit. Tandem diem ſuum obiit Quinquagenarius, in patria, Viennæ, Anno ſalutis 1555. Scripſit rerum Viennenſium cõmentarios in libros quatuor diſtinctos. Commentariorum Reipubl. Romanæ in exteris pro-

uinciis bello acquisitis constitutæ libros duodecim: traduntur in hoc opere limitum omnium restitutiones, prætoria, Magistratus, munia, tàm militaria quã ciuilia à summis ad infima, exercitus, militumq; genera vniuersa, Legiones quotquot Romanis vnquam fuerunt, cohortes, equitatus, classes, naualia, statiua, coloniæ, municipia, ornamenta, signaque pace & bello expressa, vestimenta omnis generis & arma; ritus denique cuncti, ludi & sacra, &c. opus quod totius veteris Historiæ fundamenta, nodos, admirandumque ac ingens quoddam velut alueare complectitur. Idem edidit Chorographiam Pannoniæ. Præterea cõscripsit Decades duas de variarum gentium immigrationibus in Illyrici occidẽtalis tractum, in quo hodie Austriacæ inferiores prouinciæ sitæ sunt. Idem libros fecit aliquot de rebus fortiter simul ac feliciter gestis à Ferdinando Romanorum rege, in Vngaria, Bohemia & Saxonia, in quo opere simul etiam Maiorum eius successiones continentur. idem cum domino Lucretio conscripsit explicationem in Aluearium antiquitatis, id est, imagines & numismata antiqua, studio Ferdinandi Romanorum Regis collecta; quæ omnia

nia cū aliis pluribus posteritati destinauit. Habuit idem authores vetustissimos, quos ex vetustioribus cœnobiis Austriæ vtriusq; Carinthiæ, Stiriæ, Cilij, Sueuiæ, Heluetiæ, Brisgaudiæ, Alsatiæ, Suntgauiæ & Nigræ syluæ inter tineas non sine situ & literarū iactura hactenus delitescentes collegit manuscriptos, eosq; in vsum reipubl. literariæ typis excudendos amicis (cum ad propaganda studia literarum natus fuerit) lubenter communicauit. De aliquot gentium migratione, sedibus fixis, reliquiis, linguarumque initiis ac immutationibus & dialectis libros duodecim fecit. Commentariorum in genealogiam Austriacam libros duos. Eiusdem Catalogus partim suorum, partim aliorū scriptorum nuper inuentorum editus est Viennæ. Scripsit Declamationem de artis Medicinæ præstantiâ & dignitate, habitam in renunciatione Doctoratus Ludouici Marpegij. Ab eodē scriptum de Communione, itē in Caroli Magni Imper. Roman. aliorumque incerti nominis fragmenta de veteris Ecclesiæ ritibus ac ceremoniis sunt edita. item commentaria eiusdem rerum Græcarum; item tabulæ Imperatorum in ære extantium adhibita numismā-

misſmatum interpretatione. Regni Hungariæ Archilogiæ libri, de quibus primus tãtum extat, qui continet deſcriptionẽ Hungariæ montium, vallium. Libri tres continuationis Smalkaldenſis, conſtantes ex fragmentis & admiſſariis. Pictura ſiue Mappa in qua delineatũ eſt bellum geſtum ab Imperatore Carolo Quinto aduerſus Smalkaldenſes in Bauaria. Liber ſolennitatum trium coronationum D. Max. II. in fol.

Phoebus utrunq; tibi dederat VADIANE, canendi
Arte simul polles, paeonis, arte simul.

IOACHIMVS VADIANVS
Medicus & Poëta & Orator.

IOACHIMVS Vadianus Sangalli oppido Heluetiorum natus, Poëta fuit excellens, ad hæc Orator & Mathematicus ac pręsertim Geographus exactissimus, quod scriptis in ea disciplina libris luculenter demonstrauit. Denique Medicinæ Doctor præstans fuit, & publice in ea facultate laureolam & insignia adeptus est Viennæ Austriæ. Fuit præterea eâ prudentiâ vitæque integritate præditus, vt ei patria summum magistratum vltrò detulerit. Quin & Theologus sui sæculi eximius erat, & complures libros scripsit atque edidit contra Enthusiastas sui tēporis. Scripsit item de Sacramentis fidei Christianæ opus passim celebratum, adeò vt lumē omnium disciplinarum clarissimum extiterit. Tandem suarum virtutū gloria fruens, iam senex placidissima felicissimaq; morte beatam sui memoriam reliquit, è viuis excedens an-

no salutis 1561. Is in lucem edidit carmen de laudibus Cæsarum Friderici III. patris & filij Maximiliani. Epitaphium Rodolphi Episcopi Herbipolensis,&c. Eclogam cui titulus Faustus,contra inuidos quosdam. Elegiam de Vadianorum familiæ insignibus, à Sigismundo I. Rom. rege donatis, ad Melchiorem Fratrem. Elegiam quâ certamẽ suum cum morte describit,& Oden in laudem Dominicæ resurrectionis impressam cum Arbogasti Strub. Glaronesij Heluetij Orationibus, & versibus quibusdam, Syluas de laudibus patriæ ni fallor inscriptas. De poëtica & carminis ratione librũ ad Melchiorem Vadianum fratrem. Commentaria in libros III. Pomponij Melæ de orbis situ ; adiectis locis aliquot ex commentarijs summatim repetitis & obiter explicatis : in quibus Ioannes Camers in Enarrationibus suis in Solinum ab eo dissenserat. Item Epistolam ad Rodolphum Agricolam Iuniorem Rhetum scriptam, vbi explicatur locus apud Plinium de Dodrante & Pygmæis, de longitudine Gabbaris, & quid sit vncia apud eundẽ. Locus Persij ex Satyra I. de lacu Acronio & Veneto. Locus Lucani ex lib. 6. de Dorio. Locus Vergilij ex primo Georgicorum

corum de Vertice auſtrino Scholia in ſecundum C. Plinij librū naturalis Hiſtoriæ. Epitomē trium terræ partium Aſiæ, Africæ & Europæ, compendiariam locorum deſcriptionem continentem, præcipue quidem quorum in actis Lucas, paſſim autē Euangeliſtæ & Apoſtoli meminere, additis quibuſdā tabellis Geographicis. Aphoriſmorum libros ſex. De conſideratione Euchariſtiæ. De ſententijs videlicet ſuper hac re cōtrouerſis. De ſacramentis antiquis & nouis, deq; verbo, ſymbolis & rebus. item de vero veri corporis domini eſu: de Tranſſubſtantiationis dogmate, & veritate corporis Chriſti humani. Præterea qualis fuerit ritus cœnæ veteribus: rurſus per quos, quomodo & quibus temporibus is ceremoniarum acceſſione auctus atq; immutatus ſit. Orthodoxam & eruditam Epiſtolam, qua explicat quæſtionem, an corpus Chriſti propter cōiunctionem cùm verbo inſeparabilem, alienas cum corpore conditiones ſibi ſumat. Ad D. Ioannen Zvviccium Conſtantienſis Eccleſiæ paſtorem Epiſtolam, in qua poſt explicatas in Chriſto naturas diuerſas, & perſonam ex diuerſis naturis vnam, Ieſum Seruatorem noſtrum vel in gloria veram eſſe creaturam,

tum oraculis ſcripturarum ſacroſanctis, tum interpretum Orthodoxorum authoritate docetur & demonſtratur. Præterea Antilogiam ad D. Caſparis Schvvenckfeldij argumēta, in libellum, qui ab eo Summarium inſcriptus eſt, collectam: quibus Chriſtum dominum in gloria receptum, amplius creaturam nullo modo eſſe, contendit. Pro veritate carnis, triumphantis Chriſti, quod ea ipſa, quia facta eſt & manet in gloria, creatura, hoc eſt, noſtra caro eſſe non deſierit, anacephaleoſin, ſiue recapitulationem, vbi quædam amplius explicantur, & quæ multis ante expoſita fuerant, breuiſſime repetuntur. Contra tredecim inſignes Caſparis Schvvenckfeldij errores, de Cōfeſſione, & gloria Chriſti, quos partim primus introducit, partim veteres renouare conatur, germanice. item aliud opuſculū Germanice ſcriptū cōtra eundem Schvvenckfeldium, Chriſtum in gloria creaturā amplius negantem, per eruditos quoſdā fratres ex ſuperioribus Ioachimi Vadiani libris congeſtum: Conſilium contra peſtem editum.

HENR. MEIBOMIVS Poeta et Historicus illustris apud Guelfos, Nascitur Lemgoiæ anno 1555.
MEIBOMO tantum debet schola IVLIA Vati,
Maiori quantum Lentoris alma suo.

HENRICVS MEIBOMIVS

Poëta & Historicus in illustri Academia Guelforum.

HENRICVS Meibomius natus est Lemgoiæ in VVestphaliâ, patre Martino Meibomio, verbi diuini ministro, & matre Annâ IOANNIS DREIERI Doctoris Theologi, & Superintendentis Ecclesiæ Mindensis filiâ. Annus tum erat à Christo nato 1555. 4. Decemb. Initia pietatis & literarum didicit in Schola patriâ sub præceptore *Bernhardo Copio*, qui postea in Academia Marpurgensi cum laude docuit. Adolescens missus est Brunsuigam: vbi integrum quadriennium hæsit, nactus hospitem & patronũ benignissimum *Martinum Chemnitium* virum incomparabilem, ex huius cõsilio perlustratis nõnullis Academiis Helmstadij substitit: nam ibi recens fundauerat Academiam illustrissimus Brunsuicens. Dux Diuus IVLIVS. Dedit hic operam Philosophiæ & Theologiæ etiam, quod

quod præceptores haberet magni nominis *Heſhuſium, Kirchnerum, Hofmannum,* & alios. ibidem anno 1580 gradu Magiſterij Philoſophici ornatus eſt: & triennio poſt Academiâ id vnice expetente demandatur ei Profeſſio Poëtices & Hiſtoriarum: quam cum laude diligentiæ hucuſq; tenuit. Secutum deinde matrimonium cum Sophiâ Boheliâ virgine honeſtiſſimâ, quod concors fuit & fœcundum. Sub annum Chriſti 1590. qui erat ei Climactericus, ab inuictiſſimo Cęſare Rodolpho II. Rom. Imp. reuerendiſſ. & potentiſſimo principe Henrico Iulio Epiſcopo Halberſtadienſi Duce Brunſuicenſ. & Lunęburgenſi negotiũ adiuuante, Laureâ poëticâ donatus eſt, quam Pragâ ipſi miſſam multi clariſſimi per Germaniã viri gratulationibus proſecuti ſunt. In Academia honoribus magiſtratuum omnium iteratò perfunctus eſt. Vtranque profeſſionem concernentia non pauca opuſcula edidit, quæ Helmſtadij primùm expreſſa, alibi deinde recuſa ſunt plæraque. in his ſunt:

Poëmata Mynſingeri collecta & correcta, addita Panegyrico de Mynſingerorum familiâ.

Paro-

Parodiarum Horatianarum farragines quatuor.
Syluarum libri Duo.
Agalmatum vnus.
Anagrammatiſmorùm Vnus.
Centonum Vergilianorum libri duo.
Genealogia ducum Brunſ. & Lunæb.
Poëmatia de reformatione Helmſtadienſi.
de Henrico Leone Duce Saxon. & Bau.
de Hermanno Tulichio.
de Hartuico Smidenſteto.
de Regibus Daniæ & Oldenburg. familiâ.
Item Elegiæ, Odæ & Epigrammata infinita.

Quæ omnia vna cũ *Orationibus funebribus Diuo Iulio* piæ memoriæ conſecratis in lucem coniuncta dabuntur. *Præterea in Sleidani librum de quatuor Monarchiis notas ſcripſit. Feſtum Rufum recenſuit & illuſtrauit. Chronicon Hieroſolymitanum appendice Chronologica auxit; & Hiſtoriam Prußicam Reineccij Germanicam fecit.* Nunc totus eſt in conquirendis ſcriptoribus Saxonicis vetuſtioribus, quos nõ paucos habet ex-

ſcriptos ex membranis manu propriâ & cõmentariis illuſtratos. Prodibunt illi propediem & fundamenta Hiſtoriæ Saxoniæ aperient. Ex his ſunt:

Gobelini Perſonæ Coſmodromium.

Leonoldi Northouij hiſtoria Comitũ de Marca.

Joãnis Schiphoueri Chronicon Oldẽburgenſe.

Hermanni de Lerbeke Hiſtoria Comitum Schavvenburgenſium.

M. Iuſtini Lippiflorium, hoc eſt, Poëma de Origine Comitum Lippienſium.

Ertvvini Ertmanni Chronicon Epiſcoporum Oſnaburgenſium.

Annales Mindenſes anonymi ſcriptoris.

Item bellum Saxonicum geſtum à Carolo M. contra VVidekindũ Saxonem, excerptum ex Ioãne de Eſſendia & Henrico de Heruordia.

Hæc omnia hactenus nondum edita, vnâ cum variis appendicibus, diplomatis, epitaphiis, inſcriptionibus, fragmentis, &c. ſuo tempore exibunt, deq; amore Meibomij erga patriam luculentum teſti-

testimonium perhibebūt. Faxit DEVS vt hosce labores extraordinarios feliciter ad finem perducat. Idem ei principis sui opt. benigniss. patrocinium & tutelam ac honesta in Academiâ ocia clementissime conseruet.

Primus Eobanus patrijs qui luſit in oris,
Vir ſimul & Vates optimus ille fuit.

HELIVS EOBANVS
Heſſus Poëta.

HELIVS Eobanus Heſſus, in Haſſia Tragocomum patriã habuit, natus anno 1488. Vir magna vi & animi & corporis præditus, primò in patria & Francobergæ oppidis, bonis literis egregie eruditus fuit. Deinde Erphordiam tanquam in celebre Muſarum Emporium cõcedens omnes ibi ſtudiorum honores conſecutus eſt ob ſummi ingenij, doctrinæque percultæ & virtutis præclaræ excellentiam. Docuit autem Erphordiæ tum publice tum priuatim, docuit & Norimbergæ, & tandem in Vniuerſitate Marpurgenſi, quibus ſane Scholis eximiam plane operam nauauit: Muſarum & Gratiarum alumnus deuotiſſimus. Vnde non iniuria ſui ſæculi Poëtarum princeps & Rex nuncupatus fuit. Is multis præclaris ingenij ſui elaboratis monumentis, in quibus veluti gemma precioſiſſima eminet opus illud Pſalmorum Dauidicorum

dicorum vere ſacroſanctum, quo vel vno opere ſingularem ſibi ſpem & fiduciam diuinæ gratiæ atq; beneuolentiæ comparauit, poſteris verò admirationem ſui & caritatē reliquit flagrantem; tabifico morbo conſumptus Obijt 111. Non. Octob. Anno Chriſti 1540. ætatis 52. Scripſit farragines duas poëmatum, in quibus ſunt Bucolicorum Idyllia. 17. cum argumentis & annotationibus. Heroidum ſacraru libri tres. Epicedia clarorum virorum: Syluarum libri nouem, in quibus plurima & varij argumenti Epigrammata ad diuerſos ſcribuntur. Vrbis Norimbergæ & omnium eius ſpectabilium partium ac ædificiorum deſcriptio, Expeditio & Victoria VVirtenbergenſis in Sueuis, Principis Heſſi. Coluthi de raptu Helenæ & iudicio Paridis poëmation trāslatum. Loci homerici inſigniores verſi: nempe Clypeus Achillis: Martis & Veneris adulterium: Equus Troianus: Horti Alcinoi. Therſites. Vlyſſes & Menelaus: Syrenes, Ate, Litæ, Equi Achillis, Eiuſdem haſta, Thamyris, Ceſtus Veneris: Moly, Nepenthes, Præcepta ſalubria carmine elegiaco ſcripta: ſiue liber de bona valetudine conſeruanda: Elegiarum libelli: Homeri Ilias latinis verſibus

sibus Heroicis reddita cum Caſparis Scheti Coruini Mercatoris Antuerpiani carmine ad Eobanum Heſſum: Theocriti Idyllia 36. latino carmine reddita. Ficta Epiſtola Maximiliani Imperatoris, qua reſpondet carmine ad Epiſtolam Italiæ ab Hulricho Hutteno ſcriptam, poteſt autem referri ad Heroidum Epiſtolas. Salomonis prouerbia & Eccleſiaſten carmine & paraphraſi reddidit. preculam ad Chriſtum fecit. Hymnum paſchalem iuuenis olim ſcripſit: Scholia in Bucolica & Georgica Vergilij fecit. Item Epiſtolarum familiarium libros 12. quibus non modò vita illius, ſed & aliarum rerum deſcriptiones pulcherrimę, ſcituq; digniſſimæ continẽtur, ab initio libri habetur carmen Elegiacum Iacobi Micylli, quo vitam Eobani deſcripſit. Pſalterium Dauidis, cuius ſupra meminimus, totum Elegiaco carmine expreſſit, quod cum annotationibus Viti Theodori aliquoties impreſſum eſt. edita eſt & Eobani explicatio in tabulam Ioannis Murmelij de ratione faciendorum verſuum. Item Epithalamion, ſeu ludus gratulationis in nuptiis & receptione inſignium Doctoratus iurium Iuſti Studæi. Epicediũ in Eraſmum. Carmen de laude Gymnaſij literatorij Erphordienſis manuſcriptum.

MATTHÆUS WESENBECIUS Iureconsultus
Nasc. Antuerp. an. 1531
Ob. Witteb. an. 1586.
Docte Wesenbeci Iuris divine sacerdos,
Te nemo hoc docuit rectius aut melius.

MATTHÆVS VVESENBE-cius Iureconsultus.

MATTHÆVS VVesenbecius Antuerpiæ celeberrimo Europæ Emporio natus, familiâ nobili & patricia anno 1531. Is sub Gabriele Mudæo Iurecõsulto doctore Louanij egregie & eruditus & publice priuatimque exercitatus, posteaquam ad summam Iuris ciuilis, & ad perfectam rerum diuinarum humanarumque scientiam, ingenium præstantissimum contulisset, summum in vtroque iure gradum vnâ cum fratre germano ANDREA studiorũ socio perpetuo, consecutus est. Quare scriptor Iuris valde peritus, & Anteceſſor Ienæ primò, deinde VViteberge cum summa eloquentiâ & excellenti doctrinâ fuit. VViteberge sane doctrinæ iuris publice præfuit annis XVII. quã professionem magnâ cum gratiâ atque intelligentiâ maximaque cum gloriâ obiuit. Consulebatur enim plurimum, dicebatque Ius, idemque profitebatur in Schola & foro, cum fide & religione

ſumma. Dum vixit peræq; omnibus præbuit ingenium ſuum,& laborem,præbuit & fidē promptiſſimam atque expeditam omnibus, Antiſtes ſcilicet Iuris, Iuſtitiæq; ſacerdos maximus. Obiit tandem VVitebergæ anno ſalutis 1586. ætatis 55. Extat eius Oratio de Papiniano in Prælectionum ingreſſu VVitebergæ dicta. Item narratiuncula vera & breuis de M. VVeſenbecio cum aliis quibuſdā miſcellaneis,excuſa. Subſcriptio ad Conſilium Doctoris Chriſtophori Herdeſiani in cauſa Honoldina. Eiuſdem argumenta & Scholia in quatuor libros Inſtitutionum D. Iuſtiniani. Oeconomia Iuris. Oratio de Gabriele Mudæo.Eiuſdem Tractatus & reſponſa, quæ vulgo Conſilia Iuris appellantur, quibus grauiſſimæ Iuris vtriuſque controuerſiæ decidun tur. Reſponſorum ſiue conſiliorum pars ſecunda. De feudis tractatus nouus, breuis & vtilis. Fecit ſibi ipſi ſequens carmen, velut Epitaphij vicem, in quo de ſe ipſo ita loquitur:

In Belgis natus Germanis hoſpes in oris,
Exilij tolerans; quod fert Eccleſia, partem:
Conficio ſpacium peregrinæ flebile vitæ,
Dū verā vocor in patriā,q̄ ſanguine parta eſt,
Chriſte

Christe tuos; tu me post funera magne sacerdos,
Suscipe, & extremæ subduc discrimine luctæ:
Mors tua vita mea est: tu debita lytra parenti
Soluisti moriens: vt per te viuere possim:
Hac ergo fretus spe non dubitante recondar
In mortẽ, dux Christe, tuã; quæ ianua vitæ est:
Vt tecum moriens, tecũ ô mea vita resurgam.

Lusit & sibi sequens in Insignia sua gentilitia;

Lilia cum auratis crescant argentea malis,
Quæ campo æthereo virgula fulua secat.
Illa VVesenbeciæ fautrix Antuerpia gentis
Temporibus lætis patria diues alit.
At modò conuersis (vt sunt mortalia) fatis,
In queis nil stabile est, perpetuumque nihil:
Ipsa sui haud compos tacite vix audeat illam
Nunc inter ciues annumerare suos.
Ergo funestæ si conuenientia sorti
Pingere vis pictor stemmata, pinge crucem.
Hoc, ait, in signo vinces, DEVS: hæc rata sunto
Christiadum sacræ symbola militiæ.

ſumma. Dum vixit peræq; omnibus præbuit ingenium ſuum, & laborem, præbuit & fidē promptiſſimam atque expeditam omnibus, Antiſtes ſcilicet Iuris, Iuſtitiæq; ſacerdos maximus. Obiit tandem VVitebergæ anno ſalutis 1586. ætatis 55. Extat eius Oratio de Papiniano in Prælectionum ingreſſu VVitebergæ dicta. Item narratiuncula vera & breuis de M. VVeſenbecio cum aliis quibuſdā miſcellaneis, excuſa. Subſcriptio ad Conſilium Doctoris Chriſtophori Herdeſiani in cauſa Honoldina. Eiuſdem argumenta & Scholia in quatuor libros Inſtitutionum D. Iuſtiniani. Oeconomia Iuris. Oratio de Gabriele Mudæo. Eiuſdem Tractatus & reſponſa, quæ vulgo Conſilia Iuris appellantur, quibus grauiſſimæ Iuris vtriuſque controuerſiæ decidun tur. Reſponſorum ſiue conſiliorum pars ſecunda. De feudis tractatus nouus, breuis & vtilis. Fecit ſibi ipſi ſequens carmen, velut Epitaphij vicem, in quo de ſe ipſo ita loquitur:

In Belgis natus Germanis hoſpes in oris,
Exilij tolerans; quod fert Eccleſia, partem:
Conficio ſpacium peregrinæ flebile vitæ,
Dū verā vocor in patriā, q̄ ſanguine parta eſt,
Chriſte

Christe tuos; tu me post funera magne sacerdos,
Suscipe, & extremæ subduc discrimine luctæ:
Mors tua vita mea est: tu debita lytra parenti
Soluisti moriens: vt per te viuere possim:
Hac ergo fretus spe non dubitante recondar
In mortẽ, dux Christe, tuã; quæ ianua vitæ est:
Vt tecum moriens, tecũ ô mea vita resurgam.

Lusit & sibi sequens in Insignia sua gentilitia;

Lilia cum auratis crescant argentea malis,
Quæ campo æthereo virgula fulua secat.
Illa VVesenbeciæ fautrix Antuerpia gentis
Temporibus lætis patria diues alit.
At modò conuersis (vt sunt mortalia) fatis,
In queis nil stabile est, perpetuumque nihil:
Ipsa sui haud compos tacite vix audeat illam
Nunc inter ciues annumerare suos.
Ergo funestæ si conuenientia sorti
Pingere vis pictor stemmata, pinge crucem.
Hoc, ait, in signo vinces, DEVS: hæc rata sunto
Christiadum sacræ symbola militiæ.

XIX.

Ius Musis Musas exornas iure Fichарde,
Consiliorum dudum eloquioq; potens.

IOANNES FICHARDVS
Iurisconsultus & ciuis Francofordij ad Mœnum.

IOANNES Fichardus Francofordij ad Mœnum natus anno 1512. Vir inter patricios eius vrbis spectatissimus optimusq; reipubl. ciuis & Iurisconsultus clarissimus, adeò omnigena doctrina, varioque rerum vsu, omniumque Virtutum nitore claruit. Is multis annis Friburgi Brisgoiæ in Iurisprudentiæ studio versatus est sub Huldr. Zasio I.C. Doctore, & vnâ cũ Ioanne Sichardo summum doctoræ honorem, promouẽte Zasio, ibidem consecutus est. Deinde Spiræ Nemetum in supremo Imperij Germanici tribunali aliquandiu feliciter se exercuit, Demum Patauij & Bononiæ, cæterisque Italiæ Academiis Iuris studium plurimum confirmauit, ac tandem Reipubl. Syndicus in patria per annos quadraginta tres clarissimus fuit. Nominis sui celebrationem longe lateque protulit

tulit plurimis nō modò veterum Iuriſconſultorum Cōmentariis, ſed & ingenij ſui monumentis pulcherrimis, & vtiliſſimis collectaneis in publicum editis. Decus & ornamētum eorum quibus cum vixit, & patriæ imò Germaniæ totius & ſæculi ſui. Tandem functus vita deceſſit. Francfordij in patria anno 1581. annum agens LXX. Scripſit periochen Vitarum recentiorum Iuriſconſultorum, ab Irnerio vſq; ad Huldr. Zaſium. Præterea indices duos omniū ſcriptorum in Iure tam pontificio quàm ciuili, à veteribus ac recentioribus Iuriſconſultis, ad hæc noſtra vſque tempora editorum per Ioannem Neuizanum, Ludouicum Gomeſium & Ioannem Fichardum collectis, quos Ioannes Oporinus impreſſit Baſileæ vnâ cum veterum Iuriſconſultorum Vitis per Bernardinum Rutilium deſcriptis, & eiuſdē Decuria. Ex Cl. Galeni libris græcis latinitate donauit, de libris propriis: de ordine librorū ſuorum: de prę ſagiis ex inſomniis: quomodo morbum ſimulantes ſint deprehendendi. De exercitatione paruæ pilæ. Conſiliū in morbo Comitiali. Eiuſdem tractatus Cautelarum omnium Iuriſcōſultorum, qui hactenus cautelarum materiam ex

pro-

professo tractarunt, opus Iurisconsultis, potissimùm autem aduocatis, pragmaticis, causidicis atque omnibus in foro versantibus non minus necessarium, quàm vtile & frugiferum, cum Præfatione de recto & vero vsu cautelarum.

Encomium eius decantauit Lauterbachius hisce versibus:

Quanta sit ingenij Fichardę diserte facultas
Quanta sit innocuo vita pudore nitens;
Quæ Virtus cœlum donans, pulcherrima rerum
Hinc Themidis quantum Iustitiæque decus.
Tot præclara tui referunt monumenta laboris,
Insignes morum tot super orbe notæ.
Facta tot humano quæ commendantur ab ore
Arbitrij leges consiliique tui.
Vt nullos fama pereas Fichardę per annos.
Ingenium, Virtus, Vita, Themisque facit.

TIBERIUS DECIANUS TINENSIS IURISCONSULTUS
Quæ responsa dabat pro iure Tiberius, illa Suadæ. Themis. Pitho consuluere prius.

TIBERIVS DECIANVS
Iurisconsultus.

Equidem fama virtute parta nihil est splendidius, siue bello illa, siue pace atque ingenij dotibus parata obueniat. huic quicunque fortunæ bona contulerit, nihil agit, nihil proficit, hęc enim vilia, illa preciosa, hæc fluxa, illa firma, hæc vmbræ species, illa solidi alicuius corporis instar sunt. Nec enim ea inter bona numerabimus, in quæ sors & fortuna suum imperium exercent, quæque dubia sunt, & ostentationē solummodo alicuius nominis præ se ferunt; intereunt enim cum suo possessore, nec illi in aduersis quicquā inde subsidij sperandum. At Virtus atq; illustria ingeniorum monumenta partes possessoris sui fideliter agunt, illumque emori neutiquam patiuntur; ex imis enim sepulchris ipsoque acheronte erutum eductumque in multa luce inter illustrium animarū choros supra alta cœli fastigia collocant, relictis solum exu-

uiis repoſtis in telluris matris gremio, quò videlicet DEVM patrem puriore habitu cõtemplari coràm manifeſtius poſſit. Volat immortale eius nomen per ora doctorum; Virtus enim vſa bonorum calamis, ſuorum memoriam præclare aſſerit. Hæc eadem Tiberij Deciani Vtinenſis Iuriſconſulti nobiliſſimi vultus ſimul ſpectatiſſimos, atque æterna monumenta vindicat, dum viuam viri effigiem medios inter ſoles profert, dumque eiuſdem Tria illa Reſponſorũ volumina incomparabilia æterna poſteritate gaudere facit: at verò nec ſola id Virtus ſibi acceptum feret, addit ſe Pitho, addunt ſe Charites atque ipſæ adeò Camœnæ comites. His ducibus ille viuet in omne æuum, neque lethæos amnes, neque rogos extremos, neq; libitinam, quæ breuem ſequatur dominum, ex ea parte viſurus deinceps vllo ſæculo, Parcis vel ipſis, fatique ineuitabili alioquin neceſſitate crepantibus.

XXI.

FRANCISCUS HOTTOMANNUS Iurisconsl. & Historicus obijt Basilæ A° 1590 ætat 73
Rectius ut Juris nodos evolvere posses,
Te magis Historiæ nemo peritus erat.

FRANCISCVS HOTTOMANNVS Iuriſconſultus & Hiſtoricus.

FRANCISCI Hottomanni Iuriſconſulti clariſſimi Hiſtoriarumque & totius antiquitatis ſcientiſſimi, Baſileæ anno Chriſti 1590. animam expirantis effigiem ex mortui ſchemate deformauimus, accurate quidem illam, ſed quam ad viuum maluiſſemus effingere, ſi id in manu noſtra fuiſſet, interim hac contenti veram animi ideam in ſcriptis eius contemplabimur; claruit Geneuę Allobrogum anno 73, quo ius ciuile ibidem docuit. Mortuus eſt ætatis anno ſexageſimo quinto relictis poſt ſe ingenij ſui monumentis, quibus in æternum victurum nomē per vniuerſum orbem obtinet; ſcripta eius hæc ſunt, quę & eleganter & docte elaborata in publicum edidit. Partitiones Iuris Ciuilis elementariæ. Obſeruationum liber primus. Iuriſconſultus, ſiue de optimo genere ius interpretandi, in quo L. Gallus, L. Lecta, L. Filius

quem, L. Frater à fratre, & aliæ complures explicantur. Commentariorum in Orationes Ciceronis volumen primum, quo continentur hę Orationes, pro P. Quintio, pro Roſcio Comœdo, pro Roſcio Amerino, Actiones in Verrem, pro Fonteio, pro Cecinna, pro Lege Manilia: Commẽtarius verborum Iuris, Antiquitatum Romanarum elementis amplificatus. de magiſtratibus, de Legibus: de Iuriſconſultis. de Senatu & SC. de formulis & Comitiis. Cõmentarius in quatuor libros inſtitutionũ iuris ciuilis. Commẽtarius in 2. ff. de lib. & poſt. Iuſtiniani Vita. Obſeruationes in pandectarum cap. 20. item in L. Fratrem à fratre commentarius. item de gradibus cognationis & affinitatis, inceſtiſq; nuptiis. Variarum diſputationum volumen primum. De quarta Falcidiana, de quarta legitimaria; de quarta Pegaſiana: de Spuriis: de donationibus; de dotibus, de pactis, de eo quod intereſt: de mora: de Vſuris, de gradibus cognationis. De feudis commentatio tripertita, hoc eſt, Diſputatio de iure feudali. Cõmentarius in vſus feudorum. Dictionarium verborum feudalium. Francogallia, de republica Francorum. De Cœna domini libellus in octauo. De

uo. De actionibus commentarius. Nizolij obseruationes in Ciceronē auctæ. Ad Remundum Rufum defensorē Romani Pontificis contra Carolum Molinæum. de Statu primitiuæ Ecclesiæ, eiusque sacerdotiis. de Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis, Primatibus, primæ sedis Episcopis, Chorepiscopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis. de Pontificis Romani potestate, & amplitudine. de religione populi Romani ex instituto Numæ. Liber sub nomine Franciſci Vilierij impressus, cum cardinalis Poli libro de Ecclesia. Illustres quæstiones. Repetitiones quarūdam LL. Commentaria in Orationem quandam Ciceronis. Dialectica Iuris. Index vniuersæ Historię ab Orbe condito. Notæ in omnes Cæsaris commentarios. Disputationes contra Guidonem Papium & Paponium Arrestographum & aliquot eiusmodi pragmaticos. Prælectiones in Pandectas & Codicem. Commentarius in regulas iuris. Commentarius in titulum de pactis & transactionibus. Coniectura de præscriptis verbis. Quæstionum illustrium liber. Disputatio quædam eiusdem habita Biturigibus. Iacobi Cuiacij commentarius in l. Frater à fratre, cui subiuncta

est

est Franciſci Hottomanni vetus renouata Diſputatio in eandem legem. item Appendix aduerſus nouam eiuſdem legis interpretationem, quam Leſcurius promulgauit in ſuo Africano. Eiuſdem conſiliorum volumen primum. Commẽtarius in M.T. Ciceronis Epiſtolam ad Q. Fratrem, Aſiæ Proprætorem de prouincia rectè adminiſtranda, &c.

MICHAEL TEUBERUS I. U. D. & profess
B.
Nascitur Isleb. Annò 1524.
Obyt witteb. an.
Nil natura mihi, mihi nil fortuna negavit,
Utraq; muneribus me coluere suis.

T

MICHAEL TEVBERVS V. I. D.

MIchael Teuberus eādem cum Martino Luthero patriam adeptus est Islebiam, in qua natus fuit mense Augusto, anno 1524. ætatis anno 24. VVitebergæ vtriusque Iuris Doctor renunciatus, & in soceri sui Doctoris Pauli Benedicti I.C. locum, Vniuersitatis proceribus ita petētibus, suffectus est, vt iura publice doceret; tribus inde annis elapsis Consistorij assessor à Mauritio duce Saxonię deputatur. Hinc Cancellarius in Pomerania rexit scribarū operas, mox Syndicus Sedyni factus est, simulque viris nobilitate & genere claris aduocando patrocinatus fuit; quibus officiis trinis vndecim annis perfunctus est tanta fide & dexteritate, vt tota Pomerania nomen autoritatemq; eius suspiceret. Anno insequente ab Vniuersitate VVitebergensi ad pristinam vocationem professionis iuridicæ reuocatur, pariterque inter Ducis Electoris Consiliarios cooptatur. Interim Ducis

Megapolitani Cõsiliarius totis viginti tribus annis fidelissimus persistens. Tandem VVitebergæ Professor Iuris, illustrissimique Electoris Saxoniæ Ducis Augusti Consiliarius summa nominis doctrinæque celebratione feliciter consenuit, in cuius laudem elegantissimo carmine declamauit maximus ille Germanorum Poëta MAIOR Ioachimus, dum ita canit:

Gratior est expressa animi quàm frontis imago,
Mores quàm faciem pingere maius opus.
Sic modò dimidium Teuberum pictor adumbrat,
Sed totum' Aonia fictor ab arte refert.
Muta oculos pascit, mentem vocalis imago:
Mens memor hanc secum fert, manet illa loco.
Ter quinque exierant à nato sæcula Christo,
Quattuor ad messes lustra bis adde duo.
Hausit vt Augusto vitalia lumina mense,
Hic consors patriæ, magne Luthere, tuæ.
Cui dum bis senos & sex confecerat annos,
Leucorides summum iure in vtroque gradum.
Tuncq; satam duxit Benedicti sanguine Pauli,
Inque loco soceri iure professus erat.

Cui

Cui tribus exactis Heros Mauritius annis
Mandauit mota ius dare lite thori.
Post annũ Scribarum operas Pomeranide terra
Rexit, vbi sedes sacra Camyna, iacet.
Tutor causarum mox factus in vrbe Sedyno est,
Ac operam claris stirpe domoque dedit.
His tribus officiis vndenos præfuit annos,
Illius vt iactet gens Pomerana fidem.
Rursus vbi exegit bis sex Sol aureus orbes
Ius sacrum vt doceat Leucoris ora vocat.
Aula dat illius monitis sapientibus aures,
Et bene promeritus de duce, deque grege est.
Bis duo per lustra & tres annos ordine lapsos
Consulit hunc nigri dux bouis ora gerens.
Publica quãdo salus sapientum inclusa saluti est,
Aurea pax terris regnat & alma quies.

XXIII.

HIERONYMVS MERCVRIALIS
Med. pract. profess. Patavij.
Et Sol & Phoenix medicorum Hieronymus ille
Conspicuus Vultu Mercurialis erat

HIERONYMVS MERCVRIALIS Medicus Italus.

HIERONYMVS Mercurialis principem locum obtinuit Medicinæ practicæ ordinariæ in Gymnasio Patauino, Medicus excellentissimus, omniumq; disciplinarum genere ornatissimus, patria Foroliuiensis. Scripsit libros sex artis Gymnasticæ, apud antiquos celeberrimæ, nostris autem temporibus ignoratæ: In quibus omniū vetustarum exercitationum genera, loca, modi, facultates, & quicquid denique ad corporis humani exercitationes pertinet, diligenter explicatur. De morbis cutaneis & omnibus corporis humani excremētis lib. 5. Variarum lectionum libros quatuor, in quibus cōplurium maxime verò Medicinæ scriptorū infinita pene loca vel corrupta restituuntur, vel obscura illustrātur, cū Alexandri Trallia-ni Epistola de Lumbricis Græce & Latine editos: extant eiusdē repugnātia, qua pro Galeno strenue pugna-

pugnatur cùm Guiſandini Papyro. item Epiſtola ad Andream Marcolinum impreſſa cum Falliopij libro de aquis medicatis. Eius de arte Gymnaſtica libri 6. ſecunda editione aucti & multis figuris ornati prodierunt Pariſiis apud Iacobum de Puys. Edidit variarū Lectionum libros quatuor, addidit & quintum, in quibus multorum maxime Medicinæ ſcriptorum pene loca infinita reſtituuntur, vel obſcura declarantur. Scripſit tractatum de peſtilentia, in quo de peſte in vniuerſum, præſertim verò de Veneta & Patauina ſingulari quadam eruditione agitur, quē tractatum Hieronymus Zanchus excepit & in capita diuiſit. Librum item de Decoratione fecit non ſolum Medicis & Philoſophis, verùm etiā omnium diſciplinarum ſtudioſis apprime vtilem, à Iulio Mancino exceptum & in capita redactum, cui addita eſt Epiſtola Tagliocotij Medici Bononienſis, qua reſtituēdarum Narium ratio breuis ſed graui ſermone complexa eſt, ad Hieronymum Mercurialem ſcripta. Item tractatū de morbis puerorum, & alia quæ inter manus doctorum verſantur. In eius effigiem verſus ſequentes legimus:

Salue

Salue dilectum Phœbo caput, vnice Phœnix
Solq; Asclepiadum Medicis celeberrime scriptis.
Os idem pectusq; probum iam nouerit orbis
De facie pridem fama vsque ad sydera notum.

PETRUS ANDREAS MATTHIOLUS Mcd.
Nasc. Senis in Italia an.
Obyt an.
Herbarum vires non rectius edidit alter,
Nec magè te clarus hac super arte fuit.

PETRVS ANDREAS
Matthiolus Medicus.

EQuidem de Petro Andrea Matthiolo elegãtiſſimo elogio Arrias Montanus ita canit:

Neglectam Medicis damnoſo crimine partem
Pulchraque naturæ munera multiplicis
Andreas dũ luſtrat agros, dumq; vndiq; quærit,
Admouit chartis lumen Apollineis.

Nec enim qui in re herbaria Matthiolum apud noſtros antecellat hactenus inuentus fuit, alter Chiron, alter noſter Dioſcorides. Is natione Italus fuit, patria Senenſis. Scripſit quam plurima, quæ doctorum manibus paſſim voluuntur. inter hæc eſt Dialogus inter ſe & Frãciſcum Aligerum, qui pro libro vno eſſe poteſt, de ratione curandi morbum Gallicum. Extant eiuſdem Commentarij longe doctiſſimi, in libros ſex Dioſcoridis de me-

dica materia, qui ſæpius Italice editi, poſtremò ab ipſo autore in Latinam linguam trāſlati ſunt, adiectæ ſunt innumeræ plantarum & animalium imagines ad viuum expreſſę. Idem commentarij in Gallicam quoque linguam ſunt tranſlati per Ioannem Molins Doctorem Medicum. In Bibliotheca Imperatoris Viennæ Auſtriæ Simplicia omnia iuſtis coloribus ſunt illuſtrata. Eiuſdem extat Apologia qua ſe ab erroribus & calumniis vindicat, quibus notatur ab Amato Luſitano Medico in ſuis enarrationibus, quas ille in Dioſcoridem nuper edidit. Item obiectiones quibus errata Amati patefacit Lugduni excuſæ ſunt. Extant eiuſdem Epiſtolarum Medicinalium libri quinque. De ſimplicium medicamentorum facultatibus ſecundū locos & genera opuſculum. Compendium de Plantis omnibus vnâ cum earum Iconibus, de quibus ſcripſit in ſuis cōmentariis in Dioſcoridem editis. Diſputatio aduerſus viginti Problemata Melchioris Guilandini. Promiſerat etiam alterum Tomum Epiſtolarum, is an hactenus editus ſit, incertum eſt.

Quantus in arte foret Phœbæa Langius, ipsa
Scripta docent toto publica facta polo.

JOANNES LANGIVS
Lembergius Archiater Palatinus.

IOANNES Langius natus Leobergæ celebri Sileſiæ oppido Anno 1485. Magiſterij Philoſophici Lauream Lipſię anno 1514. Petro VVirtho conſobrino collegij Philoſophici Decano exiſtente, promotione publica ſuſcepit. Poſtea in eadem Academiâ & bonas literas frequenti auditorū conſeſſu profeſſus & publicis muneribus per annos aliquot functus eſt cum magna laude doctrinæ, virtutis, ſapientiæ, pietatis pariter & induſtriæ. Demum ſtudium Medicinæ maiorum ſuorum exemplo amplexus Bononiæ in Italia à clariſſimis Medicis honoratus fuit, Piſis autē in Hetruria ſummum Docturæ gradum conſecutus eſt in ea facultate anno 1522. Tandem quinq; Illuſtriſſimorum Electorum Palatinorum Archiatrus velut alter Podalirius fuit. Vnde ſibi ſuæque familiæ, atque patriæ

triæ ornamentum & honorem ampliſſimum comparauit. Reliquit poſt ſe monumenta ingenij ſui excellētiſſima, referta eruditione & omniū rerum ſcitu digniſſimarum explicatione varia ac rarâ. Is dum vixit, præſentibus fuit chariſſimus, poſteris verò poſt mortē totus admirandus, obiit Heidelbergæ Anno ſalutis 1565. de 21. Iunij. Ætatis anno LXXX. Scripſit Miſcellanea medicinaliū Epiſtolarum varia ac rara cùm eruditione, tùm rerum ſcitu digniſſimarum explicatione referta, vt earum lectio non ſolùm Medicinæ, ſed omnis etiam naturalis hiſtoriæ ſtudioſis plurimum ſit emolumenti allatura, Epiſtolæ ſunt 83. quarum argumēta initio operis ordine deſcribuntur. Scripſit & Medicū de Rep. Sympoſium, Theoremata Chirurgica x 1. ex Epiſtolis deſumpta, in Opere Chirurgico à Geſneris fratribus impreſſa: & Orationem de laude literarum, &c. Has tantas Viri nō in re medica ſolùm, ſed & in omnibus humanitatis rerumque omnium omnigena experientia exercitationes quibus potuit digniſſimis Encomiis proſecuti ſunt, tum alij tum inter cæteros Martinus Prætorius, hoc ſequenti Epicedio:

Qui

Qui quondam medicas ægris feliciter herbas
Miſcuit, & docta pharmaca certa manu.
Occidit ecce tuos non infimus inter alumnos
Carminis & medicæ Phœbe repertor opis.
Occidit hei Pia cura Ducum dum fata ſinebant,
Langius, & ſummum clauſit in orbe diem.
Non ars artifici tulit aut Panacea ſalutem;
Vlla nec huic ſucco profuit herba ſuo.
Hæc igitur ſtudiis ſoluentur præmia noſtris?
Hæc merces hauſti digna laboris erit?
Arte Machaonia lucis qui prorogat vſum,
Fertq; aliis promptã ceu DEVS alter opem.
Non potuit miſcere ſuo medicamina morbo?
Sed fuerit docta fortius arte malum?
Ecquis Phœbe tua tempus conſumat in arte:
Si plus arte tua fata ſeuera valent.
Heu nimium duras, fatalia numina, Parcas!
Parcere quàm veſtræ non didicere manus!
Siccine fas vobis communi mittere letho
Præſtantes meritis & pietate viros?
Nec vos integritas, nec multa ſcientia rerum,
Nec mouet innocuâ cum probitate fides?

Verùm age quo meriti buſto referantur honores,
Et dentur cineri debita iuſta pio.
Chloris amica veni, rerum pulcherrima Chloris
Fer tumulo plena dona ſuprema manu.
Da caſiam, flagransq; thymũ, nardumq; virentẽ,
Spiret odorato fac Libitina ſolo.
Hoc præclara viri meruit doctrina fideſque:
Hoc meruit virtus & pietatis amor.
Et vos exequias vmbris perſoluite Muſæ:
Hisque ſacrata viri buſta notate modis.
Quantum inter reliquos argentea lilia flores
Aureolas tollunt vere tepente comas:
Tantum Pæonios caput extulit inter alumnos
Summus Apollineæ Langius artis honor.

Philippus Sprengerus ſuo faciebat Langio & illud ſequens:

Hac ſpectãdus erat Medicus ſub imagine quondã
Langius, ingenio maximus, arte potens.
Poſteritas hunc vt, quem noſcit, cernere poſſit
Fecit Sprengerus Pharmacopola virum.

IANUS CORNARIUS Medicus
B.
Per te nunc Latium Cous lustravit Apollo.
Teq; E colit Coum Teutonis ora suum.

IANVS CORNARIVS
Medicus Physicus & Ciuis Francfordij ad Mœnum.

IANVS Cornarius ex vrbe Cygnęa prognatus, summus Philosophus & Medicus excellens extitit; fuit autem linguarū tum Latinæ tum Græcæ liberali cognitione multum præstans, adeò vt & Theologos illos veteres, & Medicos græcos Latio donarit. Illustrauit Medicos & Philosophos quā plurimos, fideli opera & studio indefesso: præter hos edidit quosdam Isagogicos & dogmaticos libellos, in Medicinâ; ex quibus lucubrationibus nomen suum æternū posteritati consecrauit: Obiit tandem Ienæ, anno salutis 1558. anno verò ætatis suę. 17. Kal. Aprilis. Plurima doctissime scripsit partim suo Marte, partim aliorum scripta Græca in latinum sermonem traducens vertendo & peruertendo, phrasi ipsi periocum familiari. Ex quibus sunt de conuiuiorum veterum Græcorum,

& hoc tempore Germanorum ritibus, moribus & sermonibus. Item de amoris præstantiâ, & de Platonis & Xenophontis dissensione. Item Platonis & Xenophontis Sympoſia. Item vniuersæ rei Medicæ Epigraphe, enumeratio & breuis Isagoge. Pro peste libros duos pro totius Germaniç, imò omnium hominum salute. Marcelli authoris antiqui, de variis medicamentis opus, plærisq; in locis integritati suæ restituit. Macri poëma de Plantis & incerti cuiusdam authoris itidem de Plantis, animalium partibus, ac terræ speciebus; & Merboldi de lapidibus ac gemmis carmina emendauit & annotationes adiecit. Hippocratis in Medicinâ Græcos libros omnes vetustis exemplaribus collatos emendauit, & eiusdem aliquot libellos conuertit. His adiecit Orationes duas à se cõscriptas, quarum vna inscribitur Hippocrates siue doctor verus: altera de rectis Medicinæ studiis amplectendis. Hippocratis Epistolas trãstulit. Ex Cl. Galeno vertit libros 9. de respirationis causis, lib. 1. de respirationis vtilitate lib. 1. de respirationis difficultate lib. 3. de vteri dissectione lib. 1. de fœtus formatione lib. 1. de semine lib. 2. quæ translationes cum Marcelli opere de medicamentis

camentis Basileæ publicatæ sunt. Ex eodem vertit de compositione pharmacorum secundum locos lib. 10. ac totidem in eos commentariorum libros adiecit. Cæterum interpretatio seorsim Enchiridij forma aut Lugduni aut Parisiis impressa est. Aëtium Medicum in latinum sermonem traduxit. sicut etiam Hippocratis omnia opera. Cõstantino Cęsari inscriptos libros 20. de agricultura, ex eius traductione similiter publicata sunt. Adamantij Sophistæ physiognomica conuertit. Parthenij etiam liber de amatoriis affectionibus Græcus & Latinus Iano Cornario interprete habetur; cui subnectitur Oratio Cornarij in laudẽ peregrinationis. Basilij magni opera omnia Latina fecit. Item Basilij & Gregorij Nazianzeni Epistolarum volumen. Epiphanij Episcopi Constantiæ Cypri Panarium cõtra octoginta hæreses, anchoram fidei, libellum de mẽsuris ac ponderibus &c. latinitate donauit. Item Ioannis Chrysostomi dissertationem cum Basilio magno de Episcopalis ac sacerdotalis muneris præstantia. Ex Epigrammatis Græcorum non pauca Latino carmine expressit. Eiusdem carmen propempticon ad Frãciscum Stiten in Liuoniam abeuntem extat.

Dioscо-

Dioſcoridis de materiâ medicâ libros quinq;, & vnum de beſtiis venenum eiaculātibus, alterum de lethalibus medicamentis Latinos fecit, prioribus quinq; Emblemata addidit, poſterioribus expoſitiones Syneſij Cyrenæi Ptolemaidis vrbis Epiſcopi ſcripta, quæ apud nos extant vniuerſa, in latinum ſermonem tranſtulit. Hunc noſtrum Cornarium elegātiſſimo hoc elogio ornauit vir & Philologus præſtantiſſimus Petrus Nigidius ſenior, ita canens:

Vixit & in noſtro Cornarius ipſe Lyceo,
Pæonio notus Pierioque choro.
Plurima conſcripſit proprio bene condita Marte,
Græcorum multos tranſtulit ille libros.
Hippocraten Latio donauit iure, Galenum
Pergameum Latia veſtiit ipſe toga.
Tranſtulit & ſacros multos, pariterq; prophanos
Authores, ſed eos quis numerare queat?
Hunc meritò luget Zvviccauia morte peremptū
Patria, flet Charitum Pieridumque chorus.
Quem nō detinuit celebris Northuſia quondam,
Nobile nec Mæni ceperat Emporium.

Quem

Quem non Haßiaci Nymphæ tenuere Lycei,
Muſarum ſtudiis inclyta Iena tegit.

Fuiſſe eum, in nobili illo Emporio ad Mœnum Francfordij, Ciuem & Ordinarium Reip. Medicum, etiamnum recte meminerunt viri quidam præclari eiuſdem reipubl. ſuperſtites, quibus cum illo notitia interceſſerat.

Cæsaribus miscens trinis CRATO *pharmaca jure,*
Unus Cæsaribus imperat ille tribus.

JOANNES CRATO à Crafftheim Archiater Cæsarius.

IOANNES Crato à Craftheim Medicus, Vratislauiâ vrbe Silesiorum primaria natus anno 1519. præceptore vsus est in Germaniâ Philippo Melanchthone, in Italiâ Ioanne Baptista Montano Medico excellentissimo, optimus & Philosophus & Medicus, neque minus Poëtica laude & literarum elegantia vehementer excellens, cuiuis summorum suæ ætatis vel ingenio, vel dignitate, vel gratiâ, vel famâ populi non inferior. Ferdinandi I. Maximiliani II. Rodulphi II. AVGGG. Consiliarius & Archiatrus per annos XXVI. Omnis politioris literaturæ Hierophantes. Hygiæ & Panaceæ mystes, egregie clarus ex scriptis suis, quibus & Galenum & Hippocratem illustrauit. Is autem cum omnibus esset charus & venerandus propter insignem & elegãtem doctrinam, cum pari humanitate

nitate erga bonos & eruditos coniunctam, obiit Vratislauiæ in patriâ suâ fine beato & optato, annum agens LXVII. anno salutis humanæ 1586. Scripsit Methodum Therapeuticam ex Galeni & Ioannis Montani sententia. Item Ideam Hippocraticam, & Methodum de humore Melancholico, quæ omnia excudit Basileæ Oporinus, Eiusdem Elegia de Angelis & sextus Psalmus Dauidis carmine redditus euulgatus est. Scripsit & in Galeni libros Methodi medendi Periochen methodicam, in qua perspicua breuitate, quę obscura sunt explicantur, & quæ reprehensionem habuerunt, confirmantur: Analogismum siue demõstrationem, quomodo ex generali Methodo exercitatio, siue singulorum morborum curatio petenda sit. Ioannis Baptistæ Montani consilia prius edita correxit & integra fere cẽturia auxit. Eiusdem Montani in Rhasis nonum Lectiones prius editas emendauit & auxit. Libros de putredine contagioneve & pestilentibus morbis; item de arte destillandi, id est, extrahendi spiritum naturalem è plantis, & earum partibus & productis. Item admonitionem de palpitatione cordis fecit, ea manuscripta habetur, fecit & Orationem fune-

funebrem de Diuo Maximiliano ſecundo Imperatore Cæſare Auguſto. Ad hæc Iſagogen Medicinæ, cui acceſſere Perioche Ioannis Baptiſtæ Montani in Libros Galeni de Elementis, de Natura humana; de atra bile, & de temperamẽtis & de facultatibus naturalibus: quibus annexa eſt Cratonis Epiſtola, qua recte legẽdi Galenum ratio breuiter oſtenditur; qui tractatus iunctim euulgati ſunt recens Hanoiæ. nec verò Muſis ingratus obiit ille, quem ornarunt illæ Elogiis non contemnendis, quale illud Poſthij:

Si quibus eſt ſimilis facies ſimilis quoq; mens eſt,
Cæſaris haud differt & tua docte Crato.

Eſt & illud, quod ſibi ipſi fecerat:

Cæſaribus placuiſſe tribus non vltima laus eſt,
Me Pater hac ornant, Filius, atque Nepos.
Conſiliis vſum rectis mens conſcia gaudet,
Teſtis & ars medica, teſtis & inuidia.

BURCHARDUS MITOBIUS Med et Math
B
Nasc. Hamburgi an°
Ob. Mundæ. an° 1565.
Quid te Mithobi melius quid doctius usq; est
Ipse tuo ridet Phœbus in ingenio

BVRCHARDVS MITHOBIVS
Medicus & Mathematicus.

BVRCHARDVS Mithobius Hamburgi vrbe Saxoniæ liberâ natus. Medicinæ Doctor & Mathematicus insignis fuit, qui vitam tandē finiit MVNDÆ ducatus Brunsuic. ciuitate anno 1565. die 16. Augusti. At vt vitam eiusdē curriculo percipiamus, audiamus Nigidium nostrum, qui inter professores Marpurgenses eum cōnumerans ita canit:

Burchardus celebris Doctor Mithobius, olim
Gymnasii nostri splendida fama fuit.
Post accersitus nitidam peruenit ad aulam,
Cœpit vbi vitam degere deinde suam.
Hic medica multos à morbis arte leuauit,
Quas cum iudicio pharmaca tuta dedit.
Hassiaco fuit acceptus quandoque Leoni,
Ipsius quoties aula petisset opem.

Mori-

Moribus hic placidus, cunctisq; affabilis vltro,
Sincera ſtuduit mente iuuare bonos.
Nuzanum coluit ceu iunctũ ſanguine fratrem,
Illi Theſeo fœdere iunctus erat.
Hi duo Doctorum titulos meruere decoros,
Quos & ceperunt, præmia pulchra, ſimul.
Munda expirauit, Fuldæ quâ flumina Verræ
Immiſcens gelidam ſpectat vterque plagam.
Hectora præclaram ſobolem poſt fata reliquit
Inſignem Medicum diues Hanofra tuum.

Scripſit Stereometriam, artem docentem certas dimenſiones corporum ratione mathematicâ, ac virgâ ſtereometricâ, cum dimenſo, ęquatorioque deſuper affabrè confectis. Extat eiuſdem cõpoſitio annuli aſtronomici. Item Libellus Germanicus, de quodam fonte in Spigelberg / maximarum virtutum, &c.

IOANNES. LONICERVS
THEOL. ET PHILOS. trilinguis
Natus in Turing. A°. 1499.
obijt Marpurgi A°. 1569.
B.
Tres pariter linguas doct' Lonicer' ad unguem
Orator. Vates. claruit. atq; Sophus.

IOANNES LONICERVS
senior, Theologus, Orator, Vates & Philosophus.

NAtus est IOANNES LONICERVS anno à partu Virgineo 1499. Orthernij, quod oppidum est celeberrimi comitatus Mansfeldensis, honestis parentibus eius oppidi ciuibus, cumq; essent ea tempora quibus Scholæ per Germaniam restituerentur, iamque bonis ingeniis promouendis optimæ occasiones darentur, huic autem nostro indoles non ignaui ingenij ad excellentiorem eruditionem consequendā esset, rudimenta literarum in schola patria celeriter arripuit: Verùm cum paulò durius à vitrico iniusto tractaretur, qui eum ab honesto proposito ad alias illiberales artes retrahere volebat, Islebiam concessit, ibiq; ludos literarios frequentauit, ne teruncium à vitrico in sumptus faciendos accipiens, dominus tamen mirabiliter illi de victu & amictu, si non statim liberaliter, ita tamen prospexit, vt multa ferens, multa faciens

sudansque & algens, dum diuinum auxilium in timore DEI expectaret nihil intolerabilis inedię inopiæuè perpessus sit, iuxtà & studia sua sedulò prosequendo, aliisque honestis adolescentibus simul ministeria sua fideliter deferendo. Mox ex pulueribus istis scholarum triuialium caput exerens atque ex variis vitæ scholasticæ, quæ in paupertate transigitur, fluctibus fortunæque aduersæ procellis eluctans, tandem in Academiam Erphordiensem, tanquam in portum aliquē quietiorem appulit. Fuit autem tam Academia illa præ cæteris Teutonicæ oræ Gymnasiis magnę ac præcipuæ æstimationis, floruitque fama ac celebritate virorum humanioris politiorisque literaturæ peritia excellentium. Inde VVitebergam se contulit motus famâ Lutheri, quē ibidem cum aliis ita audiuit, vt velut regeneratus illicò videretur, atque ita in studiis tam sacris quam philosophicis progressus est, vt 24. Ianuarij Anno 1521. simul cum IANO CORNARIO illo, qui Hippocraticam Medicinam in schola Marpurgensi deinde summa cum laude professus fuit, in eadem VVitebergensi vniuersitate consecutus sit Magisterij insignia. Cum autem propter raram linguarum cogni-

cognitionem doctis viris innoteſceret, Philippus Melanchthon & Ioachimus Camerarius eius opera ad Lexicon græcolatinum, quod tum locupletabant, augendū ſimul vtebantur. Eodē tempore, anno videlicet 1522. Friburgum Briſgoię, vocatus abiit, vt ſanctam linguam Hebræam nimirum ibi profiteretur, verum non amplius anno vno ibi ſubſtitit, non ſine laude ſtationem ſuam obiens ſtrenue, anno exacto illic ſoluit, & ſequenti anno 1523. Argentoratum iterum rediit, iſthic in quadriennium, videlicet in annum 1527. egit, familiariſſimumque habuit virum de literis optime meritum. Doct. Nicolaum Gerbelium IC. Agens itaque illic, & rei typographicæ in corrigendis prælorum operis operam nauans, hortatu Philippi Melāchthonis græcos codices nonnullos, in primis verò Græca Biblia cum nouo teſtamento, & Homeri opera, diligenter reſtituit. Catecheſin Latinam aduerſus Detzelij Diplomatarij indulgentias, de bona DEI voluntate erga omnes Chriſtianos, deque Sanctorum cultu & inuocatione tum edidit: multa quoque Martini Lutheri ſcripta ex vernaculo in Latinum vertit, præcipue alterā partem enarrationum Euan-

gelicarum Dominicalium : Commentarios ſuper quaſdam ſacras Odas, theſim que illam, quòd ſcilicet Chriſtus Iudęus natus ſit: Catecheſin Lutheri maiorem : Enarrationes in Abacuc prophetam : Atque ſic non ſolummodò humanioribus ac Philoſophicis, ſed & ſacris ſtudiis à iuuentute ſedulò incubuit. Dum Argentorati commoratus eſt vxorē duxit anno 1524. honeſti iſtius reipubl. laudatiſſimæ ciuis filiam. Vixit cum ea in annum quadrageſimum ſextum coniunctiſſimè, ad canos vſque & plenam ſenectutem. Ex ea ſuſcepit multas proles, filios præcipue quinq;, qui parentis ſimillimi paternas virtutes ſtrenue æmulati ſunt. Omnes enim & ſinguli euaſere in viros eruditione & virtute eminentes, qui tum in Eccleſia, tum in rep. & Scholis tales ſe præſtitere præſtantque hactenus, vt non minus de illis quàm de parente ipſorum prædicari ac dici queat: *Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt.* Egit Lonicerus annos quatuor ciuem illuſtris reipub. Argentinenſis non inutilem, nec ignauum. Quare cum per ora doctorum volaret, venit in illuſtriſſimi Principis Haſſiæ Senioris, qui tum prima fundamenta Scholæ ſuæ iaciebat, primorū conſilia-

siliariorum notitiam, videlicet in Dn. Ioannis Ficini tum protogrammatei seu Cācellarij Hassiæ, quo patrono à Principe in Scholam Marpurgensem accitur honesta ac legitima vocatione anno 1527. vt Græcas literas publice profiteretur: non ita multos annos post commissa est ei ad professionem Græcam Hebrææ linguæ lectio; vtrique autem lectioni ita præfuit, simulq; priuata institutione multos ita erudiit in omnis generis disciplinis honestis, quò trium linguarū peritissimus deprædicaretur. Postea verò circiter annum 1539. vocatus est à Senatu *Reipub. Lunæburgensis* inclyto, vt Ecclesiarum istius populosæ & claræ ciuitatis Superintendentem ageret, oblatis vt loco honestissimo, conditioneque splendidissima, sic etiam stipendio valde amplo atque opimo. Verùm Princeps Hassiæ senior, qui imprimis suæ Scholæ per viros doctos bene prospectum, consultumque cupiebat, quem doctoris Loniceri eruditio, virtus, vita integra atque vtilitas, quæ ad eius tàm publica, quàm priuata institutione ad iuuentutem Scholasticam in ea Vniuersitate dimanaret, minime latebāt, dimittere eum omnino recusauit, & per literas, quibus ei dimissionem renuit,

renuit, valde clementer ſcriptas, liberaliſſimarumq; promiſſionum plenas detinuit. Docuerat in ea Academia annos quatuordecim, in annum nimirum 1541. quo ipſi à patriâ itidem Eccleſiarum inſpectionis munus honeſtiſſimũ ac ſacroſanctũ, cum ſalario annuo ſatis liberali oblatum eſt. Spartam tamen nactus ornare maluit. Etſi enim ſplendoris plus habent alij quidam gradus, tamẽ ſi vere volumus æſtimare, ſumma eſt Scholarum dignitas, hisq; imperia & omnes politiæ p̃cipuè ſeruire debebãt. Quoties à publicis & priuatis munerib. ipſi immunitas aliqua fuit, nunquã ocioſus inuẽtus eſt, ſed ſemper vel ſcriptionibus vel lectionibus deditus fuit, quod monumẽta, quæ poſteritati plurima reliquit, luculenter teſtãtur: præter enim Catecheſin, de bona DEI voluntate erga quemuis Chriſtianum, deq; ſanctorum cultu & inuocatione, quam initio creſcẽtis Euangelij anno 1523. conſcripſerat, cuiusq; ſupra memini, præterq; multa Doct. Martini Lutheri ſcripta, quæ in latinam linguam cõuertit, præter item operã quam in Lexico gręco locupletando, Biblijs græcis, & Homero Græco integre reſtituendis locauit, multa adhuc poſteritati lectu digniſſima

gnissima & vtilissima mandauit: vt sunt Exegesis veteris cuiusdam Theologi Græci Theoduli, vt putatur, in Epistolã ad Romanos, ab eo latinitate donata. Theophylacti enarrationes in omnes Paulinas Epistolas latinæ factæ. Commentaria græca in Psalmũ 118. per ipsum scripta. Figurarum, Ceremoniarum & promissionum omnium Veteris testamenti explicatio, & ad Christum filium DEI relatio. Augustanam Confessionem græce ante obitum, licet non omnino sine labore, propter vsitatas phrases & terminos purioris antiquitatis, quibus autor istius Confessionis creberrime vtitur retinendos, tamen ex tempore vertit. Eiusdemq; Apologiam itidẽ bona ex parte Græce reddidit. Ex politioribus autem literis Nicandri poëtæ Græci Theriaca & Alexipharmaca latine per ipsum versa & scholijs illustrata. Pindari Lyrici Græci poëtæ opera omnia Latino stylo, doctissimis prorsus additis Scholijs reddita: Sophoclis Aiacem flagelliferum. Callimachi hymnos in Iouem & Apollinem cõuertit, & carmine reddidit. Lycurgi aduersus Leocratem Orationem. Demosthenis orationem de classibus, latinis auribus exhibuit. Extat eiusdem Gramma-

tices Græcæ, & Rhetorices Latinæ methodus. Phyſicorum Ariſtotelis Librorum, de generatione & corruptione, de longitudine & breuitate vitæ: de vita & morte animaliū; de Anima: Ethicorum ad Nicomachum compendium. Meteororum ex Ariſtotele, Plinio, Pontano Synopſis. In Dioſcoridis de materia medica ſiue de ſimplicibus libros ſex, Scholia, additis nomenclaturis græcis, latinis, germanicis & hebræis. Galeni libros de vſu partiū humani corporis in quæſtiones dilucidas & ſuccinctas redegit. Orationes & Declamationes ſcripſit & habuit plurimas, quarum aliquæ impreſſæ, multæ non editę ſunt prælis: Sunt ex his Oratio ad Imperatorē Carolum v. pro impetrandis Priuilegijs Vniuerſitatis Haſſicæ. Genethliacon Principis VVilhelmi Haſſi. Oratio funebris & Epicedia in obitum Io. Ficini Cancellarij Haſſiæ. Oratio in mortem Io. Ferrarij Mōtani IC. Luctus & Epitaphia in funus Caſpari Rodulphi. Oratio de verbo incarnato. Oratio de meliore literatura amplectenda ad ſtudioſam iuuentutem. Græcæ linguæ Encomion. Epithalamia, Epicedia, Epigrammata moralia innumera frequenter ſolebat ſcribere, quæ ſingula recenſere

ſere longius eſt. Habent ſecum poſteri ipſius, abſolutiſſimos in totum Pſalterium Dauidicum omnigena eruditione & lectione refertos commentarios; item diſpoſitionem & ſummaria in omnes Paulinas aliasq; noui Teſtamenti Epiſtolas, cum pluribus alijs lucubrationib. Idem etiam Iſocratis Orationes omnes tranſtulit & recognouit, cum vita eiuſdem ex Plutarcho, Philoſtrato, & Dionyſio Halicarnaſſ. quæ Marpurgi impreſſæ ſunt anno 1540. Erat illi ingenium mite & placidū, moresq; amabiles, ſuaues, ſeniles, manſueti humaniq;, adeò vt verè dicere queas, eum ad humanitatem & manſuetudinem quaſi diuinitùs ſculptū factumq;: ſic enim in aſpectu inceſſuq; & omni deniq; animi corporisq; habitu ac motu, eandē ſuauitatem & lenitatem conſeruabat. Sobrietatis adeò fuit ſtudioſus, vt nunquā illiberalibus cōuiuijs libenter interfuerit, nec vnquam ex vllo ſympoſio ebrius ſurgere viſus ſit. Verecundiā inde vſq; à puero tāquam omnium virtutum reginam illibatam ſumma ſemper cura retinuit. In reliqua verò vita nihil illo erat pudicum magis, nihil ab omni turpitudine remotius. Poſtremo qualis anteacta vita eius fuit, talis &

extremus rerum eius actus, hoc est, mors fuit; nimirum piissima, placidissima. atq; vel sola vox illa, quam paulò antequā expiraret, omnem prorsus ægritudinē ac dolorem dissimulans, ad suos interrogantes, num dormire vellet, protulit, inquiens, iam indormiscā: hæc inquam vox cum qua illicò expirauit, vel sola testis est, eum lætum & triumphantem ex hac vita commigrasse, 20. die Iulij, anno 1569. cui elegantissimo Epicedio parentatus est *Clariß. Ioannes Pistorius Niddanus, tùm quidem Medicinæ Doctor, Physicus, & Philosophus, ciuisque Reipub. Francfordianæ ad Mœnum, nunc verò Theologiæ Iurisque prudentiæ antistes, & Illustrißimorū aliquot Principum Consiliarius atq; Professor Academicus Friburgi Brisgoiæ*, quod tale est:

IOANNES PISTORIVS NIDdanus in obitum Loniceri:

HVcigitur ventum est! & nos ea tempora viui
Attigimus! passim crudeli vt sanguine terras
Imbueret furor, & glisćens discordia amaris
Incensos odiis, nimiaq; cupidine belli

Versa-

Verſaret reges: Ergo tot funeris atras
Collucere faces: tot magnas triſtibus vrbes
Hauriri flammis, & humum conſidere in imam
Senſimus, & multas ſemiuſto in cortice ligni
Singultare animas. Multi ſuccumbere morti,
Nec meriti ſtrictos vitam diffundere in enſes
Compulſi: multis lethum deforme retractis
Extinguit luctantẽ animam, & plena ilia rumpit.
Auribus hoc dudum ſuſceptũ, & vera reperta eſt
Fama, ſtatus veluti Belgarum vertere fundo
Mens agat Hiſpanis: & Galli culmina regni
Vulſa velut iaceant, bellis emota cruentis.
Et nunc, ô Catti, ne vos in gaudia ſolos
Deſidiæ vitæ, aut longæ fiducia pacis
Suſcitet, en veſtris omnes in mœnibus ingens
Implicuit luctus, ſæuumq́ ex funere acerbo
Hauſiſtis toto perculſi corde dolorem. (dam
Nã ſpes veſtra iacet Lonicerus, maxima quon-
Gloria, quo nemo melius recludere ſortes
Scripturæ, aut potuit ſenſus aperire latentes.
Hic vir hic ille fuit, qui ſupra Teutonis oras
Protulit ingenium, veteresq́ æquauit honores,

Iudicio & sermone potens, seu vellet Achiuûm
Verba loqui, vel si Romana flumina linguæ
Apparet, aut patrias Iudæis reddere voces.
Ille artes tenuit medicas, & numina Phœbi,
Ille potestatem naturæ & sydera viuus
Secum agitat, partesq; suo de corpore vulsas
Explicat in sensum, & de obscuro vera recessu
Eruit ingenio celeri: sed plura fauentes
Auxilia inspirant superi pro sorte docendi
Scripturæ ambages tortosq; reuoluere nexus
Abstruso ex adyto, & veteris de fœdere legis.
Et ne obscura fides, varij monumenta laboris
Magna luce volant, atq; hæc nos omnia dudum
Prosequimur cultu merito: nec frangere quisquã
Viuentem, aut stimulis potuit conuellere apertis,
Talis erat viuus studiis: & semper in omni
Egregius virtute habitus, rectamq; professus
Censuram fidei: non illum ex tramite vero
Aut mollem fauor, aut pauidum violẽtia mouit,
Non mortis potuere minæ: nec si impius illum
Idcirco induerit stricto mucrone tyrannus,
Aut secet in partes, & adhuc cremet ignibus atris,

Relligio-

Relligione potens, ſed non ita concitus vnquam
Turbandæ pacis miſcendiq; omnia motu
Autor eras, Lonicere, vt nũc furor incitat omnes,
Sed pacem petere, atque animo præuertere turbas.
Hæ tibi erant artes: & iurgia pellere templis,
Tradere doctrinas, nec quenquã ſcindere verbis.
O vtinam multos eadem natura ſubiſſet,
Atque ea cura eſſet ſimilis: præſumere pacem,
Nec ſanctas leges odiis confundere amaris:
Non ea ſectarum facies tam turbida ſurget,
Concordesq; ſonos deinceps nec litis egentes
Conſtituent facilè, & ſimul hæc certamina tollent.
Sed Lonicere iaces: & pauci exempla laboris
Virtutisq; tuæ repetunt, nec Martia talem
Mœnia habent placida pietate & moribus æquis,
Nec ſpes deinde poteſt ſenſum nos tollere ad vnũ.
Jure igitur tanto ſpoliata atque orba Magiſtro,
Haßia magna armis eademq; accõmoda Muſis,
Luctificas ſpargis voces, & territa fato,
Quid ſors deinde ferat, ſupremi indicis honorem
Officij, lachrymansq; humectas flumine terras,
Mœſta miniſteria, at luctus monimenta decori,

Et ſpecies animi, teſtisq́ nouiſſimus vmbris.
Tu Lonicere autem membris excuſſus auitis,
Corporeaq́ omni felix compage ſolutus,
Fas cœleſte tenes, atque inter lucida diuûm
Atria habes niueam velatus fronde coronam,
Nectare ouãs: nec enim mortalis gaudia quiſquã
Inuidet: ereptum nobis tantum eſſe dolemus,
Nec dehinc poſſe ſonos audire, & diſcere ſenſum
Scripturæ ancipitem, cœcaq́ ambage volutas
Naturæ & vocum ſeries: ſed ſede reponi
Ætherea, triſtesq́ tui te effundere habenas
Corporis, atque omni concreta labe ſolutum,
Gaudemus meritò: & ſi nunc diſcrimina vocum
Accipis, has clamore omnes tibi mittimus alto:

SANCTE SENEX, SALVE AETERNVM, CELEBERRIME SCRIPTIS
AETERNVMQVE VALE, CELSI PARS MAXIMA OLYMPI,
SALVE ITERVM, RVRSVMQVE VALE SVPERADDITE DIVIS.

Nec verò Nigidius ille ſenior amici ſui & Collegæ ſuauiſſimi Manes ingratus præteriit, in Catalogo ſuo Virorum illuſtrium Scholæ Haſſiacæ, quibus ſequenti carmine iuſta ſoluit:

PE-

PETRVS NIGIDIVS Senior.

Tres pariter linguas doctus Lonicerus, amator
Synceræ conſtans relligionis erat.
Ingenuas omnes rectè percalluit artes,
Integræ vitæ, ſobrietatis amans.
Quadraginta annos vel plures ipſe iuuentam
Perpetua docuit ſedulitate rudem.
Græcorum linguam permultos tradidit annos
Orator, vates clarus itemq́ bonus.
Hic itidem docuit ſacram quandoque loquelam.
Non leuiter decorans hac ratione ſcholam.
Ex Græca felix vertit quàmplurima lingua,
Et ſcripſit doctè plurima Marte ſuo.
Tractauit Phyſicen, tractauit & Ethica ſolers,
Tractauit dignis & meteora modis.
Grammatices Græcæ compendia Rhetoricesq́,
Vtiliter ſcripſit grex ſtudioſe tibi. (chumq́,
Pindaron & Sophoclen, Nicandrum, Callima-
Iſocratem Latia fecit inire toga.
Et quis nunc tenui tot prodita ſcripta referret
Carmine, vel planis reddita ſcripta modis?

Explicuit ſacros extrema ætate Prophetas,
Linguarum fretus cognitione trium.
Vt vero placidam ſtuduit traducere vitam,
Sic inſtar ſomni mors quoque lenis erat.
Creditur extinctus mox ſuffocante catarrho,
Vt fato tandem mors ſua quenque manet.
Hic moriens noſtros lachrymis madefecit ocellos,
Perdidit heu clarũ quàm ſchola noſtra iubar!

IOAN HUSSUS BOEMUS Acad. Pragen. Theol
B.
Nasc. in Husinec. in
Crematur Constan.
Cantibus & dulci vincens, modulamine cignos,
Rex inter cignos canditus anser erat

IOANNES HVSSVS

Boëmus, Academiæ Pragensis Theologus.

IOANNES Hussus Boëmus, natus in pago cognominato Hussenitz, inter alios vsus fuit Præceptore Ioanne VViclefo Anglo Theologo, primo Christianismi reformatore, deinde Pragæ creatus est Baccalaureus artium liberalium anno 1393. Magister Philosophię anno 1395. Sacerdos demum electus & cõcionator templi Bethlehemici anno 1400. Qui dum magno studio ac zelo regnum Christi cœleste contra tyrannidem Pontificiam propugnaret, ac propagare studeret, Romæ primum à Pontifice Maximo excommunicatur anno 1414. post varia certamina ac pericula, tandem crematur viuus violatâ fide publicâ ex pseudosynodi decreto. Obiit itaque Martyr Christi sanctissimus Constantiæ anno 1415. die sexto Iulij: Scripsit librum de vnitate Ecclesiæ, qui diui-

ditur in capita 23. quorum argumēta leges in magno volumine Bibliothecæ Geſneri. Eiuſdem opuſcula alia impreſſa Argentorati cum appendice Othonis Brunfelſij ſunt hæc: de anatomia ſiue de ſingulis mēbris in corpore Antichriſti lib. 1. de myſteriis iniquitatis Antichriſti fragmentum 1. de reuelatione Chriſti & Antichriſti fragmentū ſecundum, de abolendis ſectis & traditionibus hominum lib. 1. de vnitate eccleſiæ, & ſchiſmate vitando lib. 1. diſtinctus in capita ſeptē, alius à ſuperiori, licet eadem ſit inſcriptio, niſi quod hic additur de ſchiſmate vitando; alter autem ſimpliciter vel de Eccleſia, vel de vnitate Eccleſiæ inſcribitur. De Euangelica perfectione lib. 1. de pernicie traditionum humanarum fragmenta tria. De regno, populo, vita, & moribus antichriſti lib. 1. fragmentorum collectanea quædam, cum indice ſingulorum capitum, commentarius in apocalypſin ante centum annos editus & impreſſus VVitebergæ adeſpotos, id eſt, ſine authoris nomine. Scripſiſſe fertur præterea ſermones ad populum plures, & commentarios in Oſeam & Ezechielem Prophetas. Eiuſdem Epiſtolæ excuſæ ſunt VVitebergæ cum præfatione Lutheri. Opera au-

ra autem eius omnia simul impressa Norimbergæ extant tomis duobus, quorū primo hæc continentur. Historia de actis & martyrio Ioannis Huſs: Explicatio Symboli, Decalogi, Orationis Dominicæ cum aliis quibusdam scriptis, de peccato mortali, de matrimonio, de cognitione, & dilectione DEI, de tribus hostibus hominis, & septem peccatis mortalibus; de sacramento corporis & sanguinis domini, quæ omnia in carcere in gratiam custodum composuit. De sanguine Christi sub specie vini à laicis sumendo quæstio, conscripta priusquam in carcerem Constantiæ cōiiceretur. De sufficientia legis Christi ad regendam Ecclesiam, sermo de fidei suæ elucidatione &c. de verbis Pax huic domui. alius sermo de pace. Epistolæ 68. Ioannis Huſs, & aliorum sub tempus concilij Constantiensis scriptæ. Narratio de initiis & progressu certaminum Ioan. Huſs, cum factione Pontificia. Tenor appellationis ab Archiepiscopo Pragensi ad Papā contra combustionem librorum Ioannis VViclef. Epistolæ scriptę quo tempore Huſs per excommunicationem Praga abierat. Replica cōtra Anglicum Ioannem Stokes VViclefi calumiatorem. Defensio quorundam

rundam articulorum Ioannis VViclefi. De ablatione bonorum temporalium à clericis. Ioannes Hus de decimis. Replica contra occultum aduersarium, Replica contra Prædicatorem Plenensem. Quæstio de arguendo Clero pro Concione. De quinque officiis Sacerdotis. Determinatio Quæstionis cū suo tractatulo de omni sanguine Christi glorificato. Tractatus de corpore Christi. Tractatus de tribus dubiis factis in Holomutz. Quæstio de credere. Bulla indulgentiarum Papæ Ioannis XXIII. pro subsidio contra Ladislaum Regem Apuliæ. Alia Bulla commissariis data de erectione Crucis contra Ladislaum. Quæstio de Indulgētiis, siue de cruciata Papæ Ioannis XXIII. Contra Bullam Papæ Ioannis XXIII. Opusculum de sex erroribus, compilatum & parietibus Bethlehemicis inscriptum. Tractatus de Ecclesia pronūciatus publice in ciuitate Pragensi. Responsio ad scripta M. Stephani Paletz theologiæ Doctoris. Responsio ad scripta M. Stanislai de Znoyma D. Theologiæ. Refutatio scripti octo Doctorum Theologiæ. Repetitio M. Ioānis Iessenetz Doctoris Iuris Canonici pro defensione causæ M. Ioannis Hus. Liber de Antichristo & membrorum eius

eius Anatomia, Liber de regno, populo, vita, & moribus Antichristi, De Sacerdotum & Monachorum abhorrēda abominatione desolationis in Ecclesia Christi: huic scripto accesserūt in hac editione reliqua capita omnia, à 46. ad finem vsque; De abolēdis sectis & traditionibus hominum. De pernicie traditionum humanarum. De vnitate Ecclesię & Schismate. De Euangelica perfectione. De mysterio iniquitatis fragmētum secundum. alia quædam fragmenta. Porrò secundi Tomi Libri sunt: Historia gestorum Christi, ex quatuor Euangelistis in vnum collecta, & secundū tres annos prædicationis eius distincta. Conciones Synodicæ, Sermones 28. Explicatio in 7. priora capita 1. Epistolæ 5. Pauli ad Corinthios. In Epistolas Apostolorum Canonicas septem commentarij. Enarratio Psalmi 109. & nouem sequentium psalmorum. De corpore Christi in Sacramento altaris, quod non creetur, neq; incipiat esse, contra crassos Papistarum errores. De adoratione, & contra imaginū adorationem. Narratio Historica de condemnatione & supplicio Hussi. Carmen Hussi de cœna Domini. Narrationes duæ de M. Hieronymo Pragensi. Poggij Epistola

de eodē. Sermo habitus in Bethlehem à quodam pio in memoriam Huſſi & Hieronymi. Adſertio communionis ſub vtraque ſpecie vniuerſitatis Pragenſis. Reuocatio cuiuſdam Petri Monachi Pragēſis. Teſtimonium vniuerſitatis Oxonienſis de doctrina & vita Ioannis VViclef. De Huſſo ce-cinit quidam anonymus hiſce verſibus:

Albicolas niueo vincens candore volucres
Salue Boëmis ANSER amande tuis.
Te manet æternum decus & memorabile nomen;
Quod furor, aut ætas tollere nulla poteſt.
Atra licet cornix furtiuis addita pennis
Candorem ſpurco vellicet ore tuum.
Nulla ſed eſt Boëmis, nec erit præſtantior ales,
Conferri viua quæ tibi voce queat.
Grex auium vanis oblectat cantibus aures;
Tu mentes niueo pectore & ore pias.

XXXI.

Quod fueras magno divine Philippe Luthero.
Husso Pragensis hoc fuit ipse suo.

HIERONYMVS PRAGENSIS Boëmus Theologus.

HIERONYMVS Boëmus Pragensis, qui verè sancto dignus fuit nomine, elogio D. Martini Lutheri graphicè depingitur; quod nos Historiæ prosequēdæ gratia subiiciemus, ita enim cecinit niueo super anſere cygnus:

Martyrio sociū dum vult Hieronymus Hussum
In propugnanda relligione sequi:
Impia vesani taxat deliria cleri:
Iniustaq; Hussum morte periisse probat.
Hinc furiis in eum Synodus Papalis ab omni
Concita parte adhibet vincula dura viro.
Quæ quia nil illi nocuere, nec inclyta quoquam
Tormento pietas se domuisse dedit.
Fortiter eloquio pugnantis & arte stupenda,
Corpus in accenso vix domuere rogo.

Hæc est Ausonij pia castigatio patris,
Ordinis hoc proprium spiritualis opus.
Jacta titulos & inania nomina quisquis
Romanæ sequeris talia castra feræ.

Hieronymus enim martyr Christi fidelis, Pragæ in patria bonis imbutus literis: Lutetiæ Parisiorum magister artium salutatus: præcipuis Galliæ & Germaniæ Academiis singularis ingenij doctrineq; laude cognitus fuit. Is primò discipulus, deinde familiaris, post collega Io. Hussi, S. Christi Martyris, extitit, neq; morte quidem ab eo diuelli diuidiuè sustinuit. Ornatus erat miranda & plane diuina eloquentia, nec non animi fortitudine & constantiâ singulari. Vnde amplius C C C X L. diebus immanissimi carceris sordibus & iniuriis fuerat detentus causâ religionis. Tandem pari vel eodem potius fato ac triumpho, altero post Hussum Doctorem fidei ac eiusdem certaminis socium & consortem anno nobilitatur, crematusq; viuus Constantiæ 3. Cal. Iunij. Anno 1416.

Felix Vate tuo Germania quo duce constat
Libertas populis religioq; tuis

MARTINVS LVTHERVS
Theologus, alter Germaniæ Elias.

MARTINO Luthero Germaniæ Eliæ Islebia Mansfeldiæ oppidum patria esse meruit, vbi felicibus astris natus est anno 1483. Primis literis imbutus fuit Magdeburgi & Isenaci: Magister Philosophiæ deinde creatus fuit Erdfordiæ anno 1508. Anno insequente, vti magis Theologiæ vacaret, ibidem Augustinianorum ordini est adscriptus Monachus. Quadriennio post auspiciis Friderici Saxoniæ Electoris euocatur VVitebergam ad sacras literas profitendum, ablegaturque Romam autoritate publica, vt religiosorum dissidia componeret; quam Legationem posteaquam obiisset, reuersus creatur sacræ Theologiæ Doctor eodem anno. Demum itaq;, Romana videlicet Curia iam inspecta, maiore studio instaurandę Orthodoxæ religionis incitatus primus eā è tenebris in lucē produxit anno 1517. idque tum scriptis in publi-

cum propositis, plane innumeris, tũ libera semper professione atque viua voce coram vniuerso Imperio Romano. Tandem exhibita formula fidei Euangelicæ Carolo v. Cæsari Aug. Augustæ in Comitiis, eademq; ab eo confirmata, quem nec Regum nec Pontificum vis vlla, nec Sophistarum innumerabilium fraus vnquam vel tãtillum terruit, sæculi sui Propheta vltimus, Auriga & Currus Israel, obiit placide in patria, Islebię, ipso Concordiæ secum ad cœlum subuectæ die, 17. Febr. anno 1546. Ætat. 62. sepultusque fuit VVitebergæ in Templo Arcis. Scripsit multa latino & vernaculo sermone: Editus autem est à Sigismundo Sueuo Elenchus librorum Lutheri omnium, in quo indicatur quo Tomo & folio cuiusque editionis singula germanice & latine inueniantur. Nos in illis libris enumerandis temporum ordinem sequemur, inchoãtes ab anno à nato Christo 1516. quo tempore primum nomen Lutheri innotescere cœpit.

Sunt autem hæc anni 1516. scripta: Epistola ad Albertum Cardinalem, & Archiepiscopũ Moguntinensem: item disputatio de viribus & voluntate hominis sine gratia.

Anni 17. post millesimum & quingentesimum scripta sunt: Decalogus aliquot annis antequã controuersia de indulgentiis mota est Witebergæ prædicatus. Propositiones de pœnitentiis & indul-

indulgentiis & quædam aliæ disputationes initio causæ à Luthero propositæ et fideliter explicatæ, cum præfatione eiusdem illis præmissæ. Protestatio Lutheri. Conclusionum probationes, quas disputauit Lutherus in Capitulo Heidelbergensi. De præparatione cordis digna pro suscipiendo sacramẽto Eucharistiæ. Ioannis Annij Witebergensis de Monarchia Papæ disputatio scripta anno 1481. cum præfatione Lutheri. Epistola ad Lectorem contra Iacobum Hochstratum. Epistola ad Leonem Romanum Pontificem resolutionibus præmissa. Epistola ad Philippum Melanchthonem, breuis commemoratio rerum quæ tum Augustæ gestæ sunt.

Anni 18. Epistola ad Hieronymum Episcopũ Brandeburgensem. Epistola ad Ioannem Brismānum de libello de votis. Epistola ad Syluestrum. Ad Dialogum Syluestri responsio. Syluestri responsionis ad Lutherum Epitome, cui præmissa est Lutheri Epistola ad pium Lectorẽ. Acta Lutheri apud Legatum Apostolicum Thomam Caietanum Augustæ. Epistolæ duæ ad Caietanum Cardinalem. Appellatio à Caietano ad Papã. Appellatio prima à Papa ad Concilium. Epistola ad loānem Staupitium Augustinianæ familiæ Vicarium. In verba actor. 15. neq; nos neq; patres nostri. Adhortatio ad pium Lectorem, vt Ecclesiæ Historiam & doctrinam diligenter cognoscat. Asteriſci Lutheri aduersus obeliscos Eckij. Commemoratio breuis rerum quæ Augustæ peractis Comitiis cũ Luthero de indulgentiis sunt gestæ. Epistola ad Fridericum Ducem Saxoniæ. Instructio pro Confessione peccatorum abbreuianda. De Indulgẽtiis concio. Passio Christi quomodo consideranda sit. De dicto, omne quod mihi dat pater, Ioh. 6. Disputationum resolutiones de virtute indulgentiarum. De virtute excommunicationis. De pœnitentia. De remissione pœnæ & culpæ. De circumcisione. Iustus quod etiam inter bene operandum peccet. Contra

Scholasticos. Probationes conclusionum, quas disputauit Lutherus in Capitulo Heidelbergensi.

Anno 19. Epistolæ Pauli ad Galatas commentarius primus. Psalmorum argumenta. Psalmorum enarrationes. Operationes Lutheri in psalmos 22. priores Witebergæ studiosis Theologiæ pronunciatæ, anno 19.20.21. in Sophoniam Commentarius. Sermo Lipsiæ in arce habitus. De Baptismo concio. Euangelij Festi Petri & Pauli Apostolorū Matthæi 16. De sacramēto altaris concio. De Confessione & Sacramento Eucharistiæ. Quomodo orandum sit. Passio Christi quomodo meditanda Concio. De cōiugio. Ad mortem quomodo animus sit parandus. Mātthęi 16. De potestate clauium. Disputatio Lipsiæ habita. Resolutiones super propositionibus Lutheri Lipsiæ disputatis. Epistola resolutionibus præmissa super 13. propositione. Epistola ad Georgium Spalatinum de disputatione Lipsica. Aduersus criminationes Eccij excusatio. Epistola ad loānem Eccium super expurgatione Ecciana. Acta Lutheri cum Carolo Miltitio Aldēburgi in ædibus Spalatini. Epistola ad Leonem Romanum Pontificem per Carolum Miltitium. Epistola ad Fratres ordinis minorum cōuentus Interbockensis. Epistola ad Carolostadium. Ad Emsecanum Aegocerotem Lutheri additio.

Anno 20. de Captiuitate Babylonica Ecclesiæ. Orationis Dominicæ expositio breuis. Tesseradecas consolatoria. Confitendi ratio. De Cœna Domini. De sacramēto Baptismi concio. De Votis. de Libertate Christiana. De sacramentorū numero. De sacramento altaris. de Sacramento extremæ vnctionis. de sacramento pœnitentiæ. de ordine. de matrimonio. de confirmatione. de fide infusa & acquisita. Disputatio. de signis gratiæ. De operibus vtrum opera faciant ad iustificationem. De Baptismate legis, Ioannis & Christi. De nō vindicando. An liceat hæreticos comburere. Protestatio, siue oblatio Lutheri. Epistola ad

la ad fratres in Hollandia, Brabātia, & Flandria. Epistola ad Leonem decimum Romanum Pontificem præposita libello de Christiana libertate. Epistola ad Carolum V. Imperatorē post abitionem ex cōuentu Wormatiæ. ad ducem Saxoniæ de conuentione Wormatiensi. Articulorum Martini Lutheri per bullam Leonis X. nouissimam, damnatorum, assertio. Responsio ad articulos, quos magistri nostri Louanienses & Colonienses velut hæreticos damnauerunt. Aduersus bullā Antichristi. Responsio ad schedulā inhibitionis sub nomine Episcopi Misnēsis æditā. Cōmemoratio rerū Coloniæ Agrippinæ in Vbiis gestarū in causa Lutheri. Libri Romani Pontificis & Discipulorum eius quare à Martino Luthero combusti sint. Articuli & errores librorū iuris Canonici. Appellatio secunda à Papa ad cōcilium.

Anno 21. Euangeliorum & Epistolarum Enarrationes quas postillas vocant. Matthæi vndecimo de encomio & Laudatione Ioannis Baptistæ. Matthæi 21. de ingressu Christi in Hierusalem. Lucæ 17. de 10. Leprosis. Lucæ 21. de aduentu Christi ad iudicium. Ioan. 1. de Confessione Ioānis Baptistæ. Epistolę Dominicæ 11. Aduētus Domini. Rom. 15. ad Phil. 4. de gaudio Spirituali. Super Magnificat commentarius. in Malachiam annotationes. Psalmus 37. Noli æmulari. Oratio Salomonis ad DEVM principe digna. Sermo de abusibus Ecclesiæ exterminandis. Christiano quid præstandum sit. Sermo de Missa priuata abroganda. De voto ad Episcopos & Diaconos Ecclesiæ Witebergensis. Lutherus ex Pathmo. *De mysteriis Ioannis Baptistæ & Christi. De excommunicatione, Disputatio. De viduis. Rom. 3. Iustificamur fide. Rom. 13.* De tempore salutis, Rom. 13. De commēdatione sacræ scripturæ & vocatione gentium. Responsio extemporaria ad articulos quos magistri nostri ex Babylonica & assertionibus eius excerpserant. Responsio ad librum Ambrosij Catharini cum exposita visione, Dan. 8. De Antichristo.

Confutatio inepti & impij libelli Auguſtini Alfeld Franciſcani Lipſici pro Luthero. Latomianæ rationis, pro incendiariis Louanienſis ſcholæ Sophiſtis redditæ, Lutherana confutatio. Acta Lutheri coram Cæſarea maieſtate in comitiis Wormaciæ. Ludus Lutheri à ſtolida & ſacrilega Sorbona damnati. Lutherus à Carolo V. ad comitia Wormacienſia vocatus. Epiſtola ad Ioannem Fridericum ducem Saxoniæ. Epiſtola ad Witebergenſes. Epiſtola diſputationib. Philippi præmiſſa. Epiſtola ad electores poſt diſceſſum ſuum ex Wormacia. Epiſtola quædam ad amicum quendam de Pſalterio. Epiſtola ad Wenceſlaum Lincum.

Anno 22. Sermo de ſimulachris, & ciborum delectu. Sermo de matrimonio habitus Witebergæ. De S. Antonio ſermo. Bulla & reformatio Lutheri. De abroganda miſſa priuata, ſententia Lutheri ſcripta anno Domini 21. impreſſa vero 22. De libertate monachorum, Antitheſis Decalogi Chriſti & Papæ. Epiſcoporum Chriſti & ſacerdotum Papiſticorum Antitheſis. De ſacerdotio, legibus & ſacrificiis Papæ. Aduerſus epiſcoporū falſo nominatum ordinem. Contra Heinrichū regem Angliæ. De voto, an liceat perpetuum votum vouere, Diſputatio. De votis monaſticis, ad Ioannem Lutherum. De canone. Epiſtola ad principes comitia agentes. Epiſtola ad Franckfordienſes in Thuringia. Epiſtola ad Hartmannum à Cromberg. Epiſtola ad Wolfgangum Fabricium Capitonem.

Anno 23. Epiſtola Pauli ad Romanos. prçfatio Methodica totius ſcripturæ. Epiſtolæ Petri prioris enarratio. Epiſtolæ Pauli prioris ad Corinthios cap. 7. explicatum. De Ieſu Chriſto vero Iudæo, & ſemine Abrahæ libellus Formula miſſæ & Communionis pro eccleſia Witebergenſi. De abominatione Miſſæ priuatæ. De ceremonijs pijs in cœtu eccleſiæ ſeruandis. Quod eccleſia ius & poteſtatem habeat iudicandi de quauis doctrina.

De mi-

De miniſtris verbi inſtituendis. Sententiarum quarundam (quæ pro confirmatione doctrinarum humanarum allegantur) refutatio. Monachouituli interpretatio. Theologiæ Papiſticæ exemplum. Appendix in Adriani 6. Breue ad ſenatũ Bambergenſem. Edicta Cæſarea duo contraria, & inter ſe pugnantia cum præfatione Lutheri. Contra calumniatores & falſarios edicti Cæſarei. Aduerſus Coclæum virum armatum. Lutheri iudicium de Eraſmo Roterodamo. Epiſtola ad lectorem Chriſtianum. Epiſtola ad Carolum ducem Sabaudiæ. Epiſtola ad Eſlingenſes. Epiſtola ad Rigenſes, Riualienſes & Tarptenſes in Liuonia. Epiſtola ad Senatum Pragenſem. Epiſtola ad virgines aliquot pudiciſſimas. Epiſtola ad Ioannem Lozer Pretenſem, Hęreditarium Hipparchum in Saxonia.

Anno 24. In Teſtamentum vetus prefatio. Libri Moſis, quomodo & quo fructu à Chriſtianis legendi ſint, In Deuteronomion Moſi annotationes. Deuteronomion Moſi ex Hebręo caſtigatum. Pſal. 120. Ad Dominum cum tribularer. Ad Galatas commentarius primus ab authore denuo recognitus. Epiſtolę Petri prioris enarratio. Epiſtolę quędam Dominicales. Epiſtolę S. Iudę enarratio. De conſtituendis Scholis & inſtituendis pueris, commonefactio. De matrimonio. Thematum duorum Analytica, quorum primum eſt, parentes non habere ius cogẽdi liberos ad Matrimonium. Alterum, non licere liberis ſine parentum conſenſu contrahere matrimonium. Themata à promouendis ad Doctoratum in Theologia diſputata. Epiſtola ad amicos & electos Dei qui ſunt Auguſtę. Epiſtola ad Fridericum & Ioannem Saxonię duces. Epiſtola ad Ioannem Scotum inſignem equitem. Epiſtola ad Lambertum Thacii in vinculis Euangelii poſitum. Epiſtola ad Miltebergenſes.

Anno 25. De ſeruo Arbitrio ad Eraſmũ Roterodamũ. Ad maledici & contumelioſi ſcripti regis Anglię titulum reſponſio. Epiſtola

piſtola ad regē Anglorum. De Heinricho Sudphanio hiſtoria. Epiſtola ad Antuerpienſes. Epiſtola ad Argentinenſes. Epiſtola ad Georgiū ducem Saxonię. Epiſtola ad Georgium epiſcopum Sambienſem. Epiſtola ad Wolfgangum Reiſſenbuſch prę-ceptorem in Liechtenbergk de matrimonio contrahendo.

Anno 26. In Ionam prophetā commētarius. In Abacuck prophetam Annotationes Lutheri. In Haggæum prophetam conciones & argumentum. Sermones aliquot pij à Martino Luthero lingua vernacula præſcripti, latinitate donati, Lucæ 15. De oue perdita Lucæ 16. de diuite & Lazaro. Luc. 19. de vaticinio Chriſti contra ciuitatē Hieruſalem. Ioan. 10. De bono paſtore. Sermo de ſeptem panibus. Sermo de ſacramento Euchariſtiæ, De communione populi.

Anno 27. Defenſio verborum cœnę Dominicæ, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, contra phanaticos Sacramentariorum ſpiritus.

Anno 28. In Zachariam prophetā commentarius Lutheri. In Matth. Euang. quinque prima capita enarrationes. De digamia Epiſcoporum diſputatio.

Anno 29. Catechiſmus maior, Catechiſmus minor.

Anno 30. In Danielem commentarius. Pſalm. 118. Confitemini Domino. Pſalm. 28. Deus ſtetit in Synagoga. De lege, hominem iuſtificari fide, abſque operibus legis diſputatio. De eccleſia diſputatio. Epiſtola ad Fridericum Abbatem ad S. AEgidium Norimbergæ. Epiſtolę duę ad Iuſtum Ionam.

Anno 32. In Eccleſiaſten annotationes. In ſextū & ſeptimum caput Matthęi annotationes. Sermo de aduentu Chriſti, & ſignis ſummum diem pręceſſuris. Precationis, qua benedicitur populo. Num. 6. quę pronunciari ſolet poſt communionem enarratio.

Anno 33. De miſſa priuata & ſacerdotū vnctione. 1. Timoth. 1. de

1. de ſumma Chriſtianæ vitæ. 1. Timoth. 1. Lex iuſto non eſt poſita 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri.

Anno 34. In Eſaiam ſcholia. In Nahum prefatio & Hypotheſis. Pſalm. 45. Eructauit cor meum. Explicatio decimiquinti capitis prioris epiſtolę Diui Pauli ad Corinthios. Epiſtolarum Farrago.

Anno 35. Orandi ſimplex modus. Precationum piarum Enchiridion. Symboli explicatio. Decalogi expoſitio breuis. Homilię de baptiſmo. De Fide diſputatio. De iuſtificatione, aliã eſſe rationem iuſtificandi hominis coram Deo, aliam coram hominibus. De operibus legis & gratiæ, De operibus, vtrum Daniel operibus tribuat iuſtificationẽ, dicens: Redime peccata tua eleemoſynis. De dicto, Si fidẽ habuero, &c. Item. Maior horum charitas. Remiſſio peccatorum ex Dicto, Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. diſputatio Lutheri, Contra Miſſam priuatam. Contra concilium Conſtantiẽſe de vtraque ſpecie Sacramenti.

Anno 36. In Ioëlem commentarius. In Amos Prophetã commentarius. In Abdiam commentarius. Epiſtolæ Pauli ad Galatas commentarius ſecundus. De homine diſputatio. De poteſtate concilij, Epiſtola ad fratres Orthodoxos in Domino.

Anno 37. Eſaię nono, de puero Ieſu. Loci doctrinę Chriſtianę præcipui. Lucæ primo, de Annunciatione Mariæ. Luc. 2. de iuuentute Chriſti. Luc. 6. de operibus miſericordiæ. Luc. 11. de dæmonio eiecto. Luc. 14. de cœna magna. Euãg. Dominicę. 1. Aduentus Domini Matth. 21. Item Euang. Dominicæ. 1. poſt Epiphaniæ Luc. 2. Euang. Dominicę quinquageſimę. Luc. 18. Euang. Dominicæ Reminiſcere Matth. 15. Euang. Dominicę Oculi Lucę 11. Euang. Dominicę Lętare. Ioan. 6. Euangel. Dominicę Quaſi modo geniti. Ioan. 20. Euang. Feſti Annunciation. Marię. Luc. 1. Matth. 15. de muliere Chananęa. Matth. 22. de ve-

ſte nuptiali. Euang. Dominicę 4. poſt trinitatis Luc. 6. Euang. Dominicæ 7. poſt trinitatis. Marc. 8. Euang. Dominicæ 11. poſt trinitatis. Luc. 14. Euangelium Dominicæ 14. poſt trinitatis. Luc. 17. Luc. 18. de perpetuis & pertinacibus precibus. Lucæ 18. de cœco illuminato. Ioan. 6. de quinque panibus. Euangel. Aſcenſionis Domini. Marci 16. Euang. Dominicæ trinitatis. Ioan. 3. Ioannis 16. de excommunicatione. Ioannis 16. de officio ſpiritus ſancti. Ioannis 16. de afflictionibus eccleſiæ. Ioannis 20. de clauſis foribus. Paſſionis Chriſti diſpoſitio breuis. Sermo de fidei robore & incremento. Sermo de fide ex dicto, Heb. capite vndecimo; Qui accedit ad Deum, hũc credere oportet. Concilium Chriſtianum cur, & quomodo debeat eſſe liberum. Cõtra Antinomos diſputatio. Cauenda doctrina Papiſtarũ de pœnitentia, multo magis Antinomorum qui nullam pœnitentiam relinquunt in eccleſia. Contra Antinomos de lege. De coniuratione Papiſtarum. Concilium cuiuſdam ex animo cupientis eſſe conſultum, & Romanæ Pontificis dignitati, & Chriſtianæ religionis tranquillitati.

Anno 38. In Cantica canticorũ enarratio. Symbola tria Chriſtianæ fidei. Pſal. 51. Miſerere mei Deus. In Matth. cap. 9 De paralytico. In Matth. cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. Contra Sabbatharios epiſtola. Prefatio in epiſtolam ſancti Hieronymi ad Eugenium de pietate Papę. De pœnitentia contra Antinomos diſputatio Lutheri. De lege contra Antinomos diſputatio Lutheri.

Anno 39. Ioannis Euangel. decimum octauum caput explicatum. De eccleſia, quid ſit, & quę ſit eccleſia, & quę ſint notę veræ Eccleſiæ.

Anno 40. Pſalm 121. Leuaui oculos meos. Pſal 122. Lętatus ſum in his. Pſalm. 123. Ad te leuaui oculos. Pſalm. 124. Niſi quia Dominus. Pſal. 125. Qui confidunt in Domino. Pſal. 126. In conuertendo.

uertendo. Psal. 127. Nisi Dominus ędificauerit. Psal. 128. Beati omnes qui timent. Psal. 129. Sępe expugnauerunt. Psalm. 130. De profundis. Psal. 131. Domine non est exaltatum. Psal. 132. Memento D. Dauid. Psal. 133. Ecce quam bonum. Psal. 134. Ecce nunc benedicite Domino. Psalmis graduum prędfatio prędfixa. Mar. 10. de relinquentib. omnia propter Euang. De vsura taxanda commonefactio. Consilia Euang. 12. de dicto, Vade, Vende, relinque omnia, &c. disputatio Lutheri.

Anno 41. Psal. 90. Domine refugium factus es, Chronicon Luth. siue supputatio annorum mundi. De dicto, Verbum caro factum est. An sit, propositio vera in philosophia. Disputatio de dicto: Dominus Iesus heri & hodie, &c. Contra Satanam & Synagogam ipsius. Contra Antinomos de lege.

Anno 42. In Micheam commentarius. Micheæ concionum loci & sententiæ principales.

Anno 43. Dauidis nouissima verba explicata. De mendacijs Iudæorum. Præfatio in declamationes principum iuniorũ Saxoniæ. Epist. 2. ad Simonem Wolferium de controuersia super reliquijs sacramenti altaris. De Christo quod in ipso duæ sint naturæ, diuina & humana, sic vnitæ, vt Christus sit vna persona. Disputatio de fide iustificante & fide miraculorum. Disputatio, fide sola nos iustificari.

Anno 44. Comment. in Genesim. Confessio breuis de cœna Domini. De trinitatis mysterio, incarnatione filij, & de lege, disputatio.

Anno 45. In Hoseam prophetam præfatio, de prophetarum lectione, & argumento concionum Hosęę. Aduersus Papatum Romæ à Satana fundatum. Cõtra articulos 32. Louanienſium Theologistarum. Disputatio, de vnitate essentiæ diuinæ, & de distinctione personarum in diuinitate. Porro complura alia scripta ipsius operibus addita sunt, quæ breuiter hic numerabo.

rabo. Articuli à fratribus Minoritanis Iutterboccenſibus, D.M. Luthero adſcripti. Articuli religionem fidemq; Papiſticam reſpicientes, à magiſtris noſtris eximijs Louanienſis vniuerſitatis editi. Academiæ Louanienſis acta contra Lutherum. Determinatio theologicæ facultatis Pariſienſis ſuper doctrina Lutherana. Determinatio 2. almæ facultatis theologiæ Pariſienſis, ſuper Apologiã Philippi Melanchthonis Academię Witebergenſis epiſtola ad Carolum Miltitium. Academiæ Witebergenſis epiſtola ad Fridericum Saxoniæ ducem. Academiæ Witebergenſis epiſtola ad Leonem X. Rom. Pontificem. Canonicorum indoctorum Lutheranorum ad Ioannem Eccium reſponſio. Informatio & deliberatio delectorum ab vniuerſitate, ad allatam inſtructionem de miſſa. De miſſa priuata, ſententia quorundam delectorum ab Academia Witebergenſi ad Fridericum Electorem. Synodi Auguſtinianorum ſententia de libertate monachorũ. Epigrãmata in iuris Canonici incẽdium: Bullæ epiſcopales 2. prior pij, poſterior papiſtici pontificis, ſuper doctrina Lutherana. Bullæ pontificiæ per Eccium ad ſcholam Witebergenſem inſinuatio. Bullæ eiuſdem publicatio per epiſcopum Friſingenſem. Antonini cuiuſdam poſitiones. Adolphi epiſcopi reſponſio ad epiſtolam Lutheri. Adriani VI. Romani pontificis, ad conſules & ſenatum Bambergenſem. Ad electores principes & omnes ordines Imperij. Ad Fridericũ ducem Saxoniæ Aduerſus Lutherum. Alberti Cardinalis & archiepiſcopi Moguntinenſis reſponſio ad Lutherum. Contra leges Papiſticas, ſacerdotibus prohibentes matrimonium. Apologia Bartholomæi Bernardi. Eraſ. Roterodami axiomata pro cauſa Lutheri. Item epiſtola ad Fridericum ducem Saxoniæ. Caroli V. Imperatoris edictum, de cauſa Lutheri: Caroli V. imperatoris literę ad Lutherum, quibus ad comitia Wormacienſia vocatus eſt. Clementis VII. Romani pontificis breue ad Fridericum

cum ducem Saxoniæ. Aliud breue ad eũdem. Franciſci Cheregati epiſtola ad Senatum ciuitatis Bambergenſis. Friderici Electoris ducis Saxoniæ reſponſio ad epiſtolam Caietani. Item ad epiſtolam Cardinalis Raphaëlis. Item ad Eraſ. Rot. Eiuſdem reſponſum datum Martino Caracciolo, & Hieron. Aleandro legatis Rom. pont. Friderici Electoris ſcriptũ ad Valentinum à Dietleben, eo tempore Romæ agentẽ. De matrimonio contra legem pontificiam de cœlibatu. Diſputatio authore M. Gaſparo Contagiſer, Saxonici collegij apud Erphordiam Decano. Gaſpari Crucigeri, & Georgij Rorarij epiſtola ad lectorem. Georgij epiſcopi Sambienſis epiſtola ad Plebanum in Fiſchhuſen. Hulderici ab Hutten epiſtola ad Bilibaldum Birckheymerum, in qua breuiter commemorat quid actum ſit cum Luthero in conuentu Wormaciæ. Secunda ad Carolum V. Imperatorem. Tertia ad Electorem ducem Saxoniæ. Quarta ad Germanos, qualis paſtor ſit Leo X. Rom. Pontifex. Quinta ad Luth. Sexta conſolatoria ad Lutherum. Septima ad Luth. eiuſdem argumenti. Octaua ad Marinum Caracciolũ Oratorem Rom. Eiuſdem fragmentum ex inuectiua in Hieronymum Aleandrum. Exclamatio in incendium Lutheranum. Inuectiua in Cardinales, Abbates, epiſcopos oppugnantes Lutherum. Inuectiuæ in Hieron. Aleandrum fragmentũ. Inuectiua in Marinum Caracciolum oratorem. Rom. Romanæ curiæ pictura ex epiſtola quadam Hulderici ab Hutten ad Electorem Saxoniæ. Emſeri epiſtola ad Ioannem Zack de diſputatione Lipſica. Ioachimi Helleri epigrãma in Hoſeam Ioannis Eccij articuli hæretici. Eiuſdem epiſtola ad Iacobum Hochſtraten de Lipſica diſputatione. Alia epiſtola ad M. Lutherũ. Eccij excuſatio. Eccij poſitiones contra Lutherum. Eccij ſedis Papiſticæ nuncij epiſtola ad Witebergenſes. Ioannis Frobenij epiſtola ad Lutherum. Ioannis Paduſcka presbyteri Pragenſis eccleſiæ epiſtola ad Luthe-

rum. Ioānis Tetzelij disputationes quibus defendit indulgentias contra Lutherum. Iusti Ionæ epistola de amplissimo beneficio Dei erga populum Iudaicum ad D. Wolfgangum in Anhalt. Laurentij Campegij legati Romani Pontificis epistola ad Fridericum Electorem. Laurētij de Medices Cardinalis epistola ad Georgium Spalatinum. Leonis decimi Romani pōtificis Breuia ad Degenhardum Pfeffinger. Duo ad Fridericum ducem Saxoniæ. Breue ad Georgium Spalatinum. Breue ad Thomam Caietanum. Bulla contra errores Martini Lutheri & Sequacium. Decretalis noua & vltima de indulgentijs. Rosa aurea à Leone X. Romano Pontifice per Carolum Milticium ad Fridericum electorem missa. Mauricius episcopus Warminensis, ad archipresbyterum Plebanum in Brunsbergk. Maximiliani Imperatoris Augusti epistola missa ex conuentu Augusti. de cōtrouersijs Lutheri ad Leonem X. Nicolai Amsdorffij epistola ad Lutherum de Erasmo Roterodamo. Propositiones Petri Maluēdæ. Explicatio prouerbiorū Salomonis. Philippi Melanchthonis in ecclesiasten enarratio breuis. In cantica cānticorū argumentū. In Esaiæ quatuor priora capita argumenta. In Esaiam argumentum. In Ieremiæ threnos argumentum. In Danielem commentarius. In Zachariam prophetam commentarius. Confessio fidei exhibita Imperatori Carolo V. in comitijs Augustæ. Apologia Augustanæ confessionis. Papaselli interpretatio. Apologia pro Luthero aduersus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum. Defensio contra Eccium. Epistola de disputatione Lipsica. Epistola disputationibus Lutheri præmissa. Epistola ad studiosos Theologiæ. Epistola ad D. Wolfgangū principem in Anhalt. Præterea plurimæ eiusdem disputationes cum Luth. disput. impressæ sunt. Staupitij epistola ad Spalatinum. Dialogus Syluestri Prierij sacri Palatij Apostolici magistri contra Lutheri conclusiones. Eiusdem Replica

ad

ad Martinū Lutherum. Vincentij Obſopœi epiſtola ad Michaelem Obſopœum fratrem ſuum germanum. Eiuſdem epiſtola ad ſenatum Hallēſem in Sueuis. Vinceſlaus Lincus de Ambroſio Catharino. Vinceslai Roſdialouini prępoſiti Pragēſis epiſtola. Viti Theodori epiſtola ad Fridericum Bernbeckum Senatorem Kitzingēſem. Alię duæ ad Georgium in Anhalt. Epiſtola ad Nicolaum Amſdorffium epiſcopum eccleſiæ Numburgenſis.

* Poſt eius obitum editi ſunt articuli, qui noſtræ partis nomine exhibendi fuerant in concilio Mantuæ, vel vbicunque illud futurum eſſet: & quid vel accipere vel concedere nos poſſemus nec ne: ſcripti à D.M.Luthero, & Smalcaldiæ anno 37. in conuentu propoſiti: & anno 1579. Item volumen magnum, ſermonum eius conuiualium, germanice in fol. Eiuſdem aliquot nomina propria Germanorum ad priſcam Etymologiam reſtituta. Martini Lutheri teſtimonia de ſocio laborum & periculorum ſuorum Philippo Melanchthone. Acceſſerunt & aliorum laudatiſſimorum virorum de eodem Philippo ſcriptiſq; eius iudicia perquam honorifica. 4. Gorlicii. 1580. Itemq; querela ſeu ſomnium M.L. &c.

Ornarunt eum elogiis viri paſſim Germaniæ, præclariſſimi, prępipue verò Ioannes Stolſius, cuius Eteoſticha ſequentia leguntur:

I. Annus Natiuitatis Lutheri

1483.

Natus es Iſlebiæ diuine Propheta Luthere,
Religio fulget te duce, Papa iacet.

II. An-

II. Annus Magisterij Philosophici
1503.

Erfurdi iuuenis titulos capit vrbe Magister
Lustra sua ætatis quatuor acta colens.

III. Annus Monachatus 1504.

Vana superstitio corpus iuuenile cucullo
Ornat: id omne tibi fraudi age Papa fuit.

IV. Annus Professionis VViteberg æ
1508.

Mittitur Albiorin, Christo auxiliãte, Lutherus:
Quantus erat vates! gloria quanta Schola!

V. Annus Doctoratus & peregrinationis Romam 1512.

Staupitij est iussu titulos Doctoris adeptus
Vt trucis Italiæ venit ab vrbe Lupi.

VI. Annus Religionis instauratæ
1517.

Religionis opus cœno extrahis, auspice Christo:
Verax ô dextro nixe Luthere DEO.

VII. Annus Confessionis coram Caietano. Augustæ 1518.

Augusta Christum profitetur in vrbe Lutherus,
Non curans vultus, Præsul acerbe, tuos.

VIII. An-

VIII. Annus disputationis Lipsicæ 1519.

Eccius est iusti victus virtute Lutheri:
Disputat vt Julij Lipsia in vrbe die.

Annus Confessionis in vrbe Vangionum 1521.

Cæsaris ante pedes, proceres stetit ante potentes,
Accola qua Rheni Vangio littus adit.

Annus Pathmi 1522.

Carlstadij ob furias ad Saxona tecta cucurrit;
Faucibus ex sæuis rursus oues que rapit.

Annus Matrimonij 1525.

Seditio agricolæ ferro est restincta potenti:
Fœdera coniugij casta Lutherus init.

Annus Conuentus Marpurgi 1529.

Marpurgi cœnæ Christi ferit acriter hostes:
Stabat vt à sæuis cincta Vienna Getis.

Annus Confessionis Augustanę exhitæ Carolo v. Imp. 1530.

Augustæ statibus fidei Confessio cunctis
Proposita est: Christi gloria læta redit.

Annus obitus 1546.

Nona bis obscuro lux Februa constitit ortu:
In patrio vt moreris, clare Luthere solo.

Est & inter illos Theodorus Beza non postremus ita canens:

Roma orbem domuit, Romã sibi Papa subegit;
Viribus illa suis, fraudibus ille suis.
Quanto isto maior Lutherus, maior & illa
Istum illamque vno qui domuit calamo.
I nunc Alciden memorato Gracia mendax:
Lutheri ad calamum ferrea claua nihil.

At Maior ille poëta maximus quid non vno hoc canebat Disticho?

Lutherus DECIMVM *confecit strage* LEONEM:
De claua noli quærere, penna fuit.

Lauterhius vt in cæteris omnibus ita & hic grauissimè.

In terras prono rueret ne pondere cœlum;
Supposuit cœlo brachia magnus Atlas.
Cum dulci rueret ne tellus Teutona pace:
Suffulta est precibus, magne Luthere, tuis.
Doctor Atlas omnis sincerus vertice mundum
Sustinet: effundit cum pius ore preces.

Pastor in Hammonis sacra pabula præbuit urbe
Æpinus gregibus Rex pie Christe. tuis

JOANNES ÆPINVS
Theologus.

IOANNES Æpinus Hamburgi natus est, liberâ Saxoniæ Ciuitate, is postquam multiplicem linguarum artiumque eruditionem sibi comparasset, primus ex Euangelicis Sacrosanctæ Theologiæ Doctor salutatur, VVitebergæ anno 1530. habuit autem in eo actu *Casparum Crucigerum, & Joannem Bugenhagium* socios Doctoratus Insigniorum. Postea ordinatus est in supremum Ecclesiæ Hamburgensis pastorē & antistitem. Præfuit illi vocationi annos circiter 20. summa cum fide & diligentiâ, adeò vt perpetuò & diuino plane numine sacrosanctam & incontaminatam conseruaret fidem & religionem Ecclesiarum Saxonicarum contra Edictum Cæsareum, quod Augustæ Vindelicorū de re Ecclesiastica erat promulgatum, INTERIM nomē præ se ferens, donec scilicet Synodo Oecumenica decerneretur,

quid de ea futurum esset amplius; incidit in annum 1548. Tandem Hamburgi in patriâ obijt plurimis de religione libris scriptis,& de republica Christiana optimè meritus, Anno nimirum 1553.3.idus Maij. anno ætatis 54. Scripsit,in Psalmum quendam Dauidis commẽtarium in quo de iustificatione, de vita Christiani hominis, de votis & iuramentis, de consuetudine impiorum vitanda, de vsuris, de contractibus, de reditibus, de corruptelis in iudicio sincerè agitur, alijq; nõnulli loci diligenter explicantur. scripsit libellum de sacris cõcionibus formandis, impressum cum aliis eiusdem argumenti libellis: item librum de iustificatione hominis, de operibus legis,de fidei iustitiâ & origine, de fidei discrimine & virtute. De notis & signis iustificationis,fidei & hominũ iustificatorum, de imbecillitate & peccatis sanctorum, de discrimine peccatorum, de præmiis fidei & bonorum operum, cum confutationibus argumentorum, quæ ab aduersariis adduci possunt.fecit enarrationẽ in Psalmum 69. in qua hæc continentur: Descriptio Messiæ & regni eius: quibus armis mundus Christiano expugnandus & subiiciendus sit:quomodo colligenda Ca-

da Catholica Christi Ecclesia: quod sit eius regimẽ, & quæ ipsius defensio & ppagatio. Quæ virtus & efficacia Ecclesiastici ministerii. Breuem explicationem etiam articuli fidei de descẽsu Christi ad inferna fecit: item, cur afflictionibus Ecclesia DEI exerceatur. Congressus ecclesiasticos sedulò custodiendos & tuendos. Fecit epitomen Historiæ de Iudaici regni excidio, & de quibus nos admonet ex Historia. Prophetiam item de Iudæorum abiectione, & Gentium electione & vocatione. Huius Philippus Melanchthon hisce versibus Encomion decantauit:

Hæc est Æpini Doctoris imago Ioannis,
Qui docuit castè dogmata pura DEI.
Saxonicoq; pios cœtus in littore rexit,
Fulsit & exemplis integra vita bonis.
Urbis vbi Hamburgæ stant ardua Mœnia claræ
Massiliæ veteris quæ decus omne tenet.
Et superat meliore bono quod præbet honestum,
Et fidum hospitium maxime Christe tibi.
Inde etiam Æpinus vigilans & pectore firmo
Errorum fucos depulit atq; dolos.

Ergo

Ergo DEO grates tanto pro munere dico:
Vtq; regat semper pectora nostra peto.
Et faciat semper nos vnum vt simus in ipso,
Æterni gnatus quod petit ipse Patris.

ANDREAS GERARDUS HYPERIUS Theologus.
Hyperius sacros felix exponere libros
Claruit eloquio vir pius, ore gravis.

ANDREAS GERHARDVS
Hyperius Theologus.

ANDREAS Gerardus Hyperius, vitale lumen primum Hyperis aſpexit, quod inclytum eſt Flandrię oppidum, anno 1511. Patrem habuit Andream Hyperiū clariſſimum apud Hyperas Iureconſultum; is vbi per Flandriam varia Gymnaſia perluſtraſſet, tandem Pariſiis & Louanij Philoſophiæ pariter ac Theologiæ ſtudiis eruditus fuit. perluſtrauit ferè vniuerſam Italiā, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, & Britanniam, vitā ſtudioſam & academicam perpetuo ſectatus. Demum Eccleſiæ & Scholæ Marpurgi Profeſſor conſtituitur, anno 1542. in qua ipſe diuinas & humanas literas, vir citra controuerſiam eruditiſſimus ſimul ac diligentiſſimus, totos annos viginti duos docuit. At ne mortuus quidem vniuerſam Eccleſiam Chriſti libris ſcientiſſime ſolidiſſimeq; ſcriptis erudire informareq; deſinit; plus equidē multo poſte-

ris relicturus, nisi maiorē vtilitatis publicæ, quā valetudinis curam gerentem intempestiua mors sustulisset. Excessit itaq; rebus humanis anno domini 1564. Cal. Febr. annum vitæ agens 53. sepultus Marpurgi Hassorum, quod Eteostichon sequens eleganter exprimit:

Flandria quem genuit Hassia nostra tegit.

Scripsit commentarium de honorandis magistratibus, in quo Psalmus 20. Exaudiat te Dominus, enarratur. Item in Psalmum 12. Saluum me fac domine, in quo oratur, vt dominus extirpatis omnibus erroribus synceram doctrinā vbiq; promoueat, paraphrasin. Scripsit etiam de formandis cōcionibus sacris, seu de interpretatione scripturarū populari libros duos. Item in Epistolam ad Romanos exegemata, in quibus partium dispositio clarissime ostenditur. Scripsit de recte formando Theologiæ studio. De sacræ scripturæ lectione ac meditatione quotidiana libros duos. Methodi Theologiæ libros duos. Topica Theologica. Catechesin. Postremò vno volumine edita sunt sequētia opuscula. De sacrarum literarum studiis nō differendis. De institutione nouorum collegiorum, in quibus iuuentus eruditur ad susc-

cipien-

cipiendam Ecclesiæ gubernationem. De publico studiosorum in schola Theologica examine. De Catechesi. De fide hominis iustificandi, ac de fide operibusque hominis iustificati quæstiones. Christum nō instrumentalem modo esse salutis nostrę causam, verùm etiam efficientem & principem. Nō esse aliam iustificationis viam, quàm qua Abraham iustificatus est, per fidem scilicet absque operibus. De spiritu & literâ. Conciliatio horum locorū, qui legem factis exprimunt, iusti habentur, ad Romanos 2. &, ex operibus legis nemo iustificatur, ad Rom. 3. & similiū, qui pari modo videntur inter se dissidere. De hominis merito apud DEVM. Historiam quæ legitur 2. Machabæorum de donariis missis Hierosolymam ad sacrificium pro expiandis peccatis mortuorum, parum esse efficacem ad comprobandum, mortuis ad salutem prodesse missarū celebrationem. Verba Pauli 1. Cor. 15. De his qui baptizātur pro mortuis, paulo aliter quam à nonnullis hactenus factum est, distincta & exposita. De Synodis annuis. De publica in pauperes beneficentia. De feriis bacchanaliorum, quodq; apud Christianos locum habere nullo modo debeant, omnia hæc

simul impressa sunt. Eiusdem opusculorū theologicorum pars secunda continet hos libros: De piorum auditorum in diiudicandis doctrinis officio. De prouidentia DEI, & consolationibus contra omnis generis pericula ab ea petēdis, cum enarratione Psalmi 107. De probatione sui ipsius. Consultatio de coniugio ministrorum Ecclesiæ. Vtrum eorum sententia qui Babylonem in Apocalypsi, interpretātur significare vrbem Romam recipi vlla ratione queat. De his qui DEO patri ita summā tribuunt dignitatē, vt filium cōstituant inferiorem, & patri inæqualem. Præcepta Decalogi aliter olim digeri solita, atq; nunc vulgo cernuntur digesta, superque ea re veterum tàm Hebræorum, quàm Græcorum & Latinorum sententiæ. Ad verba illa Apostoli 2. Corinthiorum 3. Epistola mea vos estis, & DEVS idoneos nos fecit ministros noui testamenti. De veris Apostolatus, Doctoratus & similium graduum Insigniis, proposita quædam. De sacramentis in genere, vbi nonnulla de circumcisione & Baptismo. Super verba Apostoli ad Romanos 2. Iustificantur autem gratis per gratiam, tum de locutione illa, qua dicuntur iustificari homines sola fide. Quomodo

modo intelligendū quod Apoſtolus ait ad Rom. 1. homines à DEO in reprobam mentem tradi: tum quomodo peccata peccatis puniantur. Scripſit etiam de ratione ſtudij, ſcripſit Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Geometrica, Coſmographica, Optica, & Aſtronomica quædam: item Phyſica, Scholia ad decem libros Ethicorum Ariſtotelis. Item Obſeruationes locorum in eas Euangeliorum particulas, quæ ſingulis Dominicis recitari in Eccleſiis conſueuerunt. De ſtudioſorū vita & moribus. Exegemata in omnes D. Pauli Epiſtolas. Feriarum Scholaſticarum lib. 12. De ordinanda Eccleſia lib. 6. Verùm ex his quędam morte præuentus non abſoluit. Poſt eius ex hac vita exitum *Laurentius Hyperius Andreæ Hyperÿ filius*, quædam parentis ſui opera edidit, & in ea præfatus eſt, veluti Eſaię prophetæ oracula, annotationes breues & eruditas. Compendium Phyſices Ariſtoteleæ & alia. Eiuſdem Commentarij in Epiſtolas ad Galatas & Epheſios. In Epiſtolas ad Philippenſes, Coloſſenſes & Theſſalonicenſes ambas, cum indice gemino. in Epiſtolas D. Pauli ad Timotheum, Titum, Philemonem. & D. Iudę cōmentarij, nunc primum opera *Ioannis Mylij* in lu-

in lucem editi sunt: Eum Nigidius in suo Marpurgensium Professorum Catalogo tali cohonestauit eloquio:

PETRVS NIGIDIVS Senior.

Hyperium terræ flentes mandauimus omnes,
Ah dignum innumeros viuere posse dies!
Fortuna inuidit, iussitq́, abrumpere fila
Atropos, heu quantum sustulit illa virum!
Hic potuit sacros felix exponere libros,
Scripta prophetarum nota fuere satis.
Legerat hic pariter veterum monumenta virorũ,
Eloquio clarus, vir pius atque grauis.
Doctrina præstans, cunctis virtutibus auctus,
Notus & Eois Hesperiisq́, plagis.
Ecquis enim nescit scripta illius, aurea scripta?
Artis & ingenij nobilioris opes.
Hunc legite ignari sacrorum sacra professum,
Syncera mentes imbuet ille fide.

CASPARUS CRUCIGER Lipſenſis. S Theologus Doctor
B.
Nuſc. Lipſiæ,
A. 1504
Ob. Wittebergæ
A. 1548
De Cruce quj clarum nomen Caspare meteris.
Militiæ tantæ ſignifer ecquis eris.

CASPARVS CRVCIGER
S. Theologiæ D.

ASPAR Cruciger patriâ Lipſenſis fuit, natione Miſnius, natus Kal. Ianuarij anno 1504. Vſus autem eſt in patria Præceptore Caſparo Bornero, & Petro Moſellano domeſtico pædagogo, idque amplius quadriennio. Studiorum ſuorum Colophonem VVitebergæ impoſuit, triumque linguarum egregie peritus factus fuit. Erat præterea omni liberali arte & doctrina politus, præſertim Mathematum & Phyſicæ, & Medicinæ ſtudiis excelluit. Poſtea ſummum Doctrinæ gradum in Theologia eſt adeptus, Doctorque ſalutatus, quam non viua ſolum voce, ſed & ſcriptis amœniſſimi ingenij, & fidei ſanctiſs. teſtibus plurimũ illuſtrauit atque propagauit. Fidus Chriſti præco & fidelis Martini Lutheri in opere Dominico cõficiendo adiutor & ſocius. Tandem obiit VVitebergæ in ſtatione ſua ſtrenue conſiſtens, corporis

viribus ingenium minimè adæquantibus, florente adhuc ætate, anno vitæ confecto 45. anno verò ſalutis 1548. die 16. Nouembris. Petri Lotichij Muſam ſummæ gratiæ elegantiæque ergò ſubiiciam: ita vero canit illa;

Ore tribuſque potens linguis & pectore Gaſpar
Talis, adhuc vita cum frueretur erat.
Gaſpar ouile DEI qui rexit, vimq; luporum
Reppulit, & iuuit relligionis opus.
Luſtra ſui ſeptem vix luce peregerat aui,
Funere ſublatus cum fuit ante diem.
Lucida, nunc coràm cœleſti ſede receptus,
Quæ prius ingenium calluit, aſtra videt?

Scripſit commentarium in Epiſtolam Pauli ad Timotheum priorem: item Orationem de ordine diſcendi habita in promotione Magiſtrorum. Idem ſcripſit commẽtaria in Euangelium Ioannis: item in Pſalmos: Enarrationes in duos articulos Symboli Niceni. Magnam partem enarrationum & Concionum Martini Lutheri excepit in Scholis & Templis, & eiuſdem multa in Latinam aut Germanicam linguam tranſtulit. Eiuſdem explicatio germanica Pſalmi 22. ad formulam

lam precationis pro Christiano magistratu accommodata, publicè habetur.

IUSTUS IONAS S. Theol. Doct.
B.
Nasc. Northusiæ.
A. 1492
Ob Eisfeldæ in Francia
A. 1555
Iustior ut Iona te non foret alter, utrunq;
Sacrorum atq; fori ius tibi Iuste paras

IVSTVS IONAS
S. Theolog. Doct.

IVSTVS Ionas patriam habet veterem illam ciuitatē Imperialem apud Cheruſcos Northuſiam, vbi anno 1493. in lucem editus eſt; is ſimulac prima liberalium artium ſtudia percepiſſet, primum Iuri ciuili operam dedit, & inſignem in ea facultate ſibi acquiſiuit ſcientiam; conſilio tamen mutato ex conſulto humani Iuris, factus eſt ſacræ Theologiæ, quæ diuini Iuris magiſtra eſt, Doctor clariſſimus; vir ſummi ingenij & magnæ induſtriæ: vnde diuinarum literarum profeſſor, & deinde Prępoſitus Templi VVitebergæ conſtituitur; quo tempore comes cōſtantiſſimus fuit in acerrimis illis tempeſtatibus filiorum magni illius Principis Electoris IOANNIS FRIDERICI: & fidus adminiſter Lutheri in reſtituendis Saxoniæ Eccleſiis. Fuit autem omnium rerum in religionis cauſa per Germaniam geſtarum auditor ipſe & conſcius. Demum conſtituitur antiſtes Eccleſiæ in Sali-

Salinis Saxonicis,&totius illius Diœceſeos inſpector & reformator. in cuius etiam veluti ſinu M. Lutherus animam ſuam DEO moriens commendauit. Tandem Eisfeldæ in Francia oriẽtali oppidò ſancti Paſtoris munere perfunctus, ſumma cum pietate vitæque innocentiâ obiit ſancta morte, anno ſalutis 1555. Ætatis anno 63. 9. Octobr. Scripſit in Fabrũ ſcortationis patronum, pro coniugio ſacerdotali defenſionem. Orationem de ſtudiis Theologicis. Annotationes in acta Apoſtolorum. De miſſa priuata & vnctione Sacerdotum Libellum Martini Lutheri è germanico in latinum tranſtulit. Enarrationes nouas Martini Lutheri in Ionam Prophetam ab eodem ipſo latinę redditæ ſunt. Eiuſdem Lutheri librum de Iudæis & eorum mẽdaciis latinum fecit. Scripſit etiam libellum cõtra VVicelium. De eo præclare cecinit Ioannes Stigelius, his verſibus:

IOANNES STIGELIVS.

Quæ tibi ſit docta Iona facundia lingua,
Iampridem notum Rhenus & Iſter habent.
Largior à ſummo ceu defluit æthere nimbus,
Sic fluit eloquij copia larga tui.

Nam

Nam tua seu teneat suspensam copia plebem,
Vix puto sic aliquem Nestora posse loqui.
Seu reddas Latio sanctos sermone prophetas,
Pendet & à verbo docta caterua tuo.
Seu tua victuris mandes pia dogmata chartis
Eloquij currunt flumina magna tui.
Quali lactifluo depromit Liuius ore.
Conditor historiæ Roma vetusta tuæ.
Conseris at quoties cum magno verba Philippo,
Crediderim Crassum cum Cicerone loqui.
Quod si fert animus facundo ludere versu,
Carmine par magnis Vatibus esse potes.
Siue iuuat tacitas naturæ inquirere causas;
Hic etiam ingenij Vena diserta tui est.
Quæ sit & ingenuæ prorsus non improba mentis
Atque omni grauitas asperitate carens.
Quis sit amor, quæ sit pietas, quis candor in omnes,
Vix elegis videor dicere posse meis.
Officia officiis, & amore lucraris amorem,
Vtq; hominum celebret te genus omne facis
Viue diu felix multosque superstes in annos
Perpetuo Vatum carmine digne cani.

Nec minus eleganter Eobanus de eodem cecinit:

Lingua nobilis, ore fulminator,
Cui mentem Genius dedit beatam,
Dignum cœlo animum parente: Iuris
Humani simul, & sacri peritus.
Et Vates bonus, & Sophus disertus,
Hic est nomine IVSTVS ipse IONAS.

GEORGIVS MAIOR
THEOL. WITEBEG.
Nascitur Nomb. A. 1502.
obiit Witebergæ A°. 1574
Quit majus MAIORE putas quid dignius illo
Namq; docenda facit et facinda docet

GEORGIVS MAIOR
Theologus.

GEORGIVS Maior natus in vrbe Imperij Norimbergâ, anno 1502. à primâ ſtatim adoleſcētiâ omnes pariter diſciplinas auidiſſime imbibit; vnde optimarum artium Magiſter primo VViteberge creatus fuit, ac deinde SS. Theologiæ Doctor ibidem autoritate publica renunciatus. Eam multis annis non ſolùm in Academia, verùm etiam in Eccleſia publice priuatimq; docuit, cum ſingulari laude induſtriæ & prudētiæ atq; eloquentiæ, claruit in celebri VVitebergenſi Academia profeſſor editis commentariis & eruditis lucubrationibus literariæ reipubl. accommodatis. Tandem ſenex obiit, in eadē vniuerſitate anno ſalutis 1574. ætatis anno 72. 28. Nouemb. Scripta eius quæ in vnum collecta publicata habentur tomis tribus diſtincta hæc ſunt. Primus Tomus continet Enarrationem Epiſtolarum S. Pauli. Secundus Homilias

milias in Epiſtolas dierum dominicorum & feſtorum. Tertius homilias in Euangelia dominicalia & dies feſtos. Porro præter hæc ſeparatim edita ſunt: Commonefactio ad Eccleſiam Catholicam, orthodoxam, de fugiendis & execrandis blaſphemiis Samoſatenicis, Arianis, Eunomianis & aliis cõtra Blandratam, & alios nonnullos huius ſectæ renouatores: addita eſt doctrina de ſancta Trinitate refutationis loco: Repetitio & poſtrema declaratio doctrinæ de iuſtificatione hominis coram DEO, germanice. Oratio de confuſionibus dogmatum veteribus & recentibus in Eccleſia excitatis ab hominibus Fanaticis. Enarrationes Epiſtolæ ad Hebræos. Conſolatio contra terrorem mortis, germanice. De Germanica Bibliorum interpretatione admonitio & confutatio cauſarum ob quas eorum lectione laicos arcent Papiſtæ, item mendaciorũ quæ ſpargunt contra Lutheri translationem. Septem partes Homiliarum in Euangelia Dominicalia & dierum feſtorum. Admonitio dẽ extremo iudicio ad conſolationem fidelium, & terrorem impiorum neceſſaria hiſce afflictis temporibus, germanice. Explicatio trium ſacrorũ carminum

noui

noui fœderis, Beatæ virginis, Zachariæ, & Simeonis, germanice. Annotationes in Iustini Historias. Vita patrum, cum præfatione Martini Lutheri. Tabula in Rhetoricam Philippi Melanchthonis, & Des. Erasmi Roter. de Copia libellum, impressa Argentorati, cum Petri Mosellani Schematibus. Elegantiores aliquot parabolæ ex Erasmi Roterodami Similib. in puerorum vsum selectæ & in locos communes redactæ, indicatis autorum locis, ex quibus singulæ sunt conquisitæ, liber impressus Magdeburgi. Sententiæ veterū poëtarum per locos communes digestæ. De Origine & autoritate verbi DEI, & quę Pontificum, Patrum & Conciliorum sit authoritas admonitio. Catalogus doctorum Ecclesiæ DEI à Mundi initio ad nostra tempora. Refutatio horrendæ prophanationis cœnæ Domini. De arbore consanguinitatis & affinitatis regulæ eiusdē, & tabellæ. Quæstiones Rhetoricæ ex Cicerone, Quintiliano & Philippo Melanchthone excerptæ, & cum Orationibus aliquot excusæ: Ioannes Maior Ioachimicus Poëta hæc super ipso cecinit:

IO-

IOANNES MAIOR IOACHIM.

Qui donis animi mensuram nominis implet,
Hac tibi Maiorem parua tabella refert.
Cui linguam Charites, cui Pleiade natus acumen,
Facundosq; dedit Suada canora sonos.
Sed non Mercurius, si vellet, pingere posset,
Ingenium scriptis pinxit vt ipse suis.
Nec tamen effugit deliri iurgia Flacci:
Qui furit in fatum Teutonis ora tuum.
Gratus amor cerebro est, quẽ mollis amarac⁹ edit,
Sed necat immundas illius aura sues.
At tu Maior eris, rumpantur vt ilia Flacco:
Cum fidei fructu, perge docere fidem.

MATHIAS FLACCIVS ILLYRICVS Theologus.
B.
Nascitur Albonæ
Anno 1520.
Obijt Francofordij
Anno 1575.
Quod scelus et totus sis culpa diserte Mathia:
Incusare alios desine culpa tua est

MATTHIAS FLACIVS *Illyricus.*

MAtthiæ Flacio, Albonæ, Illyriæ oppido, ex veteri & ingenua Flachiorum familia nato pater fuit Andreas Flachius, vir integer & honestus; mater Iacoba Lucia, ex nobili ibidem Luciorum familia. Ille autem cum indole esset præclara, literarum artiumque opt. studiis à parentibus consecratus Francisco Ascerio Mediolanensi, viro doctissimo, præceptore vsus est. Doctrinæ eruditæ fundamentis Albonæ iactis Venetias missus est sub disciplinam Clarissimi viri Iohannis Baptistæ Egnatij. Porro annos natus 17. religiosi & prę-clari viri Baldi Lupatini, Frāciscanorum Prouincialis, propinqui sui, consilio Theologiæ se dedidit; inq; celeberrimā Basilienſium Academiam se contulit. Baldus autem ille paulo post Lutheri nomine in suspicionem hæreticæ prauitatis incidit, adductusq; Venetias vigesimum ibidem annum carcerem, tandemq; mari submersus sup-

plicium, Lutheranæ confeſſionis ergò, fortiſſimè ſuſtinuit. Cæterum Baſileæ Flacio hoſpes cõtigit & præceptor D. Simon Grynæus, vir clariſſ. anno Chriſti 1539. quo finiente ad ſuum gentilem Matthiam Garbicium Illyricum, literarum Græcarum profeſſorem, Tubingam ibat. Anno demum Chriſti 1541. VVitebergam profectus eſt, hoſpitem nactus venerandum & doctiſſimum virum Fridericum Bachouium, Eccleſiæ VVitebergẽſis miniſtrum: qui paulo pòſt, tentationes eius ex ſenſu iræ diuinæ aduerſus hominum fœditates & peccata, ex prædeſtinationis item myſteriis, conceptas, ad DD. Pomeranum & Lutherum retulit: à quibus deinceps fuit ſacrarum literarum conſolationibus confirmatus, & ad profeſſionem publicã linguę ſanctę promotus anno Chriſti 1544. Sequenti vero, Magiſterij dignitate ornatus de illorũ, quos dixi, Theologorum cõſilio duxit vxorẽ. Conflato demũ bello Schmalcaldico, & ſcholis Saxonicis diſſipatis, relictâ VVitebergâ Brunſuigam profectus eſt, inuitatus à clariſſimo D. Medlero. Sedatis nõnihil armorum facibus VVitebergam ad profeſſionẽ ſuam redijt, anno 1547. Sed mox ex vulgato illo Interim exiſtentibus

ſtentibus inter Theologos Miſnicos & Saxonicos diſſidiis, ipſe, qui à priori Lutheranorū confeſſione nihil remittendum putaret, inuiſus collegis ſuis Magdepurgū migrauit, ſine vlla ſtipendij promiſſione. Libera enim ibi Euangelij confeſſio retinebatur, licet vrbs ea toto ab Imperio proſcripta & multis periculis expoſita eſſet. Ibidē multo confidentius contra Papatum, Adiaphora, & alias Lutheranæ ſiue Auguſtanæ Confeſſionis corruptelas ſcripſit. In Oſiandrū quoq; primus calamum ſtrinxit, & Schvvenckfeldium reprehendit. Interea & illos Centuriarum Magdepurgenſiū nomine celebres Eccleſiaſticæ hiſtoriæ commentarios adornauit, adiutus cumprimis à nobilibus & præſtantiſſimis viris D. Caſparo Nidpruck, Conſiliario Cæſario, & Ioh. Bapt. Heinzelio Auguſtano; atq; aliis nonnullis: laboris etiam iſtius ſocios conſecutus cum alios tum Nicolaum Gallū, Iohannē VVigandum, & Matthæum Iudicē. Hæc agēte ad Albim Flacio, ſcholam nouam inſtituebant Ihenæ Duces Saxoniæ. Eò igitur ille ad docendas ſacras literas vocatus profectusq; eſt anno 1557. Paucis vero ibi annis exactis inter ipſum & præſtantē Rhetorem, Phi-

logumq; disertissimum, Victorinū Strigelium, ortis super Libero, quod vocant Theologi, arbitrio dissidiis, exulauit denuo cum multis tum Academiæ tum prouinciæ à Victorini libero arbitrio abhorrentibus Theologis: & fuerunt qui istas hominum sacratorum profligationes & exilia Gothæ deinceps & aliis excidia peperisse putarent. Ihenâ igitur abijt Illyricus, & ad Istrum profectus est Ratisbonam, nō feriatus quidem, neq; ocio deditus, sed perpetuis literarum sacrarum studiis intentus. Scripsit enim ibi argumenta in 60. Psalmos Dauidicos; Admonitionem ad gentem sanctam de corrigendo Canone Missæ: admonitionem de vitando Contagio fermenti Adiaphoristarum. Libellum de cauendis in religione Christiana mutationibus: item de vera & falsa differentia: contra Interimistas & Adiaphoristas, &c.

Antuerpiam vocatus anno Christi 1567. reformandæ ibidē Religioni operam dedit, vnà cum Spangenbergio, Hamelmanno, &c. & remigrans Argentinæ substitit, atq; ibi notum illud Glossæ Noui Testamenti opus edidit. Francofordiam tandem ad Mœnum cōcessit, vsus præstantium

ibi

ibi virorum patrociniis : cum cæteroquin inter fratres ipſius ortis ſuper dogmate de peccati originalis eſſentia rixis, à plerisq; deſereretur inſimulatus hæreſeos Manichaicę; paucis ipſum defendẽtibus, & Lutherum eandem tenuiſſe ſententiam affirmantibus: Veruntamen ille Manichæus audiit, atque diem ita obiit Anno Chriſti 1575. ætat. 55. V. Id. Menſ. Mart. Adfuit decedenti præter alios Cl. V. D. Adamus Lonicerus, Reip. Francofortenſis archiater. Exequias funebres concione in publicum editâ decorauit M. Caſparus Heldelinus Cronbergenſis Eccleſiæ paſtor. epicediis atq; Epitaphiis verſibus Dn. VVendelinus ab Helbach. D. Iohannes Fraxineus, Poëta Cæſarius; Chriſtophorus Irenęus, Paulus Reineccerus, Marcus Volmarius Theologi: Præter illa quæ ſuperius dixi opera, edidit & alia complura: vt Epiſtolas & Apologias inſtituto ſuo accommodatas. Item libellum de vera Chriſti & falſa Antichriſti doctrina: Contra primatum Papæ: ſententiam miniſtrorum Chriſti in Eccleſia Hamburgenſi, Lub. Lun. Magd. Hiſtoriam certaminum inter Romanos Epiſcopos & ſextam Carthaginienſem Synodum, Africanaſq; Eccleſias: Pia quædam vetuſtiſſima

Poë-

Poëmata, Antichriſtū eiuſq; ſpirituales inſectantia: Catalogum teſtium veritatis, qui ante Lutherum Antichriſto reclamârunt: Ethnicam Ieſuitarum doctrinam de expiatione peccatorum & Iuſtificatione. Diſputationē de religione cum Doctoribus Ieſuitis habitam Fuldæ Anno 1573. Clauem item ſcripturæ: & alia ferè infinita, tam edita, quam nondum edita; quæ ſi ſingula enumerare velimus, aliquod pagellas inpleremus. Interea ſanè Gloſſa in vetus Teſtamentum adhuc premitur à multis expetita.

PAULUS EBERUS Theologus et pastor wittebergen
Nasc Kitzingæ in Franc
An. 1511.
Obijt Wittebergæ
An 1569
Ingenio Virtute Fide simul ore diserto
Præclaros inter clarus Eberus erat.

PAVLVS EBERVS
Theologus.

PAVLVS Eberus Kittingæ Franciæ orientalis oppido natus, post patriæ scholā ad spem vberioris doctrinę Onolsbachium primo cōmigrauit, sed æger anno vix exacto in patriam reuersurus, ab equo consternato raptatus, multis corporis partibus miserabiliter luxatis, magnā valetudinis suæ passus est iacturam: qua iterum confirmata, VVitebergam proficiscitur, homo in omni iudicio elegantissimus, Philosophiæ pariter & Theologiæ studiis summe deditus, summos in vtraque sapientiâ tam diuinâ quàm humana honores cum laude ibidem promeritus fuit: tandem professor vtriusque eius Philosophiæ in Academia VVitebergensi annis circiter triginta octo clarus ac eloquens; Pastor præterea Ecclesiæ & antistes verus vigilansque, sacræ Historiæ & Philologiæ in primis studiosus, quam & cōpluribus ingenij monumen-

numentis egregiis plurimum illustrauit, & ad posteros propagauit, pie sancteque obiit VViteberga x. Decembris die, anno salutis 1569. Ætatis LVIII. Scripsit Historiam populi Iudaici, à reditu ex Babylonico exilio, vsque ad vltimum excidium Hierosolymæ. Calendarium Historicum, in cuius præfatione de eius vtilitate & mensium apud diuersas gentes varietate tractat; qui libellus post obitū eius à filiis, nouis Historiis auctus, atque in germanicam linguam etiam translatus est. Scripsit præterea tabulam in qua maiorum Christi Catalogus à Matthęo & Luca scriptus exponitur. Explicationem Euangelij quod secunda dominica Aduentus recitari solet, de aduentu Christi ad iudicādum viuos & mortuos duabus homiliis comprehensam germanicè. Cantilenas aliquot pias & suaues 4. & 5. vocum, quibus Ecclesia celebrat memoriā incarnationis filij DEI collegit. Eiusdem institutio Germanica de sancto sacramento Corporis & sanguinis IESV Christi. Item Euangeliorum Dominicalium expositio diligēs & ingeniosa, multa vtilissima continens habetur publicè. Fecit argumenta in Psalterium. De eodē hosce Schosseri versus habeto:

Hos

Hos quicunq; vides infirmi corporis artus,
Quos tibi Pictoris parua tabella refert.
Consilium perpende DEI, qui splendida mundo,
Visa, putat regno non satis apta suo.
Eligit infirmos per quos Ecclesia Christi
Docta, salutarem possit habere fidem.
Ille etiam praiens iuuat instrumenta salutis,
Praesidioque leuat membra pusilla suo.
Et nunc parua licet sit vox, & corpus Eberi,
Ipse per hunc optat notior esse DEVS.
Ergo prius celebres docuit qui sedulus artes,
Aetherio sacras nectare pascit oues.
Quid spectas teneros artus? in corpore paruo
Sape etiam Pietas ingeniumq; viget.

Habeto & hos Stigelij Poëtæ:

Colligis è priscis quod idonea tempora fastis:
Quod cœlum & cœlo tempora lapsa notas.
Paule, tibi referet meritas Ecclesia grates,
Hac etiam speculum qua videt arte suum.
Paule, tibi referet meritas Respublica grates:
Cui suus hoc studio vindice constat honos.

Et iam fata tuis aſpirant mollia chartis,
Sentit & æternos pagina viua dies.
Adiiciunt Muſæ lætæ frondentia tauro
Serta, Aganippæi fonte rigata iugi.
It comes aſpirans animum ſenſumque libello,
Ætatum Genius ſemina longa trahens.

Quam præ te ferens doctrinam, docte Mathesi,
Præ se ferri ipsum nominis indicium.

IOANNES MATHESIVS
Theologus.

IOANNES Matheſius Rochlicij Miſniæ oppido natus anno 1504. variam multijugamque eruditionem ſibi VVitebergæ cõparauit, ſub optimis & clariſſimis doctoribus M. Luthero & Philippo Melanchthone; primo factus eſt Ludi literarij magiſter, ac deinde Paſtor Eccleſiæ in Valle Ioachimica equidem vigilantiſſimus pariter & fideliſſimus. Tanta fuit pietate, & tàm eximia conſtantia, tot in illo virtutes fuerunt, adeò admirabilis ac pene diuina facundia & in docendo dexteritas ſingularis, vt nunquam ſatis dignè prædicari poſſit. Tandem pro Concione finem vitæ ſuæ præſagiens, ſuæque Eccleſiæ valedicens mortuus eſt Apoplecticus anno Chriſtiano 1565, ætatis ſuę anno 51. Non. Octobr. Reliquit poſt ſe Theſaurum piæ poſteritati perpetuò fruendũ; Expoſitionem videlicet præcipuorum dogmatum fidei noſtræ.

Explicationem Psalmi 133. Quæstiones de Confessione, absolutione, Sacramento altaris. Item quam consolationem ex Baptismo pœnitens homo percipiat: Consolationem tempore pestis ex primo libro Paralipom. 27. cap. Psalmo 91. & Esaiæ cap. 39. quę omnia germanicè scripsit, vt & Historiam de vita, morte, resurrectione, ascensione in cœlos, sessione ad dextram DEI patris, extremo iudicio Domini nostri Iesu Christi. Conciones quadragesimæ de salutari consideratione passionis & mortis Christi. Sareptam. Expositionem omnium locorum scripturæ sacræ, in quibus aliqua rei metallicæ fit mentio; additum est Chronicon Vallis Ioachimicæ. Postillam germanicam seu expositionem Euāgeliorum Dominicalium & dierum festorū totius anni. Libellum precum. item alium precum libellum pro coniugibus. item de Christiana Oeconomia, & mundo matronæ Christianæ. De vita Lutheri librum germanicum. De sapientia, Iustitia, sanctificatione libellum germanicum. item institutionē de Catechismi Lutheri declaratione ministrorum Ioachimicæ vallis. Elogium illi scripsit Mentius, quod elegātiæ ergò subiicere placuit: est autē tale.

MEN-

MENTIVS.

Talis erat docti facies veneranda Matheſi:
Quando fidem Chriſti voce profeſſus erat.
Patria Rochlicium eſt, ſed Leucoris alma fidelem
Diſcipulum adiunxit ſancte Luthere tibi.
Ex Sophiæ ſtudiis fructum percepit, & ipſi
Eximium attribuit Pallas in arte gradum.
Fraterno coluit, quem magnus amore Philippus,
Quique ſacer Templi tector Eberus erat.
Valle Ioachimicâ munus Doctoris obiuit:
Arguit & fraudes impie Papa tuas.
Quin etiam vicit diuina voce cateruam,
Sacra petit variis quæ tua Chriſte dolis.
Sola hic ora vides; ſi vis & cernere pectus,
Scripta lege; & noſces pectus & ora viri!
Corpus habet tellus: mens viuit in æthere, donec
Iungatur carni rurſus, vt ante, ſuæ.

EPITAPHIVM CALAMI-
nus fecit tale:

Hoc Matheſius eſt loco ſepultus,
Qui cum ſingula, quæ docet Matheſis

Calleret; tamen huic DEI Matheſin,
Verbi ſcilicet enthei Matheſin,
Humanæ antetuli pius Matheſi.
Nunc cœlo viget, ac videt, quot vnquam
Chriſto pectora cœlitus renata
Conquiſiuit, & imbuit Matheſi
Et quæ non licuit videre carni
Aut inquirere; iam perenne plena
Rerum mens erat omnium Matheſi.

Multa legis, sed plura doces, quin plurima scribis.
Sellneccere, animæ nectar & ambrosia.

NICOLAVS SELNECCERVS
Theologus.

NIcolaus Selneccerus Theologiæ Doctor & eiuſdem Profeſſor in Academia Lipſenſi vixit annis LXII. is ſibi ipſi hoc ſcripſit Diſtichon, cuius argumentum facile tum modeſtiam tum pietatem viri arguit:

Quid ſum? nil. quis ſum? nullus. ſed gratia Chriſti,
Quod ſim, quod viuo, quodque laboro, facit.

Scripſit quam plurima, quorum hæc eſt enumeratio: Libellus Collectaneorum, continens tres tractatus de præcipuis capitibus doctrinæ Chriſtianæ, quæ à Papiſtis corrūpuntur & oppugnantur, De ſcriptura, de Eccleſia, de fide & operibus. Explicatio germanica prophetæ Eſaiæ. Reſponſio ad conuitia Flacianorum & acta Colloquij Aldenburgenſis. item ad Cœleſtini conuitia. Aduerſus Catechiſmum Heidelbergenſem, Aduerſus Bezæ interpretationem huius loci, oportet Chri-

Christum cœlo capi. De prosodia in vsum Græcos & Latinos versus scribere discentium. De anima. Epitome in Philosophiam Aristotelis. Libri aliquot Carminum. Pædagogium in quo tota doctrina Christiana tractatur. Annotationes & argumẽta in Librum sapientiæ Salomonis, eiusdemque libri noua ex Græco versio. In Genesim primum Librum Moysis commentarius, addita Chronologia ab initio mundi vsque ad exitum populi Israelitici ex Ægypto. Exemplar Epistolæ scriptæ ad Theologos Academię VVitebergensis de re Sacramentaria. Disputatio Grammatica de interpretatione Græcorum verborum act. II. Catalogus breuis præcipuorum Conciliorum Oeconomicorum & nationalium à tempore Apostolorum, vsq; ad nostram ætatem in Academia Lipsensi dictatus, & post recognitus inserta doctrina de idiomatum communicatione in Christo seruatore. Exegema eiusdem. 1. De vnione personali duarum in Christo naturarum. 2. de idiomatum communicatione. 3. de Cœna domini. Item recognitio analecti. Confessio Germanica. De maiestate Christi. Literæ germanica lingua scriptæ ad Danielem Gresserum de controuersia

circa

circa cœnam Domini. Ad Theodori Bezæ calumnias reſponſio. Oratio de præcipuis Eccleſiæ Doctoribus. Chriſtianæ interrogationes & reſponſiones de Articulo fidei, Aſcendit in cœlum, ſedet ad dextram DEI patris omnipotentis. Item ſumma Chriſtianæ doctrinæ & confeſſionis de cœna Domini, & compendium præcipuorum dogmatum Chriſtianæ doctrinæ. Pſalmi cum breuibus ſummariis & precationibus patribus-familias & eorum liberis. Hiſtoria paſſionis Chriſti ex quatuor Euangeliſtis collecta, addita explicatione germanica. Inſtitutiones Chriſtianæ religionis cõtinentes explicationẽ locorum Theologicorum. Concio prima de abſolutione. Germanica cõcio ex Pſalmo 18. In acta Apoſtolorum annotatio. Carmen paraphraſticum in D. Pauli Epiſtolas. Explicatio in Hieremiã & Sophoniam prophetas. Propoſitiones & quæſtiones in octo libros Phyſicorum Ariſtotelis ad vſum ſtudioſorum ſcriptæ. Libellus Phyſiologicus de rebus naturalibus elegiaco carmine ſcriptus & in eundem annotationes. Libellus Sphæricus. Notatio de ſtudio ſacrę Theologię & de ratione diſcendi doctrinam cœleſtem. Catalogus locorum Theologicorum

gicorum & Philoſophicorum. Oratio de linguarum ſtudiis. Lutheri oratio de ſcholis inſtituendis edita à Selneccero in vſum ſtudioſæ iuuentutis. Ab eodem oratiuncula ad DD. Paſtores habita. Renunciatio Baccalaureorum Sacræ theologiæ; & in hac ſolenni renunciatione oratio explicans Pſalmum 8. Annotationes in Geneſim cum Præfatione in qua ratio redditur de doctrinæ Chriſtianæ capitibus controuerſis, addita eſt Iſagoge in Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium. in tria priora capita Danielis. in Amos. in Abdiam. Poëmatum ſacrorum pars prima, continens paraphraſin Pſalterij, ſeu Carminum Dauidicorum libros quinque. Euangeliorum & Epiſtolarum omnium quæ Dominicis & feſtis diebus in Eccleſia Chriſti proponi debent, Harmoniæ, explicationes & Homiliarum partes tres. Poſtilla in quatuor partes diſtributa. In Epiſtolas Catholicas Ioannis Apoſtoli homiliæ. Euangelium Ioannis Euangeliſtæ & Apoſtoli ex Syra verſione accurate deſcriptum in vſum piæ & ſtudioſæ iuuentutis. In Apocalypſin germanicè. Symbolorum Apoſtolici, Niceni, & Athanaſiani exegeſis fideliter repetens doctrinam perpetuam

tuam Ecclesiæ DEI de præcipuis capitibus & articulis Christianæ fidei, inprimis de diuinitate æterna filij DEI, de vnione Hypostatica duarum naturarum in Christo, de Maiestate filij hominis, de communicatione idiomatum, de cœna Domini. De hypostatica naturarum in Christo vnione Themata. Libellus breuis continens collationem locorum textus Biblici, & Chaldaicæ paraphrasis, quæ Targum vocatur, in quibus chaldæi vsurparunt dictionem *verbi*, intelligentes *logon, filium DEI:* item eorum in quibus vsurparunt vocem Messiæ Christi. De nouo edidit librum Martini Lutheri de Iudęis & eorum mendaciis, de Schemhamphoras Iudęorum, de familia Christi, contra Sabbatharios & Iudęorū mendacia atque dolos. Item in Iudęorum conuitia & Blasphemias contra Christum & nostrum magistratum. Theses de doctrina Sacramentorum noui testamenti, confutatio accusationum, quibus Sacramentarij Ecclesias puriores, quæ Augustanę cōfessioni subscribunt, onerare solent, continens sinceram doctrinam, de cœna domini, & duabus naturis in Christo. Refutatio Exegeseos Sacramentariæ. Epistola scripta ad Lambertum

Danæum de Exegesi Recitationum de libro concordiæ, admonitionem Neustadianam luculenter confirmantium examen, in gratiam doctrinę Christianæ studiosorum in Academia Lipsica, & aliorum piæ concordiæ amantium, collectum à Ioanne Baleo Theologiæ studioso.

IOANNES KLAINAVIUS
Eccl. Neuburg. Superintend.
Nascitur anno 14
Obyt anno
Tu qui Klainavi præsentia numina cernis
Quis magè te felix sive beatus erit

JOANNES KLAINAVIVS Theologus.

ILIVS Italicus poëta nobiliſſimus graphice, vt omnia, depingit boni nobiliſq; ingenij indolem, quod quidem tale eſſe vult quod poſſit:

Stramine porrectum dure duxiſſe ſub aſtris
Inſomnes noctes, frigusque famemq; domare.

Siquidem in ætate iuuenili certa totius vitæ ſpes concipi, & tanquam ex vnguibus leo diiudicari ſolet, tumq; in primis animo opus eſt Herculeo, quo voluptatum illecebras contemnere, laboreſque patienter ſuſtinere poſſit. Cum verò ea ætas tum maxime fluctuet, & nunc in hanc nunc in illam partem à vitiis impellatur, prudens antiquitas, admodum concinno figmento illud explicare voluit; dum videlicet Herculem poſtquam ex Ephebis exceſſiſſet, in ſolitudinē progreſſum diu meditabundum conſediſſe & deliberaſſe ſecum fingit,

fingit, adhuc autem dubitāti duas mulieres insigni forma & habitu, sed alteram lasciuiore, alteram grauiore vultu apparuisse, vtranque propositis præmiis, illam Voluptatē delitiis & luxu; hanc Virtutem laboribus ad se amplectendam & sequendam eum inuitasse: ipsum verò tandem arduam & asperam virtutis viam, plane faciliq; Voluptatis semitę prætulisse, atque ideò spreta Voluptate, se Virtuti comitē adiunxisse. Recte quidem Hercules & magnanimè, neq; sine tot laborum suorum præmio inæstimabili. Recte & illi quicunque hodie nullos studiorum labores, nullas vigilias lucubrationesq; defugiunt, donec optatam eorum metam contingant, ac velut in portum tutum & quietum ex sæuissima aliqua tempestate tandem appellant. Quorum in numero Ioannes Klainauius præcipue recensendus nobis offertur, qui studiorum suorum finem tam felici successu, tamque præsenti numine consecutus est, vt ipse de sese affirmare non dubitet, se in omnibus actionibus suis gratiam & benedictionem diuinam manifeste experiri, quod hisce ex Psal. 16. versiculis testatum voluit:

Quic-

Quicquid ago aut patior laxis in rebus & arctis,
Præsentem semper conspicor esse DEVM.
Ille meo lateri nunquam non dexter adhæret,
Ne mouear stabiles efficit ille vices.

Adest enim diuina benedictio omnibus quicunque virtutis viam ingressi, fultique numinis auxilio intrepide pergunt: adfuit & illa Reuerendo huic & clarissimo viro dn. M. Ioanni Klainauio, Ecclesiæ Neuburgensis ad Danubium Pastori & Superintendenti vigilantissimo, cuius in ære factam Iconem admodum spectabilem, mentis quoq; honestatem animique virtutes præ se ferre certum est.

HUGO DONELLUS
Jurisconsultus, Orator & Historicus Nascitur.
Ipsa licet dotes Theoms in te effuderit omnes
Exuperas dotes attamen ipse tuas

HVGO DONELLVS
Iureconsultus.

HVGO Donellus Iurecõsultus, tantæ autoritatis, tanti iudicij, prudentiæ, facundiæ atq; peritiæ fuit, vt de eo verissime dixerit, quisquis in eum sequens lusit Distichon:

Quod voluit Cicero, Crassus, Põpeius, & ipse
Cæsar, qui nobis præstet, hic vnus erit.

Ætatem attigit annorum sexaginta quinq;, non ingenij tãtùm, sed & animi dotibus vir omnium præstantissimus. at enim licet pictor effigiem eius ad viuum plane hic nobis repræsentarit, nusquam tamen ea exactius, nusquam verius patebit quàm in tot publicatis lucubrationibus eius doctissimis grauissimisque: quæ vt velut animi imago, simul cum vultus Icone extarent, operæprecium duximus, si & ea ordine subiecta proponeremus. sunt autem hæc: Commentarius in Titulum de Vsuris in Pandectis & sequentem, ordi-

ne hæc capita iuris complectens : de Vsuris, de nautico fœnore, de Fructibus, causa, & accessionibus. de mora. Commentarius ad titulum Digestorum de rebus dubiis, ad Titulum C. de pactis & transactionibus. Commentaria in titulos sex iuris. Cõmentarius ad Titulum Digestorum de præscriptis verbis, & in factum actionibus. Liber de eo quod interest.

PETRUS BELLOIUS THOLOSAS Ætatis suæ 47
Si quis honos studijs si gloria debita rectis
Fam tua Belloi te quoq; fama manet

PETRVS BELLOIVS

Toloſas ſiue Petrus Belloinus Cenomannus.

CRypticus noſter Iconem quam hic apponimus priuato ſuo iudicio exaratam abſoluerat, præſcriptū ei fuerat nomen PETRI BELLOII Toloſatis, qui anno Chriſti 1582. ætatis ſuæ annū ageret triceſimum primum. At enim cum de eodē & nobis aliquid in medium eſſet afferendum, nec tamen de Belloio quicquam certi pro tempore affirmare poteramus, PETRI BELLOINI CENOMANNI viri tum doctiſſimi tum clariſſimi eam eſſe effigiem ſuſpicati, hîc ea ſcribemus, quæ de eo dici impræſentiarum nobis commodum fuit. tametſi ætate minus conueniant. Fuit autem Petrus Belloinus Cenomānus, hoc eſt, ex Lugdunenſi Galliæ Celticæ prouincia ſiue Lombardia oriundus, non literis tantùm & præclara eruditione nobilis, ſed & peregrinationibus in remotiſſimas orbis partes ſuſceptis rerum exoticarum indagator ſoler-

solertissimus, quod tum monumentis editis luculenter demonstrauit, tum æterna nominis sui celebratione comprobauit. Atq; vt fidem dictis faciamus, videbimus quænam eius lucubrationes doctorū manibus tritæ in publico prostent. Sunt autē hæc fere eius scripta: De aquatilibus libri duo, cū Iconibus ad viuam ipsorum effigiem, quo ad eius fieri potuit expressis. De admirabili operum antiquorum, & rerum suscipiendarū præstantiâ liber primus. De medicato funere, seu cadauere cōdito, & *lugubri defunctorum eiulatione* liber secundus. De medicamentis nonnullis seruandi cadaueris vim obtinentibus liber tertius. De arboribus coniferis, resiniferis, aliis quoque nonnullis sempiterna fronde virentibus, cùm earundem Iconibus ad viuum expressis. De melle Cedrino, Cedria, Agarico, resinis, & iis quæ ex coniferis proficiscuntur: promisit & aliū librum de arboribus sempiterna fronde virentibus. De obseruationibus singularium omniū rerum in diuersis regionibus visarum. nempe in Græcia, Asia, India, Ægypto, Arabia & alibi libri tres gallice excusi. Liber Gallicus de piscibus marinis peregrinis. Deque Delphino, &c.

Humanos artus rimatur, et astra Dryander
Unde gerat famam nominis inde refert.

JOANNES DRYANDER

Medicus Anatomicus & Mathematicus.

IOANNES Dryander aliâs *Eichman*, VVeteranus siue Veteraquitanus, fuit ex Hassia, Medicinæ Doctor præstans, Anatomicus excellens & Mathematicus clarus, Professor earundem facultatū fuit Marpurgi, quod sequenti elogio testatur Nigidius senior:

Arte Mathematica præcelluit ille Dryander
Et medica pariter nobilis arte fuit.
Ex alta docuit magna cum laude cathedra,
Externis notus Teutonibusque suis.
Præfuit incautæ mira grauitate iuuentæ,
Dum gessit toties sceptra verenda Scholæ.
Herbarum vires cunctarum nouit, & ægris
Utiliter toties pharmaca tuta dedit.

Aſt tam præclarum nihilominus arte Galenum
Momenti ſpaciò ſuſtulit hora breuis.

Obiit Marpurgi anno 1560. 20. die Decembris. Scripſit Anatomen Capitis humani in Marpurgenſi Academia publice ab ipſo exhibitam. Annuli aſtronomici ſtructuram atque explicationem. Diſputationem quandam Medicam Sphęræ materialis, ſiue globi cœleſtis explicationem Germanam. Coſmographiæ introductionem, cum quibuſdā Geometriæ, & Aſtronomiæ principiis ad eam rem neceſſariis. Aſtronomiæ atque Coſmographiæ inſtrumentum vna cum Canonibus. Pinxit duos globos aſtriferos, figuris & circulis egregie ornatos. De horologiorū ſolarium varia compoſitione librum fecit. Idem edidit libellum germanicum de thermis Emſenſibus, nō procul à Conſtantiâ ſitis. Librum Petri Aponenſis de Venenis recognouit & edidit. Abrahami Iudæi libellum itidem recognitum edidit: vt & Ioānis Stœfleri Coſmographicas aliquot deſcriptiones & de Sphæra coſmographica conficienda, cum quibuſdam aliis in Ptolemæi Geographiam. Proſtat eiuſdē vniuerſalis praxis omnium morborum particularium edita Germanice. De

vſu

vſu inſtrumenti nocturnalis, pro captandis horis ex ſtellarum inſpectu libellus. Aſtrolabij Canones latine. Quadrantis explicatio. Euritij Cordi duo libri germanici de Calculo curando, & de Vrinarum Iudicio editi ſunt ab eodem. De Chriſtiano vſu Medici & Medicinarum libellus germanicus. Libellus de peſte, cui alterum eiuſdem argumenti adiungere pollicitus fuit. Scripſit prę-terea quædam, quæ an edita ſint incertum eſt, videlicet Anatomen matricis, vbi quædam neque veteribus neque recentibus obſeruata excutiuntur. De vulgatiſſimi horologij ſolaris (quod Cō-paſſum vocant) ſtructura, vſu, & de magnetis mira facultate, atque aſtronomis neceſſario vſu. De diuerſis rotatis, tam automatis, quam appenſo pondere ſe mouentibus horariis, ferreis ligneiſq;. Librum de abditis rerum miraculis ſub manibus habuit, partim ex ſua obſeruatione, partim ex aliorum ſcriptis iam publicatis, tum priuatim ipſi communicatis. Scripſit & Canones in Spheram. In organon Ptolemæi de Compoſitione & vſu duos libros. Cylindri in poculo, vtpote in argenteo ſcypho efformandi rationem & vſum. Aſtrolabium toti Europæ inſeruiens, vbi nec opus eſt

adhibere rete, lineam fiduciæ, nec quicquam aliud, nisi prætenue filum, cum nodulo mobili. Quadrantem sexagenarium instrumentum dictum. Quadrantis Apiani copiosam explicationem & vsum. extat eiusdem tractatus de duplici terræ proiectione in planum pro mappis. Scripsit quoque præfationem in profectionem Brasilensem Ioannis Stadij germanice.

Hebarum scribis solerti indagine vires,
Est labor, est multæ cognitionis opus. Fabr.

ADAMVS LONICERVS

Medicus Physicus, & Ciuis Francfordij ad Mœnum.

ADAMVS LONICERVS Marpurgi Hassorum natus, anno 1528. 10. die Octobr. parentem habuit virtute propria & eruditione præclara illustrem, *Ioãnem Lonicerum Orteranum* ex comitatu Mansfeldensi oriundum, professorem trium linguarum in Vniuersitate Marpurgensi, cuius Iconem & Natales sub Numero XXIX. in hoc III. Tomo præmisimus. *Adamus* ergo à patre omni cura à prima statim pueritiâ, tàm priuata, quàm publica institutione bonis literis imbutus, artium Baculaureus creatur in patriâ Academia anno ætatis suæ decimotertio, mense septimo: Magisterij verò Lauream ibidem adipiscitur anno 1545, postquam ætatis annũ decimumseptimum & mensem vnum egressus esset. Continuato hoc modo studiorũ cursu, anno 1546. à patre missus *Francfordium*,

fordium, quod est ad Mœnum, commendatur ipse iuuenis Viro eruditione, prudentiâ & authoritate graui *dn Iacobo Micyllo*, tum temporis Rectori & instauratori Scholæ illius inclytæ Reip. Francf. à quo in collegã adoptatus Spartam suam pro virili exornabat. Verùm dn. Micyllo ob motus bellicos locum mutante, etiam Adamus hic sub autumnum anni 1547. impetrata à Senatu venia Marpurgum ad suos rediit; nec multo tempore post, simul ipse & doctissimus Casparus Rodulphus Dialectices in Academia Marpurgensi professor, à ciuitate Fridenbergensi, quæ est in Tenecterorum tractu, ad constituendum illic pædagogium inuitantur, paret vterq; perfungiturque eo officio ad Pascha vsque anni 1550. Post Pascha Marpurgum reuersus Lonicerus, Ephorum Stipendiariorum ibidem annum vnum agit: eo exacto Moguntiam ad *Doct. Osterodum Medicum* clarissimum, vti sub eo aliqua praxeos medicæ fundamenta poneret, ex parentis sui consilio, & commendatione Egenolphi, se cõferebat, ibi ergo Doct. Osterodi filiorum pædagogiam iuxta priuatim administrans studiorum simul & vitæ suæ rationem commodè habuit. Post biennium

nium reuocatur ab academicis Marpurgum, vt Matheſeos profeſſionem ibi faceret, cui præfuit ſeſquiennium: Interea ſub annum 1554. Doctoratus Inſignia publice collata Marpurgi ſuſcepit, promotore Io. Dryandro Medico & Mathematico, cuius effigiem & ipſam immediatè præmiſimus. Die, quę actum Doctoratus publicum proxime inſequebatur, Nuptias ſolenni feſtiuitate ibidem celebrat cum MAGDALENA virgine honeſta, honeſti & eruditi viri Chriſtiani Egenolphi Hadamarij, ciuis Francfordiēſis (qui primus Typographiam in Rempub. Francfordianam inuexerat) filiâ; ex quo matrimonio anno deinde 1557. 26. Nouembr. die ſuſcepit hic Lonicerus filium illius coniugij ſui primi vnicum, Ioannem Adamum Poëſ. & Med. cand. qui conſultò ſibi hactenus TEVCRIDIS ANNÆI PRIVATI nomen vſurpat, cuiuſque operâ & ſtudio preſens hoc de Viris illuſtribus Opuſculum, tum alia quædam tàm metrica quàm ſoluta oratione facta & foras data ſunt, ſuo loco enumeranda. Doctoratus itaque Matrimoniique ſolennitatibus, vno actu ſimul, vt diximus, peractis Adamus Lonicerus euocatur per literas academiæ Moguntinenſis, ad Me-

dicinę professionem ibidem susciendam. Quare mathematicâ professione Marpurgi resignata, discedit indę cum noua nupta, & ad socerũ suum Egenolphum Francfordium diuertit, descensurus postridie secundo Mœno Moguntiam. Accidit verò vt ea nocte, qua Francfordium venisset Lonicerus, fatis cõcederet Doct. Ludouicus Graphius Medicus illic ordinarius, vnde Egenolphus genero consulit, vt per dies aliquot Francfordij subsistat, non ingratum fore Senatui fortuitum eius interuentũ, fidem simul facit, si ita eueniat, vt Senatus operâ Loniceri vti vellet, se Egenolphum nullo negotio ab Vniuersitate Moguntinensi dimissorias impetraturum: accidebat id ipsum autẽ peropportune ipsi etiam Egenolpho, vt qui generi operâ in negotiis typographicis cõmodius ita vti posset, quippe qui iam ante eius fidem & diligẽtiam in corrigendis prælorum operis aliquandiu expertus esset. Hac occasione Lonicerus mediante socero suo Egenolpho, ab inclyto Francfordiensium Imperialiũ Senatu medicus ordinarius honesto oblato stipendio adoptatus est, anno 1554. Octobr. die 4. Quam stationem summa cum fide, nec sine gloriâ strenue defendens

defendens ad annos triginta duos continuos, tandem fine optato vitam volens clausit anno 1586. 19. die Maij. Vir præclara eruditione, reique medicæ peritiâ non suis tantùm conciuibus, sed & exteris commendatus: Ciuis autem suæ Ciuitatis bonus, honoratus, & spectabilis. Edidit is Arithmetices introductionem Latinam. Aphorismos Hippocratis à Foresio explicatos publicauit. Quid in re herbaria præstiterit, testantur tum Botanicon, tum Historia plantarum diuersimodè ab ipso latine scripta, typisque Egenolphianis edita, quæ vtraque ab Euritio Cordo ipse studiosus olim vt plurimùm exceperat. Testatur & Herbarius vernacula lingua sub eius nomine publicatus, quem Eucharius Rösslein, eiusdem Reipub. Francf. Medicus ordinarius prius dum viueret, pro Egenolpho aliquoties editum adornauerat, Lonicerus verò postea toties recudendum, probe reuisum & iusta portione auctum bono iure suum fecerat, vt qui & ipse cohæres esset inter Egenolphicos. Atq; hæc de Adamo Lonicero Medico Physico, & Ciue Francfordiano.

CL. PTOLOMÆUS ALEXANDRINUS Mathematicus.
Nasc. Alexandriæ
Ob.
Sustinuit coelos humeros fortissimus Atlas,
Incubat ast humeris terra polusq; tuis

CL. PTOLOMÆVS ALEXANDRINVS *Mathematicus.*

CLAVDIVS Ptolomæus, natione fuit Ægyptius, patria Peluſienſis, floruit ſub Marco Antonino Imp. Romano, clariſſimus artium liberalium, & græcarum literarū ſtudiis Alexandrię. Primus omnium apud Græcos cœli rationem accuratius diligentiuſque explicuit. Inſtrumēta quæ ab Hipparcho inuenta erant, demonſtrauit clarius. Princeps itaque doctrinæ Mathematicæ iure fuit habitus, in Aſtrologiæ enim ſcientia nulli ſecundus erat. Is monumentis ingenij & doctrinę relictis pene diuinis mortuus etiamnum inter mortales viuit, æterna gloriæ laude victurus perpetuò. Scripſit Geographiæ libros octo græcè excuſos. Item magnæ Conſtructionis mathematicę, vulgo Almageſtum vocant, id eſt, perfectę cœleſtiū motuum pertractationis libros XIII. Idem opus Latine fecit Georgius Trapezuntius, quod Lucas Gauricus recognouit, cui acceſſerunt annotationes Eraſmi

raſmi Oſvvaldi Schreccefuchſij. Scripſit præterea de iudiciis aſtrologicis, aut, vt vulgo vocant, quadripartitæ Conſtructionis libros 4. quorum duo priores à Ioachimo Camerario trāſlati ſunt. Centiloquium, id eſt, centum ſententias, quæ à Iouiano Pontano trāſlatæ ſunt. Itinerarium ſtellarum à Nicolao Leonico latine redditum: quæ cum aliis quæ quidem latine extant, vno volumine excuſa ſunt Baſileæ. Scripſit item Apoteleſmatum lib. 4. De Muſica libros 3. Eiuſdem Geographici Libri latine excuſi ſunt cum Indicibus duobus, quorum adminiculo veterum ſimul ac recentiorum locorum ſitus facillima ratione in tabulis depictis deprehenduntur, per Conradum Lycoſthenem Rubeaquenſem: Præfixa eſt etiam Epiſtola, in qua de vtilitate tabularum Geographicarum ac duplicis Indicis vſu late diſſeritur, eodem authore: item tabulę nouæ, quę hactenus in nulla Ptolomaica editione viſæ ſunt. Venetiis Geographia Ptolomæi Italice excuſa eſt in 8. Petro Matthiolo Senenſi interprete, cū tabulis elegantiſſimis & nouis quibuſdam in ære ſculptis. Eiuſdem planiſphærium latine excuſum eſt. Claruit circa annum 140. Scripſit Regulas artis Mathe-

maticæ

maticæ græcè & latinè, quas Erasmus Reinholdus explicauit. Harmonicorum libros tres ab Antonio Hermanno Gogaua in latinam linguam conuersos. De prædictionibus astronomicis libros quatuor à Philippo Melanchthone in latinā linguam translatos. Geographiam cum cōmentariis Iosephi Molcij & tabulis veteribus atq; nouis typis æneis. Habentur in Bibliotheca Imp. Viennæ Claudij Ptolomæi sententiæ, siue de vtilitate librorum, in octauo manuscriptæ. Prostat quoque Geographiæ editio Basileæ, in qua tabulis omnia nomina locorum exprimuntur, quæ in Ptolomæi Geographicis libris habentur. Eleganter in eum cecinit Bruno Seidelius hisce versibus:

BRVNO SEIDELIVS.

Me cœli summo studiorum iure parentem
Dicas: nota mihi tota Matheſis erat.
Collegi, quod in his docuerunt artibus omnes,
Ac sunt ingenio multa reperta meo.
Conscripsi totum doctrinæ corpus: vt inde
Qui veros fontes optat habere, petat.

NICOLAUS COPERNICUS
Nat. Ao 1473. Ob. 1543.
Thorunensis Borussus, Mathematic.
Non docet instabiles Copernicus aethera orbes,
Sed terræ instabiles august ille vices

NICOLAVS COPERNICVS
Turunæus, Mathematicus.

NIcolaus Copernicus Torunum in Boruſſia patriam nactus, anno 1473. in Mathematicis ſtudiis adeo excelluit, vt in ſuo genere quo nimirum Ariſtarchi Paradoxa ſecutus fuit, facile princeps habendus ſit. Ariſtarchi enim Samij iſtius Paradoxa amplexus Terrā mobilem, Solem in medio vniuerſi immobilem non tam re & veritate, quam ſpecie quadam, & vt ſuam doctrinam ſaluaret, ſolertiſſimus conſtituit. Præter ſtudium Mathematices fuit vir inſigni pietate, virtute ſpectata, & morū humanitate ſumma præditus. Is dum annū iam ſeptuageſimum ageret, tandem ſatur vitæ laborumq; ex hac mundi inſtabilitate, ad immotam illam cœleſtemque æternæ lucis contemplationem volens conceſſit anno 1543. Scripſit Reuolutionum libros, quibus terram moueri aſſeritur.

Fecit & Canonem triangulorum cũ tabula, &c. Ornarunt eum ſuis elogiis:

NICODEMVS FRISCHLINVS.

Quem cernis viuo retinet Copernicus ore
Cui decus eximium formæ par fecit imago,
Os rubeum, pulchriq; oculi, pulchriq; capilli,
Cultaque Apellæas imitantia membra figuras.
Illum ſcrutanti ſimilem, ſimilemque docenti
Aſpiceres, qualis fuerat cum ſydera iußit
Et cœlum conſtare loco, terramque rotari
Finxit, & in medio mundi Titana locauit.

BRVNO SEIDELIVS.

Arctoo mea clara fuit doctrina ſub axe:
Eſt vbi Sarmatico Pruſſia iuncta ſolo.
Ipſe noua cœli motus ratione notaui:
Certior hæc priſca regula noſtra fuit.
Omnibus at doctis hæc fundamenta probaui:
At mea te quædam nunc Paradoxa mouent.

PHILIPPUS DE MONTE
Rod II Impp Musici Caron & Thesaur Camerac
DD Max Belgae
Clarior ut supero resonaret in aethere Psalm
Fixit in hoc Montis vertice Diva pedem.

PHILIPPVS DE MONTE
Musicus.

MVsica antiquitùs apud Græcos tantæ venerationis fuit, vt idem Musici, & Vates & Sapientes iudicarentur: quid enim homini conuenientius, quàm quem DEVS opifex mundanę totius machinę, ad harmonicos numeros effinxerit, vt & idē harmonia præcipue delectetur, animetur, excitetur. Conuentum illum orbium cœlestium quis est qui ignoret? hinc tripudia, hinc choreæ, hinc saltationes quasi diuinitùs in hominū societatem demissæ & irrogatæ sunt. Nam cum antiquitas spiritus illos siue angelos, vt theologi loquuntur, qui orbes planetarum rotant, coleret vt DEOS, excogitauit quendam corporis nostri motum in honorem Deorum per imitationem, & perinde etiam concentum, nam saltantes in chorea progrediuntur duobus passibus, deinde regrediuntur per vnum, & postea subsistunt cum quodam gestu corporis, quod ad illorum motuum videlicet

cet cœleſtium imitationem factitarunt; his inſeruit concinna Muſices modulatio, & hinc eſt q̃ ſaltatio & Muſica, & antiquiſſima eſt, & ſanctiſſimos grauiſſimoſque viros in diuinitatis honorem oblectauit. Dauidem enim regem antè arcam fœderis cantaſſe & ſaltaſſe ſacra refert Hiſtoria. Recte Ouidius: Si vox eſt, canta: ſi mollia brachia, ſalta. & in eodem: Brachia ſaltantis, vocem mirare canentis. Quæ cũ ita ſint quam non merentur ij laudem, qui in hoc ſtudij genere præ cæteris humano generi gratum conſultumque fecerunt, atque vt veteres illos artifices ſilentio præteream, quis neſcit quantos hæc ætas noſtra in hac arte magiſtros protulerit: inter quos vel inter præcipuos erit is cuius Iconem ad viuum effictam hic appoſuimus: videlicet admodum Reuerendus & præclarus Vir, dn. Philippus de Monte Belga, DD. Maximil. II. & Rodulphi II. Rom. Impp. Chori Muſici præfectus, Metropolitanæ Eccleſiæ Cameracenſis Canonicus & Theſaurarius, &c. in cuius effigiem verè, & eleganter cecinit, quiſquis ſequentis Diſtichi autor fuit:

Cernimus excelſum mẽte, arte, & nomine Montẽ,
Quo Muſæ & Charites conſtituere domum.

Teſtan.

Teſtantur id tot præclara artis ingeniiq; pene diuini ipſius monumenta, quibus ille tum famæ ſuæ celebrationem, tum artis honorem magnifice aſſeruit: ſunt autem hæc: Madrigalium libri duo, quinque vocum. Miſſa. Item Gallicæ cantiones 5. 6. & 7. vocum. Sacrarum Cantionum cum quinque vocibus liber quintus, &c.

NICOLAUS MACHIAVELUS FLORENTIN'
II.
Nobil. Florentinus
Obyt
Ao.
Supremum per te nacta est Prudentia culmen,
Ulterius nec quo progrediatur habet.

NICOLAVS MACHIAVELLVS *Florentinus.*

NIcolaus Machiauellus Florentiæ in Italia natus, vixit ætate Philippi Strozij & Clementis VII. pont. max. Vir summo iudicio, vsque adeò vt post hominum memoriam nemo extitisse tantus existimetur, cum quo Machiauellus suo quodam modo cõferri nequierit. Historiarum omnium tantam cognitionem habuit, vt ceu rebus omnibus gerendis interfuisset, causas, consilia, progressus, euentusque omnium in animo promptos haberet: quæ res illi vnâ cum acutissimo ingenio coniuncta, ad Reip. administrationem, vniuersumq; vitæ politicæ vsum, tantum momenti attulit, quantum ratio cum experientia coniuncta, vnquam alicui in aliqua arte aut exercitatione prodesse potuerit. In consiliis capiendis ac rerũ suscipiendarum deliberatione, solus videtur Historiæ vsum intellexisse: tanta scilicet fuit eius solertia & industria in cõferendo domestica exempla, cum

peregrinis, præsentia cum futuris atque præteritis. Similia cum similibus, vt ex præteritis rerum futurarum euentus præuidere persæpe potuerit. Et quid multis opus est, vnū sufficit nobis argumentum, eius *Disputationes*, quas *Discursus* appellauit, de rebus à Tito Liuio prima DECADE scriptis, in quibus antiquissimam illam veterum Romanorum virtutem tanquam in compendio comprehensam expressit, ad imitandum proposuit, & ob quas causas nostra ætate eiusmodi præclara facinora nusquam patrentur tam euidenter demonstrauit, vt totius Historiæ succum in iis comprehendisse videatur. Adeò scilicet, vt earum lectione, industrius Lector, qui vir bonus esse velit, ad vitæ politicæ vsum, plus vtilitatis, cognitionis ac experientiæ breui temporis spacio sibi comparare possit, quam si multos annos in euoluendis libris de republ. ab aliis quibuscunque authoribus scriptis, sese macerauerit. Quæ cum ita sint, tantumque fuerit *Machiauelli* ingenium atque virtus, quid mirum si aliqua eius peculiaria consilia à toto propemodum mundo reprehendantur, omnesq; clamitent, si quid callidiori consilio in orbe Christiano gestum esse videatur,

artes

artes illas esse Machiauelli! Equidem, *omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.* At verò cum de contrariis idem sit iudicium, quis vetat quo minus & hic Lectori suum iudicium sit liberum, vt dum contrariorum consiliorum rationes ostenduntur, doceturque male, impie, hostiliter agere, simulac ea in mentem veniant quæ econtra bene, pie, amice, prudenter fieri solent. Hoc enim doctrinæ genere etiam Machiauellum vsum in libris de Repub. & in eo veteres omnes superasse nemo bonus dubitat, adeò vt ex eorum lectione longe maior rerum cognitio comparari possit, quam si vel diuini Platonis libros de Republ. vel summi ipsius Aristotelis, aut alterius cuiusquam Politica legeris; cognoscere autem hinc licebit non bonorum tantum, sed etiam prauorum & callidorum consiliorum rationes: & vt summatim dicam, Bona, Mala, Pia, Impia, Callida, simplicia, sapienter stulteq; facta, omnis generis plurima. atque hæc quidem quæ hactenus recensui præfatus erat ille, qui eius operum & versionem ex Italico, & editionem adornauerat. Sunt vero etiamnum superstites viri boni, graues & fide di-

gni, qui cùm eius notitiam in Italia familiariter habuerint, de eodem ingenue teſtimonium perhibere nō verentur, quod fuerit nimirum vir ſtupendæ eruditionis & prudentiæ, quin vitæ integerrimæ, morumque innocentia inſigni, & pietate ſumma. Sunt autem Machiauelli opera, quę Italico idiomate ipſe conſcripſit, partim politica, partim Hiſtorica, partim denique de ratione bellum gerendi, inter hæc Diſputationem de Rep. libros quatuor primùm ex Italico vertit iam olim *Sylueſter Telius Fulginas:* idem etiam latinum fecit Machiauelli librum de Viri Principis inſtitutione. Scripſit Machiauellus de re militari ad *Laurentium Strozam Philippi filium* lib. 7. è Tuſco in latinum tranſlatos per *Joan. Morelium Pariſinum.* Fecit Comœdiam Italicam *Clizia* inſcriptam. Extat eiuſdem Hiſtoria ad ſanctiſſimum patrem Clementem VIII. Italice: extat & de Senatore tractatus latinus. *Contra Machiauellum ſcripſit Stephanus Junius Brutus Celta* librum, cui titulum fecit Vindicię contra Tyrannos, ſiue de principis in populum, populique in principem legitima poteſtate. Fecit & tractatum de ma-

de magiſtratus, & ſubditorum erga magiſtratus
Alphonſus Meneſius Benauides Tarraconenſis
cum Elegia parænetica ad Galliam.

FINIS.

INDEX EORVM, QVI III. HOC TOMO CONTINENTVR, cum Distichis singulorum Iconibus subiectis.

1. Albertus Magnus Bolstadius.

Magnus es, at maior fieri dum Alberte recusas,
Dispeream si quid maius hic orbis habet.

2. Æneas Syluius.

Vt pius Æneas, vt & alter Syluius esset,
Ductor & Oenotriæ Pastor in vrbe fuit.

3. Hadr. Cardinalis.

Orbis Pontificem summum me maximus Orbis
Cæsar, pro meritis gratior ipse facit.

4. Georgius Buchananus Scotus.

Scotia si Vatem hũc gelidam produxit ad arcton,
Credo equidem gelidi percaluere poli.

5. Michaël Hospitalius.

Esset qui Galli dignus moderamine regni,
Inuentus nemo est hoc MICHAELE magis.

6. Philippus Melanchthon.

Corpore paruꝰ erat sed maximꝰ arte Melãchthon,
Teutoniæ Phœnix & Philomela fuit.

7. Iulius

7. Iulius Scaliger.

Julius hic vultu est Cæsar, sed Scaliger ille,
Quo prius ingenio nil animove fuit.

8. Ioſephus Scaliger.

Ille simul Musas & Phœbum scripserat ipsum
Qui scribit nomen, clare Joſephe, tuum.

9. Paulus Scalichius.

Omnia qui noſti diuina humanaque ſenſa,
Dic age quo fato Paule perite iaces?

10. Carolus Vtenhouius.

Ecquid Vtenhouio debetur prima canentum
Gloria, quo Phœbo haud gratior vllus erit.

11. Petrus Victorius.

Victor es, & vincis Muſis & Apolline dextro;
Quin age Parcarum vincere clauſtra ſtudes.

12. Ioannes Sambucus.

Excitat & ſanos ſcripſit Sambucus, & ægros
Reſtituit medicâ maximus arte, manu.

13. Hartuicus Smidenſtetus.

Ore Smidenſtetus mulcebat pulpita & aulas,
Guelfius Amphion, & Linus alter erat.

14. VVolfgangus Lazius.

Lazius Historiam Regumq; Ducumq; recensens,
Associus vixit Regibus & Ducibus.

15. IOACHIMVS VADIANVS.

Phœbus vtrumq; tibi dederat Vadiane, canendi
Arte simul polles, Paonis arte simul.

16. HENR. MEIBOMIVS.

MEIBOMIO tantum debet schola Julia Vati,
Maiori quantum Leucoris alma suo.

17. Helius Eobanus Hessus.

Primus Eobanus patriis qui lusit in oris,
Vir simul & Vates optimus ille fuit.

18. Matthæus VVesenbecius.

Docte VVesenbeci Iuris diuine sacerdos,
Te nemo hoc docuit rectiùs aut meliùs.

19. Ioannes Fichardus.

Jus Musis, Musas exornas iure Fichard
Consilio prudens, eloquioque potens.

20. Tiberius Decianus.

Quæ responsa dabat pro iure Tiberius, illa
Suada, Themis, Pitho consuluere prius.

21. Fran-

21. Franciſcus Hottomannus.

Rectiùs vt iuris nodos euoluere poſſes,
Te magis Hiſtoriæ nemo peritus erat.

22. Michaël Teuberus.

Nil natura tibi, tibi nil fortuna negauit,
Vtraque muneribus te coluêre ſuis.

23. Hieron. Mercurialis.

Et Sol & Phœnix medicorum Hieronymus, illo
Conſpicuus vultu Mercurialis erat.

24. Petrus Andr. Matthiolus.

Herbarum vires non rectiùs edidit alter,
Nec magè te clarus hac ſuper arte fuit.

25. Ioannes Langius.

Quantus in arte foret Phœbæa Langius, ipſa
Scripta docent toto publica facta polo.

26. Ianus Cornarius.

Per te nunc Latium Cous luſtrauit Apollo,
Teq; colit Coum Teutonis ora ſuum.

27. Io. Crato à Craftheim.

Cæſaribus miſcens trinis CRATO *pharmaca, iure*
Vnus Cæſaribus imperat ille tribus.

28. Burchardus Mithobius.

Quid te Mithobi melius, quid doctius vſquã eſt,
Ipſe tuo ridet Phœbus in ingenio.

29. Ioannes Lonicerus Senior.

Tres pariter Linguas doctꝰ Lonicerus ad vnguẽ,
Orator, Vates claruit, atque Sophus.

30. Ioannes Huſſus.

Cantibus & dulci vincens modulamine cygnos,
Rex inter cygnos candidus Anſer erit.

31. Hieron. Pragenſis.

Quod fueras magno diuine Philippe Luthero,
Huſſo Pragenſis hoc fuit ipſe ſuo.

32. Martinus Lutherus.

Felix Vate tuo Germania, quo duce conſtat
Libertas populis relligioque tuis.

33. Ioannes Æpinus.

Paſtor in Hammonis ſacra pabula præbuit vrbe
Æpinus gregibus, Rex pie Chriſte, tuis.

34. Andreas Gerardus Hyperius.

Hyperius ſacros felix exponere libros,
Claruit eloquio vir pius, ore grauis.

35. Caſpa-

35. Caſparus Cruciger.

De Cruce qui clarum nomen Caſpare mereris,
Militiæ tantæ ſignifer ecquid eris?

36. Iuſtus Ionas.

Juſtior vt Iona te non foret alter, vtrunq;
Sacrorum atque fori ius tibi Iuſte paras.

37. Georgius Maior.

Quid maius Maiore illo, quid dignius ipſo?
Qui facienda facit, quique docenda docet.

38. Matthias Flacius Illyricus.

Scire meum vis dogma: homo totus culpa ſcelusq́;
Quid blateras, vtrum ſic Manichæus ero?

39. Paulus Eberus.

Jngenio, Virtute, Fide, ſimul ore diſerto
Præclaros inter clarus Eberus erat.

40. Ioan. Matheſius.

Quam præ te ferres doctrinam docte Matheſi,
Præ ſe fert ipſum nominis indicium.

41. Nicolaus Selneccerus.

Multa legis, ſed plura doces, quin plurima ſcribis;
Selneccere, animæ nectar & ambroſia.

42. Ioannes Klainauius.

Tu qui Klainaui præsentia numina cernis,
Quis mage te felix, siue beatus erit.

43. Hugo Donellus.

Ipse licet dotes Themis in te effuderit omnes,
Exuperas dotes attamen ipse tuas.

44. Petrus Belloius.

Si quis honos studiis, si gloria debita rectis;
Iam & tua Belloi te quoque fama manet.

45. Ioannes Dryander.

Humanos artus rimatur & astra Dryander,
Vnde gerat famam nominis, inde refert.

46. Adamus Lonicerus.

Herbarum scribis solers indagine vires,
Est labor, est multæ cognitionis opus.

47. Cl. Ptolomæus.

Sustinuit cœlos humeris fortissimus Atlas,
Incubat est humeris terra poluſque tuis.

48. Nicolaus Copernicus.

Non docet instabiles Copernicus ætheris orbes,
Sed terræ instabiles arguit ille vices.

49. Phi-

49. Philippus de Monte.

Clarior vt ſupero reſonaret in æthere Pſaltes,
Fixit in hoc Montis vertice Diua pedem.

50. Nicolaus Machiauellus.

Supremum per te nacta eſt Prudentia culmen,
Vlterius nec quo progrediatur habet.

FINIS.

Impreſſum
FRANCFORDII AD MOENVM,
Typis Matthæi Beckeri: impenſis Hæredum Theodori de Bry.

ANNO M. D. IIC.


IV PARS
ICONVM VIROS VIRTVTE ATQVE ERVDITIONE ILLVSTRES repræsentantium, quorum alij inter vivos esse jam olim desierunt, alij vero nunc quoq vitali laminc honorum et dignitatum suarum perfruuntur gloria
Natalium eorundem brevis & succincta notatio, singulis Eiconibus adiuncta Distichaq; item passim addita, opera & studio
In ære recens scite facta & foris data per hæredes Theodorj de Bry Leod. Francofurti ad Moenū.
ANNO MDXCIX

LECTORI SPECTATORIQVE, AMICO, CANDIDO, BENEVOLO, PIO, S. P. D.

NIHIL mortalibus optabilius, quàm placere Deo immortali, atque iuuare mortales, tàm qui nunc sunt, quàm nascituros omnibus sæculis, & relinquere aliquid cum è vita exceditur, quo non sine summa laude vixisse testatum fiat. Hoc animis suis reputãtes tot illustres animæ, quorum hîc effigies damus, partim in DEVM tanta pietate extiterunt, partim tanta in homines beneficentia, atque meritorum industria, vt vixisse eos nunquam pœnituerit, quin vt fama ipsorum immortalis omnem mortalitatis labem penitus illis absterserit. Hinc DEO nunc quoque viuant genioque superstiti, atque studia quæ in terris prosequebantur vegeti, nunc etiam in beatorum sedibus repositi plene beateq; percolunt iu-

 uantque,

uantque, placentes DEO immortali, & mortalibus bene fieri cupientes, omnique posteritati recte consultum, secundum illud poëtæ: *Quæ gratia currûm Amorumque fuit vivis ea cura sepultos Prosequitur, &c.*

Hisce itaq; studiis illi veram amplamq; nobilitatem adepti, maxime quidem inter mortales clarent, adeo vt eorum Vitæ in exemplum omnibus veniant, quoniam ab iis & studia literarũ, cultusque diuinus, atque respublica omni ope adiuta & exculta fuerunt; si. n. vel ad extremas orbis oras oculos conuertas, opus aliquod egregium horum Minerua elaboratum videris, pacisq; commoda & aucta & exornata intelliges. Vnde laurea illis æterna parta, laurea, inquam, & Ducum & Vatum ornamẽtum: Duces enim militiæ suæ maxime strenui, Vatesq; diuini extiterunt, extantque, donec grata posteritas eorum monumenta in præsens deueneratur, deuenerabiturq; in venturum.

Viros itaq; hosce sapientia claros, iustitia cõspicuos, pietate integritateq; præditos, totam Mundi machinam ita illustrate videmus, vt si quando radios in posterorũ mentes immiserint, proh supreme Iupiter, quantus subito inde fulgor emicat! quæ mẽtis effulgescit claritas! Hęc nos intuamur luminaria, horum illustremur splendore atq; lumine, hæc mentis nostræ tenebricosos illuminent recessus, sitq; hinc, ex quo incãdescat ingenii nostri scintilla ad famæ inflammationem longe lateq; se populariter spargentem.

Quis enim *vetat oppositio lumen de lumine sumi?*

Scenam vero quam hic exhibemus, dædalam atq; omnium omnino personarum esse cupimus, in quam omnium disciplinarum artifices producantur, ab aliis atq; aliis iam ante hinc inde descripti, hinc Theologus, quod multa cũ deuotione veneretur, scrutetur, hinc Iurisconsultus, quod cõfidenter alleget, requirat, hinc Medicus, quod dispẽsare velit, sapiẽter eligat: hinc

sit

sit & Astronomo, ad quod tanquã Cynosuram sua dirigat, hinc quod imitetur Historicus, astruat. at nec diuinũ Poëtarum genus silentio prætereo, hinc enim & illis erit œstrum citatius, feliciusq; se in Deorum commercia asserent, quando DEVS præsens pectora eorum concutit numine plena atque spiritu ætherio incalescentia. Vnde non immeritò Poësis omnium disciplinarum consummatio erit, quæ DEOS parit, quæque homines afficit, quæque prodesse simul, simulque delectare satagit in omnibus, de qua eò liberius præ cæteris hîc agere placuit, quod ea cæterarum omnium coronis sit, quodque plus delectationis atque perfectionis, imò diuinitatis in se contineat, quàm quæque reliquarum, quod vel in vnico exemplo facile patebit, in fabula nimirum, quæ toto cœlo notissima ita à Galeotto explicatur: quæ Mulciberis dolis Martemque Veneremq; captos tenuit. Mars siquidẽ & Venus, indicio Solis in adulterio retibus Vulcani deprehensi, atq; ab omnibus conspecti, abstrusam Matheſin continent, atque ex intimis Matheseos penetralibus originem trahunt, adulterium enim publica pœna plectitur, & adulterium facit Martis Veneriſq; in Tauro cõiunctio, & hæc est illa ficta concatenatio: ex Tauro Venus in Leonem mittit Antiscium, Leo est Solis domicilium & signum igneum, & hinc Solis indicium, & opera Vulcani, quę retia fecerunt. Vulcanus enim ignem significat, vt coitus Martis & Veneris in Tauro, vbi Luna exaltatur, amantium complexum efficit, quem Poëtæ finxerunt, laqueus vero & retia sunt Veneris antiscia in signum igneum iacta, & huius adulterii index Sol, nam Leo calidus antiscio Veneris inflãmatus, simile enim simili additum facit furere, hoc adulterium publicauit, domus enim Solis, Leo, qui cum de trigono igneo sit, Vulcanum retia machinantem sub figmento continet, & hoc pacto totius mali causa in Solem reiicitur, à domicilio enim eiusdem deprehen-

sio & publicatio adulterii manauerunt. Hisce & similibus fabulamentis antiquitas plurimum oblectata fuit, sunt enim res poëticæ vt quædam picturæ, vt pictura poësis erit, &c. item pictoribus atque poëtis, &c. at ex rebus pictis & fictis sensa eligere, hoc est sapientis opus. atq; hæc fuit omnium disciplinarū consummatio, hoc scenam instructissimam producere, hoc mortalibus atque immortalibus prodesse atque placuisse, hoc cum summa laude sibi posterisq; vixisse, hoc deniq; est exemplum aliis relinquere, quo veluti Miltiadis trophæis excitetur Themistocles dormitans, quoq; excitentur studiosi, Musarumque cultores, quibus vti placeamus ea in parte, hunc quoque quartum Iconum Tomum vltro volentes iisdem deferimus.

I. A. L.

Ad Magnificum,

NOBILISSIMVM, STRENVVM, CLARISSIMVMQVE HEROEM, dn. IOAN. IAGEMAN in Hardegssen & Göttingen / Reuerendissimi, Illustrissimi, potentissimique Domini, dn. HENRICI IVLII, postulati Episcopi Halberstadiensis, Ducis Brunsuic. & Lunæburgen. &c. CANCELLARIVM amplissimum, ac Consiliarium intimum, I.C. Dominum & Mecœnatem suum omni cultu deuenerandum.

DEBEBAM IAGEMANNE tibi hoc, ô Nobilis HEROS,
Quod vitæ reliquum continet omne meæ.
Qui res infractas, & sortis paginam vtranque
Expertum, solido vis stabilire loco.
Jamque meos adeò victu tectoque receptas:
Hei mihi cur grata nullus ab arte ferar!
Jd voluens, certæ indicium debere fatebar
Mentis, & officij signa probanda mei.
Jamque animi fidens præsentem rite libellum,
Optabam Genij symbolon esse boni.
Sed quia nec meritis bene responderet, & ipse
Per se nil præter-quàm leuidense foret;

Ille

Ille quidem tenebras iaceat demersus in imas,
Splendida nec tanti viderit ora viri.
Forte mola sálsa, sed enim quia sæpe litamus,
Lucida thuricremos cum negat ara focos.
His etiam ô studiis iam nunc minus asper adesto,
Atque ipso dignum te quoque finge DEO.
Sic tibi perpetuò felicia sydera currant,
Rebus & aspiret cœlitus aura tuis.
In te Magnanimi sic res & cura recumbat
Principis, à GVELPHIS qui tulit omẽ auis:
Quo neque Germanas generosior exit in oras,
Fortior aut patriæ rebus adesse velit.
Sin minus: & pergis virtute accendere famam,
Et merita officiis accumulare nouis.
Nos equidem ingratos coges periisse, sed ipsum
Te mage Magnificum, Munificumq; facis.

Ioan. Adamus Lonicerus,
aliâs Annæus Priuatus,
Ciuis Francfordien.

IANUS DUZA Dominus a Norwick Docta & Orator
Nasc
ft
ob
ſ.
Nobilitas cuj docta placet, cuj nobile Carmen.
Ingenium Duzæ nobile semper amat.

JANVS DVZA DOminus à Nordouick.

ANI DVZÆ Nordouicis Vitam huic Prosopographiæ inserturi, multa præclara equidem, tum de tāti viri generosa prosapia, atq; virtutibus verè heroicis, tum de eruditione præclara, atque excellenti in re poëtica exercitatione sese offerrent, si oratione nostra nimis sterili, vberrimā illius ingenij messem metere valeamus: ex viua vero icone de eo cuiuis liberum potius iudicium relinquemus, quam aut parum sufficientia, aut parum pro dignitate faciētia afferamus. Celebrant eum monumenta sua nobilissima, inter quæ sunt, Notæ ad Salustij Historiarum libros doctissimę, & pręcidanea pro Q. Valerio Catulo; celebrant eum ingeniosissima politissimaq; carmina, quæ totis vo-

luminibus edita ab ipso in publico prostant, quibus & viuus sibi illustre decus comparauit, nominisque sui celebrationem ad omnem posteritatem transmittet.

Vir & Heros omni memoria dignissimus tũ ex maiorum meritis, tum ex virtute propria, quod doctissimus Arrias Montanus altius animo perpendens, suo quoque eloquio eum præclare exornauit, quod tale est:

Nobilis & genere est, & carmine Duza iocoso
Moribus integris nobilis ille etiam.
Dispeream mihi ni semper placuitq; placebitq;
Ingenium purum, doctaque Nobilitas.

Quod elogium vel vnicum abunde nobis satisfaciet. Quæ enim maior laus quam à laudato atque docto laudari celebrariq;, homini contingat superstiti?

MODIUS hic modium Juris compleverat omnem,
Quam Vitæ modius plenior ante foret.

FRANCISCVS MODIVS
Brugenſis Nobilis I.C. & Poëta.

FRANCISCVS MODIVS Brugis in Flandria natus & genere & ingenio nobilis, minime fortunæ bonis cõtentus fuit, ſed virtute atque eruditione prę clara, inter ſummos literarum antiſtites reponi meruit, iuuenis multa aduerſa atque adeò vtranque fortunæ paginam expertus, patronis tamen excellentibus vſus, præcipue verò Neuſtettero, cuius in poëmatibus ſuis paſſim honorificentiſſimam mentionem facit, miro fortunæ genio euaſit, Virtus enim & probitas magnam ſui admirationem etiam apud ignotos parit, propterq; virtutem & probitatem diligimus eos, quos nunquam vidimus, ſiquidem arctiora virtutis vincula ſunt, quam ſanguinis, & omnis bonus bono proxime cognatus eſt propter animorum ſimilitudinem, ex qua ſola honeſtæ voluptates, ſententiæ, actiones, omniſque

que recte viuendi ratio proficiſcitur: in hac enim ſatis eſt ad bene viuendū, ſatis etiam ad beatè, ſatis vt fortiter viuamus, etiam vt magno animo, & quidem vt nulla re egeamus, ſemperque ſimus inuicti: vt nihil pœniteat, nihil deſit, nihil obſtet: ideoq; ipſa etiam ſibimet eſt merces pulcherrima, ipſa abunde ſui præmium eſt, quicunque demum euentus cōtingat: adeò vt vera laus veræ virtuti debeatur, eamque gloria tanquam vmbra neceſſariò ſequatur: virtus enim omni culpa carens nihil præter ſe ipſam ad ſe pertinere cenſet, vnde recte Claudianus:

Ipſa quidem Virtus precium ſibi, ſolaque lato
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuue petit clareſcere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis:
Diuitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis,
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Hanc tamen inuitam blande veſtigat, & vltro
Ambit honor, docuit toties è rure profectus,
Lictor, & in mediis Conſul quæſitus aratris.

Hoc animo, hiſce moribus Modius noſter extra omnem fortunæ tumultuātis aleam euectus

ctus tantum in Musarum Virtutisque exercitiis confirmatus præstitit, vt post funera etiamnum superstes immortalis eius efflorescat gloria, nec enim Modius hic, licet iuuenis immatura admodum morte & quidē cœlebs preuentus carnis viam ingressus sit, omnis mortuus nobis erit, viuit ille dum viuent monumenta illius nobilissima: testes vos adduco, tanti viri alumnos reduces, te Flaui Vegeti Renate, tuosq; de re militari libros quatuor, te quoque SEXTI IVLI Frontine, tuosque stratagematum libros totidem: teque ô ÆLIANE instruendarum acierum artificem, & quē primo loco positum volebam, te MODESTE vocabulorum rei militaris magistrum, quos omnes quidem Modius noster post Hermolai Barbari, Budæi & quorūmcunq; aliorum editiones diligenter auctoratos recensitosq; conscripsit: taceo Notas non aspersas, sed absterſas subinde à VEGETIO atq; FRONTINO. Atque vt hisce denegetur fides vtrunque Iuris Corpus, & tot Historicorum clarissimorum emendatos libros appello: ERASMVM NEVSTETTERVM Virum amplissimū & splendidissimum, cognomento STVRME-

RVM Equitem Francum vltro mihi ſuffragari vt cuius fidès ſpectatiſſima ſit, iam ante noram cuius patrocinio Modius noſter & ſe, & Poëmata ſua conſecrauit: at niſi mihi de eo plus ſatis conſtitiſſet, ad Muſas omnes ipſumque Apollinem prouocarem illico, at enim & has & illum tibi fidem ô Lector feciſſe, certo tibi perſuaſeris, quotieſcunque vel nudum Neuſtetteri nomen tibi inauditum fuerit.

Dum veterum hic revocat numismos. & Poconis artes
Provehit, et Medicos ornat & Historicos

ADOLPHVS OCCO A. F. AN.
Auguſtanus Medicus.

QVi Martis caſtra ſequuntur, Imperatorum, Ducum, Chiliarcharum, Centurionum ſuorum nomina, facta & pericula enarrādo animos ſtudiumq; militiæ incēdere ſolent: at qui in Muſarum caſtris ſtipendia faciunt, ſuos quoq; Duces, Præceptores, imò Apollines à grata memoria repetere gaudent, quæ res ad excitādos ſtudioſorum animos haud aliter facit, quàm Miltiadis Trophæa, quæ Themiſtoclem dormientem excitabant. Doctorum enim hominum Vitæ atque volumina ſcripta adeò ſtudioſorum animos ad laudem & laborem inflammant, vt nocturna ſimul diurnaque operâ & ipſi ad idem eruditionis, glorięque faſtigium contendant, inſiſtentes veſtigiis Ducum ſuorum præuiis & neutiquam fallibilibus. At tibi, ô Muſarum miles fortiſſime, quantum erit Occonum familiæ eruditæ & cla-

rissimæ scripta atq; Vitas cognoscere. Tres enim Adolphos Occones Medicos nusquam interrupta linea habuit Augustana vrbs apud Vindelicos: Patrem videlicet, Filium & Nepotem, inter quos Adolphus Occo secundus huius nominis primus in Germania edidit NICOLAVM ALEXANDRINVM. At verò Adolphus Occo medicus Augustanus tertius, cuius tibi augustam faciem hic depictam apposuimus, transtulit Georgij Gemisti Plethonis explicationem de virtutibus, & locum de moribus Philosophorum ex Platonis Theæteto. Castigauit etiã Senecæ scripta, scripsit conclusiones triginta & vnam ad Quæstionem Numlues, quæ Pestis dicitur, necessario habeat adiunctam febrim pestilentem, vel putridam, vel hecticam, ita vt vel contenta cordis vel ipsius substantia putreat necessario. Item Consilium contra pestem cum aliis Augustanæ reip. medicis iuratis. Carmen in obitum Gesneri. Pharmacopœiam seu Medicamentarium pro rep. Augustana: cui accessere simplicia omnia officinis nostris vsitata, & annotationes in eadem, & cõposita. Idem Imperatorum Romanorũ numismata à Pompeio Magno ad Heraclium,

raclium, quibus ſuperadditæ ſunt inſcriptiones quædam veteres, arcus triumphales & alia ad hanc rem neceſſaria collegit. Quæ tam præclara opera cum in Doctorū manibus verſentur paſſim, quis Occones hoſce mortales genitos affirmarit, qui licet è cōſpectu noſtro euaſerint, perpetuum tamen ſibi, locum in memoria poſterorum compararunt, ita vt & nomina ipſorum, & geſta, & labores exemplo Muſarum cultoribus æque perſeuerent, ac ſi etiamnum præſentes in ſtatione ſua ſubſiſterēt, Interim effigie hac Occonis fruamur tertij, qui Auguſtæ natus Vindelicorum patre Adolpho Medico, & item auo Adolpho eiuſdem reipubl. Medico natus fuit Anno 1524. Symbolum eius veræ pietatis argumentum euidens tale legitur:

Sum tuus in vita, tua ſunt mea funera Chriſte,
CHRISTE tibi viuam, Chriſte tibi moriar.

WERNERUS SEUTTER IURIUM Doctor Ciuis Augustanus
Non tantum petitur Sautero vita per herbas,
Vita sed Christi palmite, salus, prima

VVERNERVS SEVTTERVS

Iurium Doctor, Ciuis Augustanus.

QVAM recte faciāt ij, qui nec maiorum titulis, neque tabulis, neq; insigniis contenti, neque opibus, honoribus aut voluptatibus detenti, ad veram laudē & immortalitatem propria virtute contendunt, euentus ipse declarat, quantumcunque enim diuitiis, honore, autoritate maiorumq; ceris quisquam polleat, tamen nisi virtute ornatus sit propria, quàm miseram vitam viuat, exempla demonstrant, neque verò aliud voluit Socrates, Pythagoræ discipulus, Philosophiam de cœlo, id est, de stellarum orbiumque cœlestium, & aliarum rerum naturaliū speculatione, in priuatorum domos reuocans; physicam enim & alias artes minime negligebat, sed & elegantissime de iis disserebat, easq; passim commēdabat omnibus, sed tantum docuit bene & recte viuere, idque secundum naturalem rationem, quò videlicet

licet ſummam illam felicitatē & beatitudinem conſequeremur; oſtendit enim non diuitiis & voluptatibus, ſed ſola virtute certiſſimam felicitatis poſſeſſionē acquiri: & certe reliqua omnia cum virtute cōparata parum momenti habent ad vitam bene inſtituendam. Quis eſt ergo qui non ſplendorem eius & pulchritudinem admiretur, maxime cum hæc etiam in hoſte poſita delectet, tantumque cæteris præſtet rebus, vt dici vix poſſit, quantum interſit, quę Virtus quanto altiùs in animo radices egerit, tanto maiorem eius admirationem in oculis hominum excitat, ſuntq; illi etiā reliquis eo eminētiores atq; conſpectiores, quo propius ad eam acceſſerint, neq; exēplis longius petitis illud nunc declarabimus: En VVERNERVS hic SEVTTER Iurium Doctor & Ciuis Auguſtanus, quanto reliquos exit dignior, à vel vnius huius patronę ſuæ ductu auſpicioque fideliſſimo! quæ heroica viri grauitas in pectore! quæ veneranda in vultu autoritas! quis animi candor, morumq; innocentia! quod pietatis ardens ſtudium! vnde haud immerito de eodem Poëta ita cecinit:

Dat

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores,
Sed tibi dant viuum Biblia sacra decus.

Is vero patriæ suæ sydus nasc. Augustæ Vindelicorum vrbe nobilissima anno 1532, quam virtutis suæ radiis coruscationeq; in tantum illustrauit, vti haud iniuria dubites, hæccine alumno suo, an vero ille nutrici suæ plus acceptum referat: quare vt hæc quoque Prosopographia ex ipso esset splendidior, esto nunc & idem dn. SEVTTERVS quoque chori huius velut gemma & margarita nitidissima, sua virtute irradiãs illuminansque totum hoc proscenium.

Laubius ut Medicos frondesceret inter & herbas
Nobilis frondentis nomen et artis habet.

GEORGIVS LAVBIVS AVguſtanus, Medicinæ Doctor.

MNIBVS eſt aliis Medicus præſtantior vnus, vt habet verſus Homericus, quod equidē plurimorum maximorumq; virorū teſtimonio longè lateq; cōprobatur, at.n.cum Medicina nō circa ſalubria ſolū, ſed & circa venena verſetur, equidē & ampliſſimum & ſapientiſſimum omnium ſtudium eſſe neceſſe eſt, ſiquidē medicare vel medicari (quod vtrunque in vſu eſt, teſte Vergilio: *Semina vidi equidē multos medicare ſerentes:* &, *ſenibus medicātur anhelis*) aliud nihil eſt, quàm naturam rei immutare, vnde & colorare eſt, & medicamen pro colore ſumitur, atq; venenum id eſſe dicimus, quod rei naturam immutat, teſtimonio Iuriſconſultorum, venenum ergo, & medicina, ſiue medicamen eiuſdē naturæ ſunt, & eodem, vt ita dicam paſſu ambulant; Medicare igitur & venenare pariter ſalubria & pernitioſa

tioſa eſſe noſcuntur, Varro ab Hannibale quęrit, cur biberit medicamentum, id eſt, venenum, ſic Saluſtius venenum malũ: Suetonius boletum medicatum dixit, vnde nobis medicina & venenum idem eſto quod pharmacum, & quemadmodum color res variat & immutat fuſca cum albis, lutea cum flauis commutãs, ſic medicina ex ægro ſanum, ex ſano ægrum cum lubet facit. Haud aliter viri ſapiẽtes in rebus politicis pari vtuntur prouidentia, pariq; iudicio, variantes & ipſi humanas naturas, acerrimos enim reip. hoſtes in intimos conuertunt amicos: pacemque bellumq; pro tempore ſeminant. & Ouid. 7. Metam. medicos moderatores rectiſſime dixit:

Nec moderator adeſt, inq; ipſos ſæua medentes
Erumpit clades, obſuntque autoribus artes.

Summam enim moderationem medicamenta deſiderant, *Quid*, enim & *Quomodo*, medicum non efficit, ſed *Quantum*, & *Quando*. Sic viri prudẽtes pro tempore tergiuerſati occaſionem expectant, & rerum pondera penſitantes citò, tutò, & iocunde curant quæ tria medicum conſummatum reddunt. O ampliſſimũ medicinæ ſtudium! ô orbis vniuerſi ornamentũ! ô ſtudiorum

diorum lumen, ô pacis tutamen, ô bellorum pacem inducentium ſuſtentaculum! Medicina enim ab impetu inuadentis præmunit, aut iam graſſantis morbi malitiam repellit. Poëtæ iſta ad conſtellationem iſta retulerunt, quando Iouem in Taurum verſum Europam rapuiſſe fingunt, diuerſa enim conſtellatione fit, vt medicus vel præſeruando vel curãdo procedat, Iupiter enim in Tauro Præſeruantem Medicũ efficit. Mars vero in Scorpione Curantem melius facit. Te igitur ô GEORGI LAVBI hic cõpello, qui & numeros medicinæ impleueris omnes, quique patriam tuam AVGVSTAM nobilem ita tueris ne ægrotet amplius, neq; cum ſanitati eam reſtituis, ſummam beneuolentiã, humanitatem ſinceritatemq; illi ſubducis: faciendum enim tibi perſuaſiſti. Vide quæſo quam omnis in te patria tua oculos cõuerterit, ex quo ab anno Chriſti 1554. formoſiſſimũ illud mundi lumen ſuſpicis, atq; donec in multam ſeramq; ſenectam ætatem tuam feliciter prouehis, omnem immortalitatis tuę ſpem in ſolius filij Dei vnigeniti meritis ita reponens, vt ipſe in te, tuq; in ipſo viuatis in omnem æuiternitatem, ſecundũ elogium tuum

tuum vere ſapiens,& piũ pariterq; Chriſtianiſſimum,inquis enim:

Mors mihi non mors eſt, quia Chriſti morte redemptus
Non morior: vita eſt mors tua,Chriſte,mihi.

Id vt palàm ſit omnibus, patere, ô Vir clariſſime, Iconem, nunc hanc tuam, huic quoque catalogo apponi; encomiũ tuis virtutibus conueniens ſcribent illi,quibus melior Apollo fauerit,atque vt cum poëta loquar:

Nunc te marmoreũ pro tempore fecimus, at tu,
Cum fœtura gregem ſuppleuerit,aureus eſto.

CHRISTOPHORUS HARDESIANUS IC. Syndic. Norimb.
Romulidum Leges & jus coeleste vens, renol
Quā verci seqris jus utriusq soli

CHRISTOPHORVS HARDE-
ſianus, Iureconſultus.

NEMO tam alienus eſt à gloria, nemo tam auerſus ab ea, cui nō iucundiſſimum ſit gratiſſimumq; æternum laborum ſuorum præconium mandari ſcriptis, omnes namque laudis ſtudio ducimur, vt dixit ille, qui immodicam laudis & gloriæ cupiditatem nuſquam diſſimulauit: qui verò laudis cōtemptores videri volunt, propè nouerunt gloriam eſſe Crocodilum, id eſt, in eo ipſo, dum gloriam deſpiciūt, ſeſe maxime prædicari; ſi quidem ſecundum alterius dictum; nulla tanta humilitas eſt, quæ dulcedine gloriæ non tangatur; quin imò quod vetus rithmus habet: *Contemptor famæ nunquam laudabitur à me.* At ſane iaceret iam olim in tenebris quàm plurimorum virorum doctiſſimorum memoria, eximiis ſane laudibus digniſſima, niſi vel Vitæ ipſorum ab aliis decantatæ, vel ſcripta eorundem eſſent ab

aliis recommendata (*scire* enim *tuum nihil est, nisi te scire; hoc sciat alter*) & laus quę ab alio proficiscitur longe verissima est iucundissimaque, quæ sæpe à minoribus etiam profecta delectat: quod fortassis ad eorum imitationem fieri putarim, qui vt vel Musicam addiscant ipsi, vel vt eius instrumenta manibus attrectẽt, adduci nullo modo possunt, laudant interim illi exercitij istud genus elegans, suæ tamen personæ & dignitati conuenire negant, honorificentiusque ducunt, inter lautiores epulas accumbendo crinitos istos Iopas aurata cythara personãtes auscultare, quam si ipsi mensæ astantes modulamina concinant. Idem animo reputantes nostro, minime dubitauimus huic Prosopographiæ inserere quoque CL. V. *dn.* CHRISTOPHORVM HARDESIANVM *I.C. & Syndicum* dum viueret, *inclytæ Norimbergensium Reip. honoratissimum*, nacti enim effigiem eius ad viuum expressam, nobis ipsis ea in parte deesse noluimus, neq; hæc res scrupulum nobis peperit, nouimus quę viri illius in rep. autoritas, nouimus quæ virtutum doctrinæq; eius eminentia, nouit omnis Germania nostra, quibus in remp. meritis immorta-

mortalitati nomen ſuum conſecrarit: atque vt cætera taceant, loquitur iſtud abunde *Reſponſorum eius Iuris liber*, quo vix doctiorẽ, vix conſultiorem reperias in eo genere.

Cæterum HARDESIA Ducatus Brunſuicenſis oppidũ, ob viros inde oriundos eximios, nobile clariſſimumq;, HARDESIANO noſtro patria eſt, in qua finita nobilium de Gladebeck/ familia, *Magnificus, Nobilis atque Strenuus dn. IOAN. IAGEMAN* in Hardegſſen & Göttingen *I.C. Reuerendiſſimi Illuſtriſſimiq; Ducis Guelfi dn. HENR. IVLII Muſagetis fortiſſimi potentiſſimique Cancellarius ampliſſimus*, nunc reſidet. At verò te, ô HARDESIA, beatiſſimam, cui non Hercinia ſolũm virentiſſima, ſed & frondoſum Cyrrhæ nemus & nemoroſa Cynthi iuga inuideãt plurimùm, nunc enim nõ ex te modò tot tãtiſq; illuſtraris luminibus, maxime *HENR. illo PETREO tuo HARDESIANO V.I.D. atq; Conſiliario principali Guelfico conſultiſſimo*, nec non *Georgio Bartoldi Oſtmanno Illuſtriſſimi quondam Principis, ac Domini, Domini Erici Iunioris Ducis Brunſ. & Lun. inclytare-*

tæ recordationis Consiliario ac Dicasterij Mundensis præside, tum hoc ipso, quem modo diximus, CHRISTOPHORO HARDESIANO *I.C. Clariß.* atque insuper optimi nominis præclaræque eruditionis Theologis ac Historicis *IOANNE SPANGENBERGIO & IO. LETZNERO HARDESIANIS:* Verùm, en ipso etiam Domino CVRIALI nunc tuo, velut APOLLINE præ cæteris fortunatior emines; ipso, in quâ, *Magnifico, Nobiliß. & Strenuo, Clarißimoque Viro, dn. IOANNE IAGEMAN in* Hardegssen *&* Göttingen/ *Principali Brunouiensium Cãcellario ac Consiliario intimo, I.C. &c.* Sed enim reseruemus nos satis interim melioribus, donec & te, *ô fortunata HARDESIA,* tuorumq; laudes concelebremus plenius: hîc saltem CHRISTOPHORO nostro, suum addamus Encomium, quod illi suauissimus olor Francus multa canebat cum dulcedine;

PAVLVS MELISSVS Schedius.

Leges Romulidûm cœlestia dogmata callens,
Antistes fidei Iustitiæque sacræ.

HAR-

HARDESIANVS erat facie ſpectabilis iſta,
Quem docili ſolers duxit in ære manus.
Nil reliqui natura ſui ſcitiſſima fecit,
Præter quod viuos hac ſinit arte frui.
Poſt obitum ſpecies repræſentatur, & ore
Quam priùs hic tantum non propiore ſumus.
Pectora quin nõdum defuncta linuntur amicis,
Sic fruimur labiis HARDESIANE, tuis.
Et merito, ô quantus re ipſa es: cum ſpiret imago
Lumine Sulpitium, *numine viua* Numam!

M. CYRIACVS SPANGENBERGIVS
Theologus Anhalt.
Sua 70
Omnis in æthereo tua sit fiducia cælo.
Nam q; tuas uerum Spes facit illa uices.

CYRIAÇVS SPANGENBERgius Theologus.

ANNO Christi 1528. patre IOANNE SPANGENBERGIO HARDESIANO, Viro erudite docto, boniq; nominis Theologo, natus est Northusiæ *Cyriacus Spãgenbergius*. Hic cum literarum artiumque fundamenta iecisset in Schola Northusana, & cum Præceptoribus tum parentibus spem sui fecisset præclaram, vlteriores ingenij cultus capiendi causa missus est *Vuittebergam*, ea tunc Scholas per Germaniam famâ & celebritate cũ *Philippi Melanchthonis*, tum *Martini Lutheri* superabat cæteras. Hîc igitur ille studiis liberalibus eam nauabat operam, vt inter Philosophię candidatos complures locum consequeretur primum. Renunciatus autem solenni Academiarum ritu art. opt. *Magister*, vni deinceps Theologiæ totum se dedidit, quadrien-

nio toto auditor illius, quem modò diximus, *Martini Lutheri*. Eo verò defuncto cũ ad docendas literas in Schola, mox ad doctrinæ cœlestis capita in Tẽplis explicãda vocatus *Islebiam*, perque triennium recta docendo, falsaque refellendo munere suo probè perfunctus esset, de voluntate generosorum Dominorum, *Comitum*, *Mansfeldiam* concessit, Ecclesiæ ibidem tum arcis, tum oppidi Decanus & Parochus. Vixit autem inibi magnoque fuit in precio annis XXII. Porrò cum anno Christi 1548, post profligatos fœderis Schmalkaldici Proceres, & captum *Joannem Fridericum Electorem Saxoniæ*, atque promulgatũ illud, quod etiamnum INTERIM appellant, edictum CAROLI V. institutamque paulo ante Relligionis mutationem, nihil hic à Lutheri & confessionis Augustanæ professione remittendum, neque Pontificiis quicquam cedendum putaret, eorum qui *Interimistæ*, & *Adiaphoristæ*, & *Maioristæ*, & *Synergistæ*, nec nõ *Semipelagiani* appellabantur, concitauit in se odia, atq; à *Friderico Staphylo*, cæterisque Pontificiorum doctoribus, *rigidus Confessionista*, siue

Illyri-

Illyricanus, à VVittebergensibus *Flacianus* vocabatur: fanè *Matthiam Flacium Illyricum*, ętate illa & Interim istud, & eos qui VVittebergę idem atque Lipsiæ acceptare, rursumque Pontificis Romani iugum ceruicibus Lutheranorum inducere viderentur, publicè reprehendentem, eoque nomine male passim audientem, opera consilioque cum nonnullis per Saxoniam inferiorem Theologis aliis *Cyriacus* hic plurimum confirmabat: vt verò præfatis antagonistis inuisus, & ob notatas eorum opiniones odiosus foret, à *Generosis* tamē dominis suis liberaliter inuitis illis, & clementer defensus est. Cæterùm cū (inter eosdē Generosos ipsius heros obortis dissidiis) *in Comitis Volradi*, cæterorumq; inclyti olim *bellatoris Alberti* filiorum ac nepotū, nec non *Petri Ernesti*, &c. fide permaneret & quosdam præterea fratrum suorum Islebiæ in Matthiam Flacium, corruptæ hominum naturæ vitium acutius docentem disputantemque acerbius inuectus publice culparet, in exilium profligatus, prænominatum herum suum, *Comitem Volradum*, rei militaris scientia, fideique

Christianæ confessione præstantem, & ipsum exulem fideliter secutus est, eidemq; *Argentinæ* demum decedenti adfuit, & funeris exequias, vt ex *Joannis Sturmij V. Cl.* tum in publicum edito programmate constat, pie cohonestauit. Hinc *Schlitseam Buchouiæ* ad docendam Ecclesiam, vocatus est: verum defunctis paulò pòst nobilibus,& præcipue per *Hassiam* existimationis viris *Vuilhelmo à Schacht*, & *Joãne à Görtz*, denuò in exilium actus, sub Principali *Illustriss. Landgrauij Guilhelmi Illustrissimæ memoriæ* patrocinio clementissimo tantisper *Vachæ* durauit, dum ab *Illustri & Inclyto Mansfeldensium Comite Ernesto, Joh. F. Alberti nepote*, *Argentinam* accersitus, eò tota se cum Bibliotheca, præclarâ quidem illâ conferret. Eiusdem igitur hic Domini sui clementi liberalitate, tum in literarum sacrarum, tum in Historiarum studia omni adhuc cogitatione incumbit. Lucubrationes eius extãt complures, inter quas eminent Basileæ typis antehac Oporinianis editæ in Biblia Sacra Tabulæ: & Epistolarum Pauli Apostoli interpretationes: & enarrationes tum Ca-

te-

techiſmi, tum Pſalmorum M. Lutheri. Rerum item Germanicarum, Saſſonicarum præcipue & Mansfeldēſium annales ſiue Chronica haud vulgaria: & celebres de Nobilitate commentarij. Scripta præterea diuulgauit non pauca alia, præcipue de peccato Originali. Vt vero per *Matthiam Flacium Illyricum, Sarcerium, Irenæum, Joch. Magdeburgium, VVolffium, Heldelinum, Treuerum*, cæteroſque litis eiuſdem conſortes, nihil in Eccleſiam noui inuehi, ſed Germanam potius *Auguſtanæ Confeßionis*, & *M. Lutheri*, ſui olim Præceptoris, ſententiam defendi etiamnū contendat, non ita tamen ſuorum multis adhuc perſuadet; *Bellarmino* quidē & Pontificiis Theologis aliis hac in parte aſtipulantibus, & etiamnum in Lutheranorum pertinaciorū ſeriem ipſum referentibus. Eiecti eiuſdē *Mansfeldiâ Hiſtoriam* præter alios *Schererus*, nō paruæ apud pontificios autoritatis Scriptor, recenſuit contra *Oſiandrum*. Sed vt ſcriptorum eius ſpecialiorem aliquam tabulam habeamus, quædam enumerabimus, quæ non minus Lectori ſcitu erunt grata. Scripſit autem præter ſu-

pra enumeratas lucubrationes *Admonitionem ad omnes Germanos milites laudis & honesti studiosos*, addita est consideratio vaticinij Danielis 12.cap. *& admonitio vt in delectu militum Papistico non dent nomina.* sunt præterea eius opera hæc: Historia de Vita, Vocatione, Ministerio ecclesiastico & morte Ioachimi VVestphali. Instructio quomodo infantes DEO offerri debeant, & vt eorum exemplo corã DEO ambulandum sit, loco funebris concionis in obitu *Reinharti Comitis Mansfeldẽsis* adhuc paruuli. Præfatio in Germanicum Psalmorũ & aliarum Ecclesiasticarum cantionum librum. Præfatio alia itidem in librum Andreæ Langij Cythara Lutheri, Psalmi, & Cantiones sacrę Martini Lutheri explicatæ concionibus aliquot. Concio qua Germanos ad pœnitentiam exhortatur. Explicatio priorum octo capitum Epistolæ Pauli ad Romanos. Conciones de tota vita Christiana. Responsio ad mendacia quæ sparguntur vulgo, quod Diabolum creatorem faciat. Preces afflictæ Ecclesiæ contra falsos doctores ex Psalmis collectæ germanice. Conciones 18. de D. Lutheroha-

ro habitæ quibus eius laudes prædicantur, pleræque ex his seperatim editæ sunt Germanicè. Responsio ad Iudicium Theologorum VVittebergensium & Lipsensium, de peccato originali latine & germanice. Speculum matrimoniale. Conciones 70. nuptiales, quibus quicquid vtiliter de matrimonio dici potest, continetur. Cytharæ Lutheri pars tertia & quarta complectens capita Catechismi cantionibus exposita. Conciones septem de prouidentia DEI & æterna electione. Earundem Concionum plenior explicatio. Præfatio in librum Iodoci Hockerij de excommunicatione Germanice. Cõcio eiusdem de peccato & remissione peccatorũ. Item Confessio de quibusdam fidei articulis, contra falsas Theologorum protestantium accusationes. Refutatio lenis accusationis concionatorum Islebiæ, in qua Mansfeldicos Manichæis cõparant. Pollicitatio, adiecta breui confessionis de Originali peccato repetitione: Historia de initio, fundatione aliisque rebus cœnobij Mansfeldensis, adiunctis duabus Orationibus funebribus. Ad Institutionem Iacobi Andreæ, de peccato Originali Responsio. Pœnitentia Dauidis, exemplum

pra enumeratas lucubrationes *Admonitionem ad omnes Germanos milites laudis & honesti studiosos*, addita est consideratio vaticinij Danielis 12. cap. *& admonitio vt in delectu militum Papistico non dent nomina.* sunt præterea eius opera hæc: Historia de Vita, Vocatione, Ministerio ecclesiastico & morte Ioachimi VVestphali. Instructio quomodo infantes DEO offerri debeant, & vt eorum exemplo corã DEO ambulandum sit, loco funebris concionis in obitu *Reinharti Comitis Mansfeldẽsis* adhuc paruuli. Præfatio in Germanicum Psalmorũ & aliarum Ecclesiasticarum cantionum librum. Præfatio alia itidem in librum Andreæ Langij Cythara Lutheri, Psalmi, & Cantiones sacrę Martini Lutheri explicatæ concionibus aliquot. Concio qua Germanos ad pœnitentiam exhortatur. Explicatio priorum octo capitum Epistolæ Pauli ad Romanos. Conciones de tota vita Christiana. Responsio ad mendacia quæ sparguntur vulgo, quod Diabolum creatorem faciat. Preces afflictæ Ecclesiæ contra falsos doctores ex Psalmis collectæ germanice. Conciones 18. de D. Lutheroha-

ro habitæ quibus eius laudes prædicantur, pleræque ex his seperatim editæ sunt Germanicè. Responsio ad Iudicium Theologorum VVittebergensium & Lipsensium, de peccato originali latine & germanice. Speculum matrimoniale. Conciones 70. nuptiales, quibus quicquid vtiliter de matrimonio dici potest, continetur. Cytharæ Lutheri pars tertia & quarta complectens capita Catechismi cantionibus exposita. Conciones septem de prouidentia DEI & æterna electione. Earundem Concionum plenior explicatio. Præfatio in librum Iodoci Hockerij de excommunicatione Germanice. Cõcio eiusdem de peccato & remissione peccatorũ. Item Confessio de quibusdam fidei articulis, contra falsas Theologorum protestantium accusationes. Refutatio lenis accusationis concionatorum Islebiæ, in qua Mansfeldicos Manichæis cõparant. Pollicitatio, adiecta breui confessionis de Originali peccato repetitione: Historia de initio, fundatione aliisque rebus cœnobij Mansfeldensis, adiunctis duabus Orationibus funebribus. Ad Institutionem Iacobi Andreæ, de peccato Originali Responsio. Pœnitentia Dauidis, exemplum

emplum veræ & ſalutiferæ patientiæ regis Dauidis ex Pſalmo 51. De colloquio Lindauico inter Iacobum Andreæ, & Tobiam Ruppium anno 1575. Reſponſio ad Iſlebienſes Theologos, ex qua cauſæ & acta plurima controuerſiæ de peccato originali intelliguntur. Hiſtoria *Manichæorum*, de furioſæ & peſtiferæ huius ſectæ origine, & propagatione, doctoribus, diſcipulis & propugnatoribus, eorumque actis & ſcriptis, vanitate, & inconſtantia, ex Eccleſiaſticis hiſtoriis & patrum ſcriptis collecta. Idem Pſalterium Dauidis, cæteraſque cantiones ſacras, veteris & noui Teſtamēti, & plures ſanctorum Euchariſticas ſententias Muſicis numeris & vocibus accommodauit, germanice in octauo Francforti, Anno 1582. Ad 18. ſupra indicatas Conciones de Lutheро acceſſit 19. & 20. ſermo de eodem anno 1583. edidit librum germanicum hoc titulo: Aduerſus nouos gloſſatores, & inuertentes verba Chriſti in Cœna, hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur. Hactenus quidem commemorata in publicum abierūt, quæ apud ipſum verò adhuc latent plurima vtiliſſima, dies ipſa in medium producet, quando id vel authori, vel aliis eius patronis aut hæredib. olim cōmodum videbitur.

MARTINUS CHEMNITIUS BRUNSUICENSIS Theologus.
Nasc. Brunsuigæ
Ao
obijt in patria
Ao 1586
Si qua Tridentino latuit Sphinx abdita monstro.
Eruta Chemnitij est omnis ea ingenio

MARTINVS CHEMNITIVS
Marchita, Theologus Brunſuic.

MARTINVS CHEMNITIVS natus eſt BRITZÆ, veteri *Marchiæ* oppido, FIDELI cognominato, anno 1522. parentibus honeſtis, patre lanificio victum quæritante. In iuuentute varias difficultates & ſtudiorum impedimẽta ob rei familiaris anguſtiam expertus. Primis literarum rudimentis in Schola patria poſitis, artium & linguarum fundamenta *Magdeburgi* iecit: Philoſophię ſtudia *Frãcofordiæ ad Oderam* ſub agnato ſuo dn. GEORGIO SABINO, & VVittebergæ ſub dn. PHILIPPO præceptoribus, & hic præter cætera Matheſin quoque addidicit. Inde dn. Sabinum *Regiomontium Boruſſiæ* inſecutus Scholæ oppidanæ ibidẽ præpoſitus gradu MAGISTERII in prima eius Academiæ promotione ornatus eſt. Poſtea Bibliothecæ Principis in-

ſtructiſſimæ præfectus Theologiæ ſtudio totũ ſe dedit: *Duci Boruſſiæ* ob ſtudium *Aſtrologiæ* ſanioris, & ſingularẽ quandam in eo ſtudiorum genere dexteritatem, & εὐτοκίαν præcipue carus, eoque nomine etiam à *Marchione Brand. Joanne* in honore habitus. Iſthinc VVittebergam denuò reuerſus, dn. Philippi conuictu vſus fuit, à quo publica locorum cõmunium prælectione ipſi demãdatâ, ſub primordia iſtius prælectionis *Brunſuigam* à Senatu eius loci vocatus cõmigrauit: cui laudatiſſimæ Eccleſiæ continuos triginta annos primò Coadiutor, deinde Superintendens (quo tempore gradu DOCTORIS *Roſtochij* decoratus eſt) præfuit, ſummaq; tum fide, tum laude & Concionibus & Lectionibus publicis inſeruiit. Cum interim opera eius à *rege Daniæ Friderico, Electoribus, Palatino Ludouico, Saxone Auguſto, & Brandeburgico Ioh. Georgio; Principibus, Ioanne Marchione Brand. Alberto Boruſſiaco, & Iulio Brunſuicenſi, Ordinibus Euangelicis Auſtriæ, aliisque celebribus Rebusp.* expetita fuiſſet. Conſiliis ipſius in negociis Eccleſiaſticis vſi ſunt *Elect. Brand.*

Jo.

Jo: Georgius: Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes, Iulius & Guilhelmus. Labores pro aſſerēda contra aduerſarios Orthodoxa veritate infinitos exantlauit, Philoſophus ſummus, & Theologus profundiſſimus, neque veritatis bonarumque artium ſtudio, neque laude officij facile cuiquam ſecundus. Tandem laborum mole fractus, viribuſque corporis exhauſtis, anno dn. octuageſimo ſexto: octauo Aprilis die, Ætatis anno, ſexageſimo tertio completo, in conſtanti eius doctrinæ, quam viuus voce & ſcriptis profeſſus fuerat, confeſſione carnis viam ingreſſus, animam ſuam Chriſto commendauit, in eoq; pie & placide *Brunſuigæ* obdormiuit: ingenij, eruditionis, iudicij & moderationis laude, apud ipſos etiam aduerſarios ſibi parta, nominiſque memoria ex editis monumentis in toto Chriſtiano orbe immortali relictâ. Scripſit multos ſanè præclaros de religione libros, quos inter præcipuus eſt ille Examinis Decretorum Concilij Tridentini toto orbe terrarū celebratus, complectens explicationem prȩcipuorum locorum differentiæ Chriſtianæ: extat eiuſdem explicatio de duabus naturis in Chriſto, deque hypoſtati-

ca earum vnione, de communicatione idiomatum, qua ea quæ vnius naturæ propria sunt, tribuuntur personæ in concreto, quomodo vtraque natura in Christo agat cum communicatione alterius & quid humana natura in Christo præter Physica idiomata, ex hypostatica cum diuinitate vnione acceperit, &c. ex scripturæ sentētiis, & ex purioris antiquitatis testimoniis collecta. Extat eiusdem liber contra Catechismum Heidelbergensem: Fundamenta item sanæ doctrinæ de vera & essentiali præsentia, exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Domini in Cœna. itē Forma examinis siue enchiridion de præcipuis doctrinę cœlestis capitibus germanice ab eo cōscripta, & in latinam linguam conuersa per Ioannem Zangerum, edidit & librum de peccato originis cōtra Manichæos, Concionem itē de Baptismo germanice excusam Henricopoli, decorauit eum hoc Elogio

GEORGIVS CALAMINVS.

Magnum terra virū, magni post fata Lutheri,
Si quem felici Teutonis orbe tulit.

Certe

Certe CHEMNITIVS fuit is: monumenta libro-
rum,
Hercule vel dignus quod labor ille probat:
Impia dum Latiæ decreta examinat Hydræ:
Fœta Tridentino quæ parit illa solo.
Enthea syderei tutans & iura Senatus,
Pugnando Christi pro grege victor ouat.
Et bene habet: monstrum vires quodcunque re-
sumat,
Pestis Chemnitium vincere nulla potest.
Ecquis erit semper MARTINVS in arma para-
tus?
Alcidenque dabunt sæcula quæque suum.

MARTINVS BAREMIVS F. hocilli anagramma lusit:

MARTINVS CHEMNITIVS, SAcræ Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Brunsuicensis Superintendens.
ἀναγραμματικῶς.

Bullæ inopes veri: duce Christo scanditur æther:
Tersimus: agnosces, mens nisi cæca nocet.

AN-

ANDREAS TRICESIVS NOBILIS Polonus Epitaphium faciebat, Plocensi in oppido Masouiæ ad Vistulam, die XXX Junij, anno Christi M. D. LXXII.

MNHMOΣYNON.

ORNATISSIMI ACRI IVDICIO, ERVditione solida, & multis præclaris virtutibus sacræ Theologiæ Doctoris, dn. MARTINI CHEMNITII Marchitæ, Pentapolis Brunsuigæ Superintendentis integerrimi.

MARTI*us huic animus, diuino & Flâmine ple*NVS,
CH*risti propugnat qui dogmata, debet inesse:*
EM*endatque sacris inuectos eius abusus.*
NI*mirum in vitâ, supremâ luce, futurâ*
CI*ues sicut Sol fulgebit hic inter Olympi,*
VS*que in perpetuum,* DANIEL *testatur vt, æuum.*

SYMBOLVM VERO DN. MARTINI CHEMNITII quod viuus sibi adagij loco vsurpauit, idem Epitaphij vice Manibus inscriptum est, mutatis mutandis, tale:

Quod viuo (vixi) in carne: viuo (vixi) in fide Filij DEI, *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Gal. 2. vers. 20.*

IX.

GEORGIUS PRINCEPS ANHALDINUS, Ascaniæ Comes, Propositus
B.
Nat. A°. 1507.
Ob. A°. 1553. 15. Kl. Novemb.
Ascania proavi quantum valuere triumphis,
Hoc tantum, pura religione valet.

GEORGIVS PRINCEPS *Anhaltinus, Ascaniæ Comes, Præpositus Magdeburgensis.*

GEORGIVS DEI Gratia, ex illustrissimorum Germaniæ principum familia antiquissimæ nobilitatis prognatus, patrem habuit *Ernestum, Principem Anhaltinum, Comitem Ascaniæ, Bernburgi & Seruestæ Dominum,* matrem *Monsterbergensem,* natus est anno 1507. Princeps omnibus & animi & corporis dotibus egregiè ornatus: prima sua studiorum rudimenta feliciter *VVitteberga* posuit, rarissimo à multis sæculis exemplo Sacrosanctæ Theologiæ se totum addixit; vnde Ecclesiæ *Magdeburgẽsis* & *Misnensis Præpositus* electus fuit, perfunctus munere pariter Principis & Pastoris optimi, laude summa atque autoritate propemodum diuina, quo videlicet felices illius subditi haberent, quem &

in terris dominum agnoscerēt, & in cœlum præeuntem ducem sequerentur, singulari exemplo omnium virtutū sanctissimarum hominibus subordinis in medium proposito, quin & publicis ingenij præstantis & sanctæ operæ monumentis apud posteros relictis quamplurimis. Obiit felicissima morte, completo anno ætatis 46. 15. Kl. Nou. anno 1553. Encomia illi scripta à clarissimis Germaniæ Poëtis & ingeniis; inter cætera & hæc leguntur:

PILIPPI MELANCHTH.

Ascaniæ stirpis Virtus est clara triumphis,
Ordine quos numerant sæcula longa patrum.
Cæsar in Adriaco cum gesſit littore bellum,
Et fregit Venetas Maxmilianus opes:
Dux erat Ascaniæ natus de stirpe Rodulphus:
Fixit is in Veneto multa trophæa solo.
Nunc ad maiorū decora hæc laus magna Georgi
Accedit verè principe digna viro.
Quod sic doctrinam reliquis virtutibus addis
Ut verum celebres pectore & ore DEVM.

Et

Et Christi illustres ingentia munera scriptis:
Justifica supplex quæ capis ipse fide.
Exemploq; Esdræ, populum dum iure gubernas,
Doctrinæ spargis semina pura simul.
Summe DEVS, solus qui das felicia regna,
Ascanios fratres, te precor ipse, regas.

Scripsit Orationem consolatoriã de dicto Christi, Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, in synodo diœcesana Mersbergensi recitauit. item Concionem Epithalamij loco habitam Torgæ in nuptiis illustrissimi *Augusti ducis Saxoniæ & Annæ Danici regis filiæ* anno 1548. die 8. Octobr. Conciones quatuor de vtraque specie Sacramenti, in quibus grauissimis argumentis aduersariorum obiecta diluuntur & refutantur. Consolationem ad VVolfgangum fratrem in morbo. Conciones duas de falsis prophetis, & vero vsu doctrinæ Christianæ, in quibus errores Mersbergensis Episcopi Sidonij refellit. Eiusdem Conciones & scripta omnia, cõplectentia summam veræ doctrinę, quæ traditur in Ecclesiis repurgatis è germanico in latinũ sermonem conuersa, & vtilibus scriptis ante non editis aucta,

prodierunt VVittebergæ in fol. Eiusdem tractatus de ritu Apostolico ordinationis vsitatæ in Ecclesiis purioribus additus est ad Cõfessionem Augustanam: Sententiæ verò eiusdem de controuersis articulis editæ sunt opera & studio *Selnecceri.*

IOANNES LAVTERBACHIVS.

Clarus Anhaltina de stirpe Georgius heros,
Cui nulla è Ducibus sæcla tulere parem.
Hebræo doctus, doctus sermone Pelasgo
Ausonioq; fuit totius orbis amor.
Non modò purgata iam relligione, salubre
Agnouit sectans mente salutis iter.
Defendit scriptis quoque coram Cæsare magno,
Nec veram metuit voce docere fidem, &c.

Hebræos inter, duumq; oracla professos
Forsterus palmam laudis & arte habet.

IOANNES FORSTERVS

Theologus Hebræus.

IOANNES FORSTERVS vſuram lucis primùm *Auguſtæ Vindelicorum* cepit, anno 1495. Adoleſcens multas Germaniæ Academias perluſtrauit, deditus præcipuè ſtudio linguarum, quæ in Scholis maximè docētur, cum ergo tùm in linguis, tùm ſacris literis egregiè pfeciſſet, S. Theologiæ Doctor *VVittebergæ* fuit renunciatus, in qua Academiâ deinde Linguæ Sanctæ Profeſſor habitus eſt longe doctiſſimus: eam Lexico edito plurimum illuſtrauit & amplificauit. Tandem poſtquam Chriſtianæ reipublicæ multis annis fidelem operam nauaſſet, immoritur iiſdem ſtadiis, quibus dum vixerat, contentus inhæſerat. Obiit autem *VVittebergæ* anno Domini 1556, XII. Decembr. Ætatis LXI. Scripſit ſanè, vti diximus, nouum & abſolutum Hebraicæ linguæ

Dictionarium, non ex Rabinorum commentitiis, sed ex ipsis thesauris Bibliorum, & accurata eorundem locorū collatione deproptam, cum phrasibus scripturæ veteris & noui Testamenti diligenter annotatis, quod excusum est Basileæ in folio.


IOANNES BUGENHAGIUS Pomeranus Theol. Wit
Nasc. Iuhni in Pomera
An. 1485.
Ob. Witebergæ.
An. 1558.
In medio felix pelago jam Dania nidos
Te duci constituit pro grege Christigenu

JOANNES BVGENHAGIVS
Pomeranus Ecclesiæ VVitteberg. Pastor.

IOANNES BVGENHAGIVS nascitur anno 1485. *Iulini in Pomeraniâ*, posuit prima studiorū suorum fundamenta *Gryphiswaldiæ* in Academiâ, & factus est Literator iuuentutis *Treptæ*, deinde adiunctus collegio Presbyterorum Lectionibus sacris & popularibus concionibus operam dedit. Demum Christianismo per LVTHERVM instaurato VVittebergam euocatur anno 1521. vbi summus Ecclesiæ Pastor, & Academiæ Professor constituitur. Qua in statione ille totos annos 38. summa fide & diligentia constantissimè perseuerauit; ab omni prorsus alienus ambitione & auaritiâ, cum ad splēdidos Pōtificatus suscipiēdos à summis Regibus & Prin-

cipibus sæpius inuitaretur; prestabat autem fidelem suam operam interim plerisque Ecclesiis Septentrionalibus pie rectéq; constituendis, videlicet *Daniæ, Pomeraniæ & Saxoniæ*, tanquam Legatus DEI, & Euangelista sanctissimus. Tandem relicta sui memoriâ beatâ, obiit placide *VVittebergæ* annū agens vitæ septuagesimum tertium, 20. Aprilis die; Anno Christi 1548. Scripsit interpretationē in librum Psalmorum. Psalterium Dauidis & integros locos sacræ scripturæ, ex omnibus prophetis cum quibusdam aliis piis canticis latine conuertit. Annotationes fecit in Epistolas Pauli, ad Ephesios, Philippenses, Colossenses, vtranque ad Thessalonicenses, ad Timotheum, vtranque ad Titum, Philemonem & Hebræos. Publicam confessionem ex Christi institutione, de Sacramento corporis & sanguinis Christi, qua suæ fidei de Cœna domini reddit rationem. Contra nouum errorem de Sacramento corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi Epistolam, quæ eadē germanice expressa est VVittebergæ. Epistolam ad fideles in Anglia. Annotationes in Deuteronomion; in Samuelem Prophetā, id est, duos libros Regum. Histo-

riam

riam passi Christi & glorificati, ex euangelicis conciliatam cum annotationibus; eadem germanice edita est VVittebergæ. Scripsit etiam expositiones in Ionam Prophetam. Extat eiusdem Epistola Christiana, ad generosissimam matronam *Annam ducissam Stetinensem*, germanice.

EVM MELANCHTHON SEquenti ornauit Encomio:

Coniugis vt senio confecti corpus aquatum.
Ipsa suis humeris Halcyo grata gerit.
Sic benè promeritum Doctorem Ecclesia curet,
Et leuet ætatis pondera dura seni;
Sic tua canities Doctor Pomerane fidesque
Sincere est cunctis iam veneranda piis.
Qui procul externis sparsisti fidus in oris
Puræ Euangelij semina voce tuâ.
Ac ceu Baptistes agnum monstrare solebat,
AEterno Christum de genitore satum.
Tu quoq; iustifica docuisti agnoscere Christum,
AEternique patris sumere dona, fide.
Fictiliumq; alias formas tua lingua DEORVM,
Euertit, Papæ quas voluere coli.

Et

Et velut in ſcopulis celſos locat Halcyo nidos,
Hyberni circum quos fremit vnda maris:
Sic medio in pelago felix iam Dania nidos
Extruxit Chriſto, te fabricante, pios.
Te DEVS hos inter texit, inuitque labores.
Nunc vita functus viuis in arce poli.

Eundem anonymus ſcite deſcripſit hiſce iambicis:

Si ſic docendo flexiles
Mouere mentes quiueris,
Lenti vt ſolent curueſcere
Dumi (id ſonat vis nominis)
Tum laude maior qualibet
Sis iure habendus omnibus.

I

VITUS DITERICHUS Pastor Ecclesiæ Norimbg
B.
Nasc. Noribergæ, anno.
Ob. in patria Ao 1551 at Marty
Vite quod in terris animis das vivere vitam,
Æternum vives vivide Vita Deo

VITVS DITERICHVS
Theologus Norimbergenſ.

PATRIA VITI DITERICHI *fuit Norimberga* Germaniæ vrbs longe clariſſima. is verò *VVittebergenſis* Academiæ vetus alumnus, Philoſophiæ pariter & Theologiæ ſtudiū ibidem amplexus eſt, in Philoſophia *Magiſter*, in Theologia, ſi non nomen, at omen tamen. *Doctoris* clariſſimi diuino numine aſſecutus eſt, quod ſuis partim, partim Doctoris ſui, M. Luthen, ceu iudicis & approbatoris digniſſimi commentariis ſacræ ſcripturæ in publicum editis ſatis euidenter conteſtatus eſt. Ob id ergò Norimbergam reuocatus & miniſterio Euangelico prępoſitus eſt in æde Sebaldinà. *Ratisbonæ* in Comitiis anno 1546, adhibitus fuit colloquio doctorum virorum de religionis cõtrouerſia. Vir magna vi eloquentiæ & vitæ ſanctimonia prædi-

tus, tandem obiit in patria feliciter anno 1549. 26. Martij die. Collegit & diuulgauit commentaria Martini Lutheri in Micheam Prophetam, & annotationes in 11. caput Geneſis (quibus & præfationem appoſuit) cum aliis coadiuuantibus. Extant eiuſdem annotationes quæ commentarij vice eſſe poſſunt, in Pſalterium Dauidis carmine redditum per Eobanum Heſſum. Oratio quæ de ſtudio linguarum in Academia VVittebergenſi ab eo pronunciata eſt, habetur impreſſa cum declamationibus Philippi Melanchthonis. Scripſit breues annotationes in tota Biblia germanica. Explicationem aliquot ſententiarum conſolatoriarum ex D. Ioan. Fecit expoſitionem germanicam in Eſaiam. Annotationes compendiarias in nouum Teſtamentum. Plures tractatus germanica lingua edidit, de quibus ſequentes adſcribemus. Liber de officiis Paſtorum, quem vulgo Agenda Paſtori nuncupāt. Explicatio Pſalmi 9. qui affert conſolationem moribundis. Expoſitio Pſalmi 20. aduerſus Turcas. Inſtitutio Chriſtianæ doctrinæ & vitæ. Sententiæ conſolatoriæ aduerſus ſtimulos conſcientiæ. Tractatus quomodo ſe gerere debeat Chriſtia-

Christianus tempore persecutionis. Institutio de modo orandi. Homilias in verba Simeonis, de præparatione ad mortem. Elegans est Elogium quod *Philippo Melanchthone* authore tulit, hisce versibus:

Effigiem Viti pictura hæc monstrat inanem,
Conueniens nomen cui Theodorus erat.
Clara pios dedit huic vrbs Noricaberga parentes,
Addidit ingenio sed sua dona DEVS.
Ipsius mores casti & sine labe fuerunt:
Justifica coluit te quoque Christe fide.
Sparsit & in patriâ constanti robore mentis
Pura Euangelij semina voce piâ.
Ingenij monumenta sui; sed plura Lutheri
Edidit: his poterunt secla futura frui.

EST ET CLARISSIMI DN. REVSNERI carmen in eundem elegantissimum quod sequitur; in quo de se ipso ita loquitur Vitus:

Multum qui scribit, multum quoq; viuere terris
Creditur, hinc ætas scriptitat illa nimis.

Pauca equidem scripsi, sed vitæ commoda sanctæ,
Per me commodiùs Biblia quisque leget.
Per me Euangelij fit lectio clarior, ægris
Per me pectoribus certa medela venit.
Sat scripsi, sat ego vixi quoque: nempe professus,
Dum vixi, Patriæ cælica verba meæ.
Quod superest Christo super æthere viuo beatus,
Quem colui: felix viuere Vita DEO.

Quid condimento hoc sapiat mage, quid mage gratum
Hoc Pfeffingero, cui sua dicta piper.

IOANNES PFEFFINGERVS S. Theol. D.

BAVARVS fuit natione IOANNES PFEFFINGERVS, natus anno 1494. Vir ſpectatæ tum eruditionis tum probitatis & inſignis Theologus, totus à prima ætate promouendæ Chriſti gloriæ addictus. is repudiata ſuperſtitione Papiſtica, multo ardentiùs agnitam veritatem amplexus fuit: ſacrarū literarum *Doctor* pręclarus erat, & *Lipſenſis Eccleſiæ Paſtor*, & Antiſtes verus ac venerandus. Fatis tandem cōceſſit anno Chriſtiano 1573. Ætatis anno 80. 3. Non. Ianuarij. Scripſit de gradibus & vocatione miniſtrorum in Eccleſia DEI, concluſiones ad diſputandum propoſitas. Item de cap. 5. Machabęi concluſiones cum confeſſione doctrinę & fidei. idem libellum germanicum edidit de adiaphoris, & alium contra dolos & fraudes, quibus diuinā veritatem quidam labefactare conantur. Pręterea librum con-

ſolationum deſumptarum ex verbo DEI. Item Concionem in funere *Iuſti Menij*. Eiuſdem Methodica enarratio vniuerſæ Hiſtorię Ieſu Chriſti, additis formis precum, emendata ab authore, paulò ante ſuum ex hac vita exitum, & per Ioannem Salmutenſem edita eſt germanice. Ornauit eum Berſmānus Poëta inſigni elogio quod ſubiiciemus;

Qui Pfeffingeri ſimiles in imagine vultus
Aſpicis, hoſpes, & hæc perlege ſcripta memor.
Bauariæ dedit hunc tellus in luminis auras,
Quem vita functum Lipſia condit humo.
Dicere lōga mora eſt per quot diſcrimina rerum
Hunc exercuerit dæmonis ira trucis.
Finibus extorrem patriæ preſſumque ſuorum
Inuidiâ, atque odiis turba profana tuis.
Dum venale Papæ cœlum, miſſamque peroſus,
Mauult eſſe tui portio Chriſte gregis.
Cui ſe doctrinæ ſtudio, ſanctoque labore
Atque operæ curâ conſiliique fide,
Addixit, moderanſq; ſcholas & templa gubernās
Haud grauis imperij fulmine, pacis amans.

Teſtis

Testis erit iuueni vitæ sine labe peractæ,
Leucoris, & secli fama, Luthere, tui.
Et tu relligionis apex, diuine Melanchthon,
Et tu qui clarum de Cruce nomen habes.
Postq; hos consilij consors, sociusq; laborum,
Tu quoq; adhuc nostræ spes Ioachime, scholæ.
Orba sui luget Pastoris Lipsia fatum:
Amissumque gemit Misnidos ora patrem.
Salue sancte senex, decus ô venerabile morum,
Salue cœlestum consociate choris.

ORNAVIT EVNDEM PETRVS Lossivs sequenti carmine:

Eximium patriæ decus & pia fama suorum,
Ille ego sum populi Lipsia clara tui.
Qui verbis potui mollire adamantina corda,
Soluere qui curis tristitiaque graues.
Exemplum fueram morũ & pietatis honestum,
Id quoque nunc culta posteritate probo.
Inuide dic de me nunc quidlibet, ipse ego iunctus
Nunc Christo longè sum meliore loco.

IOANNES DRACONITES
Theol. Nasc. Carolostadij in Franconia. Obyt. Wittebergæ. An. 1566. 11. Aprilis.
Pauca quidem sed docta legit, qui scripta Draconis
Volvit, at hei properam quam gemet ille necem

JOANNES DRACONITES
Theologus.

OANNES DRACONITES natione *Francus*, patria *Caroloſtadius*, primum ætatis ſuæ tempus in ſtudiis literarum & doctrinæ *Erphordiæ* cõſumpſit, & eodem in loco honores ſcholaſticos adeptus, ibidem eas aliquandiu publice & priuatim cum laude docuit. deinde *VVittebergæ* ſacroſanctæ Theologiæ *Doctor* renũciatus fuit. Hinc *Marpurgi*, & inde *Roſtochij* ſacras literas profeſſus, tandem *Sambienſis Eccleſiæ præſes* conſtituitur. Verùm *VVittebergam* regreſſus, Bibliorum opus quintuplex animo agitabat ad inſtar illius Origenis operæ veterum monumentis celebratæ, vt & alterius recentioris Complutenſis. Cuius ſpecimẽ in medio reliquit ſanè egregium & poſteris admirãdum. Tandem inter hos tam pios & ſanctos conatus vir optimus & doctiſſi-

mus, ac in primis linguæ Hebręæ, Chaldęæ, Grę-cæ, Latinæ, pręter vernaculam peritissimus è vita euocatur, ac *VVitteberga* magno reipubl. & Ec-clesiæ detrimẽto obiit maior Septuagenario anno sal. 1566. 18. Aprilis, quod elegantissime EOBANVS in sequenti carmine expressit:

Postquam est aperta & explicata veritas
Per scripta Christiana, per verbum DEI,
Vt ipsius velè media plebe infimi
Mysteriorum conscij, nil ambigant:
Quin constet antichristidos regnum schola
Venisse in ista & perdidisse tempora:
Quidni fateamur Antichristum impium
Exterminandum Christianis omnibus,
Ac persequendum Christianis omnibus,
Constante veritate, scripturâ, fide;
Ne pergat vltra Christianos fallere
Tyrannica crudelitate & fraudibus.
Si forte quæris illius potentiam,
Autoritate qua sit ad verbum DEI,
Quod ipse deprauarit improbissime,
Et plura eodem scripta pertinentia:

Hæc

Hæc cerne scripta quæ Draconites tibi,
Sed scripta pauca, at erudita condidit:
Quæ Christianæ veritatis maximam
Partem scopumque persequendum continent.

Transtulit aliquot sacros veteres Testamenti libros ex Hebræo, & succinctis commētariis eos explicauit, ex quibus hæc sunt: Commentarius in Psalmos aliquot & capitula Geneseos de Christi regno: Psalterium ex Hebræo versum cum scholiis seorsim adiunctis, Commētarius in Danielem ex Hebræo versum, cum oratione & indice. In Psalmum 112. enarrationes. Sunt & germanice quędam eius nomine edita, quorum hîc nulla mentio. Commentaria Euangeliorum de Iesu Christo filio DEI libri duo, quorum primo continentur Euangelia ab Aduentu vsq; ad Ascensionem, altero ab ascensione vsque ad aduentum, quibus adiectus est Catechismus. Idem scripsit commentaria in Obadiam & Psalmum 137. Item commentaria in Ioëlem. In diuersos Prophetas interpretationes. Amos Prophetam ex Hebræo in Latinum conuertit. Edidit etiam *Orationes funebres in obitum Eobani; in obitum Gerardi Nouiomagi: in obitum Doct. Nicolai Ma-*

Magni: in obitum Doct. Martini Lutheri. In obitum Elisabethæ Blanconemiæ. Item Orationem in peste super illud Iob 19. Scio quod redemptor &c. De Catechismo super Euāgelium Marci 10. De Euangelico concionatore: De officio Principis & concionatoris: De victoria principis super Psalmum 149. De Christiana fide super verbum DEI fundata, ad Bremenses. Defensionem coniugij sacerdotalis ex scripturis. Defensionem concionatorum Euangelicorū ad Colonienses. *De numeris Oratoriis librum.* Carminum librū. Postilla per annum 1545. Subiecit textui Hebraico Prouerbiorum Salomonis quatuor aliarum linguarum versiones & annotationes, idem in aliquot Prophetas præstitit. De eodem Nigidius ita canit:

Hic Draco percelebris doctrinæ fama trilinguis,
Saluifici verbi buccina clara fuit.
Nutriit hunc iuuenem præstans Erphordia primùm
Leucoream cupide transtulit inde scholam.
Amplexus magni solidissima scripta Lutheri,
Dotibus & captus clare Philippe tuis.

Sincere

Sincere docuit diuini oracula verbi,
Doctrinæ rectæ consona vita fuit.
Præsidiis verò linguarum adiutus hic idem,
Sustinuit Psalmos explicuisse sacros.
In nostro docuit bis senos impiger annos,
Post alium cœpit quærere sponte locum.
Rostochium vidit, mox post ea tempora factus
Regis montanæ portio iusta scholæ
Hinc VVittebergam rediens sua fata subiuit,
AEtate in sera floridus ipse senex.

IOANNES BRENTIUS Theologus
B.
Natus Weilae in Suevia. A. 1499.
ob. Stutgardiae A. 1570. 20. Sept.
Ardor eras veræ brentii pietatis, illum.
Ardorem incendit Religionis amor.

IOANNES BRENTIVS Theologus.

IOANNES BRENTIVS natus est *Vueillæ* oppido imperiali in *Sueuia*, anno 1499. Primę laureę insignia susceptit anno ætatis suę xv. Secundæ xviii. idque *Heidelbergæ*, vbi diuinas & humanas literas magno cum applausu professus est. Anno deinde 22. constituitur Ecclesiastes *Halæ Sueuorum*, ipse simul Religionis reformandæ autor optimus maximus cum *M. Luthero & Ph. Melanchthone*, non sine maximo vitæ fortunarumque discrimine. Dehinc *Tubingam* euocatur auspiciis *Huldrichi Ducis Vuirtebergensis*, vbi Academię Commissarium & Eccleśię Antistitem agit. Tandem *Studgardiæ Christophori Ducis* vocatu Pastor & Præpositus Ecclesiæ verè Apostolicus constituitur, fungiturque eo munere ad Vitæ vsque finem summa cum religione, fide,

prudentia, dexteritate, industria, vigilantia, atq; maximo cũ vniuersæ reipubl. Christianæ commodo. is Colloquiis religioni componendę Imperij adhibitus, *Augustæ, Haganoæ, VVormatiæ, Ratisbonæ, Tridenti,* & Commẽtariis in Biblia vniuersa Exegeticis, aliis præterea scriptis Dogmaticis clarissimus obdormiuit in domino, anno 1570. ætatis 71. M. 11. D. 17. 20. Septembris. Scripsit libellum casuum quorundam matrimonialium, cui præfatus est D. M. Lutherus: Item Cõmentarium in Exodum Moysis. Commentarium in Leuiticum. Commentaria in librum Iob. In Amos Prophetam. in Ecclesiasten Germanicè, quod deinde ab alio latinitate donatum est. In Epistolam Pauli ad Philemonem & in Historiam Ester commentariolum. In Euangelia secundum Lucam homilias. in Ioannis Euangelion exegesin. In Acta Apostolorum Homilias. Explicationem Psalmi Dauidis 94. Deus vltionum & 130. De profundis. Commẽtarium in Esaiam Prophetam. Idem conscripsit Syntagma eorum, quæ nomine illustrissimi Principis VVirtebergẽsis per legatos eius acta sunt in Cõcilio Tridentino. Libellum de administranda republ.

publ.& obediētia ſubditorum. Libellum de pœna Anabaptiſtarum. Præterea conſcripſit Commentarios in libros Ioſuæ, Iudicum, Ruth, duos Samuelis. In Oſeam, in epiſtolas Pauli ad Galatas, Philippenſes, Coloſſenſes, in Epiſtolam Pauli ad Romanos commentariorum libros tres. In Pſalmorum Decades vndecim. Conciones germanicas duas, de Peſte vnam, alteram de Grandine. Syngramma de cœna Domini contra Ioannem Oecolampadium. Contra Petrum Aſotum. Catechiſmum. Poſtillam. De perſonali vnione duarum naturarum in Chriſto,& aſcenſu Chriſti in cœlum,& ſeſſionem eius ad dexteram Dei patris. Sententiam de libello Bullingeri cui titulus eſt Tractatio verborum Domini, in domo patris mei manſiones multæ ſunt. de Maieſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti ad dexteram Dei patris & de vera præſentia corporis & ſanguinis eius in cœna contra Petrum Martyrem, & Henricum Bullingerum. Recognitionem Propheticæ & Apoſtolicę doctrinæ de vera maieſtate domini noſtri Ieſu Chriſti, ad dextram DEI patris ſui omnipotentis, in quo ſcripto refutatur Henrici Bullingeri liber, cui titulum fecit fundamen-

tum firmum cui tuto fidelis quiuis inniti poteſt: Teſtamentum editum Latine & Germanice. Omnia eius opera aliquot tomis ſimul excuſa ſunt in folio. Eiuſdem vetus ſententia de Cœna Domini, quam inſeruit exegeſi in Ioannis Euangelium, edita eſt aliquoties. Hunc decorauit inſigni elogio:

IOANNES LAVTERBACHIVS.

In reſtauranda ſocius pietate Lutheri
Brentius, Auſonij magna ruina Papæ.
Talis erat facie ſenij confectus ab æuo:
Quàm priùs abriperet mortis amara manus.
Conſilij multum conuentus iuuit honeſtos,
Quos habuit ſanæ relligionis amor.
Colloquiis præſens interfuit omnibus, idem
Immenſas auxit relligionis opes.
Vera quod Europæ floret doctrina per oras,
Quæ celebrat Chriſtum relligioſa fides.
Non paruas iſti grato fert pectore partes,
Plurima pro cuius nomine dura tulit.

Equi-

E quibus insidias fugiens odiumque Potentum
Diuina tectus liber abiuit ope,
Vrbis Alexandri Doctor velut obuius hostem
Effugit, Nili cum peragraret aquas.
Organa Doctrinæ Christi quod in orbe furores
Hostiles superant, cura benigna DEI est.

ERASMUS SARCERIUS ANNÆMONTANUS Theol.
Dum sarcis scissas in religione cohortes,
Sarta tibi merito cœlica tecta sacris.

ERASMVS SARCERIVS
Theologus.

ERASMVS SARCERIVS ANNÆMONTII, quę vna est ex Misniæ ciuitatibus metalliferis, natus, anno 1500. liberaliū artium & virtutis sapientiæque studiis probe excultus fuit, in primis sacrarum literarum sciētia claruit, sacris siquidem literis VVittebergæ egregiè nauauit operā quas non solùm concionando cum magno pietatis zelo, sed & scribendo propagare atque illustrare pro virili conatus est maximè. Primò *Lipsiæ* Ecclesiastes, ac deinde *Nassouiæ* Comitatus Pastor & antistes fidelissimus fuit. Tandem optimè de Ecclesia meritus, & multis ingenij sui monumentis haud vulgaribus piæ posteritati relictis obiit *Magdeburgi* anno salutis 1559. Mensis Nouembris die 28. ætatis anno 69. Scripsit Dialecticam, Rhetoricam, Commentarios in Iesum Syrach. Expositiones in Epistolas Dominicales, ac

festiuales ad Methodi formam ferè absolutas. In quatuor Euangelistas iusta scholia, ad perpetuæ textus cohærentiæ filum. Scholia in acta Apostolica, quę Commentaria fusissima possint esse. In Epistolam ad Romanos, ad Galatas, Ephesios, Philippēses scholia. Methodos in præcipuos scripturæ diuinæ locos, ad nuda didactici generis præcepta in Theologorum vsum compositas. Dialogum reddentem rationem veterum synodorum, cùm generalium tùm prouincialium: item visitationum & nuper habitę Synodi & visitationis pro pastoribus comitatus Nassouiensis sub D. Guilhelmo Comite, simulq; explicantem eiusdē visitationis acta, quæ cognita etiam aliis regionibus multū vtilitatis afferre possunt. De cōsensu veræ Ecclesię & Sanctorum patrum, in primis autem D. Augustini super præcipuis Christianæ religionis articulis. Conciones de signis & causis, quibus Germaniæ, nisi se ad pœnitentiam cōuertat, mala plurima portenduntur. Sermones de pœnitentia, De modo reuocandæ disciplinæ. De Conciliis & Synodis. De visitatione parochiarum. De officio Magistratus & subditorum, De iustitia quæ coram Deo est, & bonis

nis operibus. Liber de cauendis veterum Papistarum crassis, & nouorum Sophistarum insidiosis erroribus. Scripsit scholia in omnes fere veteris & noui Testamenti libros. Libellum etiam de cruce conscripsit, in quo plurimas causas recenset, quare DEVS piis crucem immittat, impressum cum præfatione Philippi Melanchthonis. Congessit in vnum librum veterum & recentiorum sententias de coniugio & diuortio, qui liber impressus est germanice. Fecit Dictionarium Scholasticæ doctrinæ. Corpus Iuris matrimonialis; libellum de fraterna reconciliatione Germanice, Consolatorium scriptum de suis liberis, ad Christianum comitem germanicè. De cognitione Veritatis germanice. De passione & morte nostri Saluatoris. Eiusdem doctrina Christiana Euangelij & pontificia, quatenus vtraque verbo DEI & patrum sententiis sit munita, cum refutatione doctrinæ falsæ publice typis mandata prodiit. Hunc Lauterbachius Poëta sequēti carmine eleganter describit:

Qui geris à sancto, Sarceri, nomen amore,
Non equidem frustra nomen, Erasmus, habes

Relligionis honos, artes vitæque decorum,
Radices vt agant spe meliore suas,
Das operam sancto mentem perculsus amore:
Dum calamo, viuâ dum sacra voce colis.
Ingenij calamo quæ non monumenta relinquis?
Vt sarta, vt maneat gloria tecta DEI?
Quæ non suggesto facundus ab ore Pericles,
Quæ decet vt faciat munia quisque doces?
Relligionis honos, artes, vitæque decorum,
Vt Christo, fructu diuite, regna parent.

Pulpita Leucorea testantur Palados huic que
Facundo fuerit gratia in eloquio.

GEORGIVS VOLCKMARVS SS. Theol. D. & Professor VVittebergæ.

SCIRE *tuum nihil est, nisi te scire; hoc sciat alter*, inquit *Horatius*. at vt constet, doctos scientesque viros patriam & rempub. pro viribus iuuare, & iuuasse olim dū viuerent, facit Historiarū cognitio, scriptorumq; industria, quæ sola beatitudo iure dici potest, vnde scire vere beatum efficit: econtra verò omnis malus, aut ignorans est, aut impotens. animus enim tum beatus est, cum omnium optima & prę̄stātissima intelligit. Cumque Deum optimū & præstantissimum omniū, maiestatis immensæ, potentiæ infinitæ, omnia in se continentem, in quo præteritorum, prę̄sentium, futurorū exemplaria relucent, animus noster atq; intellectus apprehendit, tum beatus est, tunc gaudio solido impletur, tunc veram & immutabilem beatitudinem possidet, & merito: Deus

XVII.

Pulpita Leucorea testantur Palados huic que
Facundo fuerit gratia in eloquio.

GEORGIVS VOLCKMARVS
SS. Theol. D. & Professor VVittebergæ.

SCIRE *tuum nihil est, nisi te scire; hoc sciat alter*, inquit *Horatius*. at vt constet, doctos scientesque viros patriam & rempub. pro viribus iuuare, & iuuasse olim dū viuerent, facit Historiarū cognitio, scriptorumq; industria, quæ sola beatitudo iure dici potest, vnde scire vere beatum efficit: econtra verò omnis malus, aut ignorans est, aut impotens. animus enim tum beatus est, cum omnium optima & prętātissima intelligit. Cumque Deum optimū & præstantissimum omniū, maiestatis immensæ, potentiæ infinitæ, omnia in se continentem, in quo præteritorum, prętentium, futurorū exemplaria relucent, animus noster atq; intellectus apprehendit, tum beatus est, tunc gaudio solido impletur, tunc veram & immutabilem beatitudinem possidet, & merito: Deus

Deus enim est summum bonū: sed prout quiq; viri sapientissimi & disciplinarum fonte exculti crediderunt, ita erunt & sapientiores, & quod consequens est, beatiores, capacioresque felicitatis æternæ, vnde illud dictum est, *fulgebunt iusti sicut stellæ, & intelligentes sicut firmamentum*, quanto autem totum parte præstantius sit, qui non videt cæcus est, & hac in re sicuti in luce cōtingit, clarissimam enim lucem non omnes æqua portione arripiunt, namque qui hebetioris sunt visus, minus claritatis accipiunt, quàm quī acutiore lumine perfruuntur, & huc tendere illud Euangelicum videtur, *in domo patris mei multæ mansiones sunt*, non enim omnes beati, cum plene contenti sint, æquam beatitudinem possident, quoniam ea vt quisque capax est participat, vt in conuiuiis videmus, esculentorum capaciori ventre qui est, plus illo vorauit, qui angusto ventre compactus est, & tamen vterque ad saturitatem vsque repletus est, neque amplius optat. quæ sane satis hic in loco attingimus in contumeliam ignorantiæ, quæ sapientiæ, id est *Palladis* hostem se profitetur, cuius quidem Palladis & amatrix & pedissequa est scientia, sola beatum

tum efficiens. Vnde *Cicero* omnibus quirempub. iuuerint, auxerint, defenderint certum & definitum locum in cœlo esse, vbi beati sempiterno æuo perfruantur, econtrario vastatoribus conturbatoribusque reipub. in inferno locum tribuit *Vergilius*. Hæc ergo quæ narrauimus fidem certissimam nobis faciunt, Reuerendo & claro Viro *Georgio Volckmaro SS. Theologiæ Doctori ac eiusdē Professori in Academiâ Vuittebergensi publico* beatorum sedem in cœlo paratam; hoc autem nulla certitudine sed coniecturis assequi possumus, ipse namque pius, eruditus, & scientiâ pollens pios scientesque omnes coluit, ornauitque, pro rep. desudauit strenue, atque verbum Dei omnis scientiæ fontem, in prata amœnissima atque viridaria florentissima deriuauit; sed hæc & alia quæ tantus vir egit, ad exaltationem patriæ, ad reipubl. emolumenta, ad conciuium ornamenta, ad salutem studiosæ iuuentutis, ad scholæ, ecclesięq; decorem, ad communem denique vtilitatem direxit, nullus in eo fastus, nullum superbiæ vestigium, nulla arrogantiæ scintilla vnquam apparuit, vnde præclare in eius effigiem & grate ita lusit:

SAM. ROSENLON SAXO.

Sic vultus, sic ora tulit Volckmarus, vt ista
Peniculo artificis picta papyrus habet.
Quanta viro fuerit linguæ facundia, quantâ
Sensa sacri eruerit dexteritate Libri,
AEdita Leucoreæ testantur Palladis arte
Pulpita, & excelsa grandis honos Cathedra.

XVIII.

GEORGIUS WIRTH. Medicus Archiater Ludovici Regis Ungariæ & Bohemiæ. Nat. Lubergæ in Silesia An. 1520. ob. Gorlicij An. 1574.
Vt summas summa sectetur Cæsaris aulas,
Pœniæ meruit Wirthus artis ope.

GEORGIVS VVIRTHIVS
Medicus Archiater Ludouici Regis Hungariæ & Bohemiæ.

GEORGIVS VVIRTHIVS nascitur in *Silesiæ oppido Leoberga*, Anno Christi 1470. Prima studiorum tyrocinia in patriâ faciēs deinde plurimis optimisque artibus extra eam per varias Academias animum suum induit. Anno 1509. *Lipsiæ* primum *Magisterij titulos tulit*. Deinde *Bononiæ amplissimo Doctoris Titulo in Medicina decoratus est anno 1515*. Cum verò per Liburniam ex Italia cogitaret in patriam redire, præter spem ac votū prouinciæ illius Medicus, quasi diuinitus, delegatus fuit. Quin & paulo post inclyto *Ludouico Bohemiæ & Pannoniæ Regi* designatur Archiatrus. Quo munere splēdidissimo cum laudē & dignitate perfunctus, ab eodem Rege *Budissinæ Lusatiorum* constituitur DECANVS,

singulis videlicet meriti ergò. Obiit demum feliciter Gorlicij anno 1524. ætatis anno 54. die 9. Martij, relictis ocij sui literarij Symbolis in omne æuum perduraturis. Ioannes Riuius sequenti Eloquio eundem descripsit:

Magnus vt ingenio, sic clarus honore Magistri
Egregij primum iura locumque capit,
Hic vbi Musarum sedem Philyræus Elister
Alluit & rapidus Lipsidos arua premit.
Post hinc digrediens Italasque profectus ad oras
Per medicas artes sedulus ire parat.
Felsina Doctoris meritâ ornatumque coronâ
Ad patrios iussit læta redire Lares,
Hoc titulo fulgens agitare inglorius artem
Noluit ingenij conscius ipse sibi.
Tum Regi iuueni Ludouico sceptra Bohemo
Qui tenuit præstò est Pannoniaque simul.
Ergo salutiferæ medicamina porrigit artis:
Et reliquis fausta præstitit ille manu.
Felix ô hæres ex fratre Georgius artis
Cui parilis simul, & nominis altera est.

Extãt annotationes PETRI VVIRTHII Lambergi

bergi longè doctissimæ, quibus Chelyn illā Dauidicam Psalmorum ita illustrauit, vt vel copiosissimis aliorum cōmentariis anteferri mereantur, quod opus à fratre, ni fallor Romæ Canonico se hæreditario accepisse testatur.

IACOBUS MILICHIUS Medicinæ professor witteb.
B.
Nasc. Friburgi Brisgauorum
Ob. An. 1601.
Sep. Vuitebergæ.
Leucoris alma tibi felicia sydera currant,
Sydera quæ per me sunt tibi clara magis.

IACOBVS MILICHIVS.

Medicus Doctor.

IACOBVS MILICHIVS natus est *Friburgi in Brisgoia*, anno 1501. vir & morum suauitate, & literarum eximia eruditione clarissimus, Mathematumque imprimis & Philosophiæ vniuersæ studiosissimus, id quod abunde contestantur elegantissima ipsius commentaria in secundum *Plinij Librum* de Mundi historia. Fuit autem *Medicinæ Doctor ac Professor publicus in Vniuersitate VVittebergensi*, homo singulari erga DEVM pietate, præstantique erga homines humanitate. Tandem vitæ suæ finē fecit in eadem Academia apoplecticus, anno salut. M. D. LIX. x. Nouembr. Commentarios in secundum Plinij librum de historia mundi recognitos edidit, adiecta in fine Oratione de dignitate Astrologiæ ab ipso dicta, in promotione Magistrorum fecit

orationem de vita Galeni insertam Declamationibus Philippi Melanchthonis. aliam etiam de vtilitate Dialectices. item aliam de Cordis partibus & motibus. item *Quæstionem vtrum potus intra sitim cõtinendus sit, an verò corpus largius irrigandum.* Hisce sanè monumentis exquisitissimis & communi hominum saluti, & rei literariæ commoditati, simulq; propriæ famæ nominisque celebrationi atque immortalitati ita consultum fecit, vt iure dubitetur, vtrum præclaris ingenij dotibus, an verò ipsa naturæ bonitate plus de humano genere promeruerit, at nec in eo tam præclaras virtutes indictas præterierunt nobilissimi Germaniæ Poëtæ, inter quos & fons & Apollo nostri sæculi Poëtarum ita canit:

PHILIPPVS MELANCHTH.

Inuida Milichium rapuerunt fata Iacobum:
Qui sibi, quique aliis viuere dignus erat.
Cui pater ipse suas artes donauit Apollo:
Natura & gremio nutriit alma suo.
Ille vias cœli, cœloque errantia nôrat
Sydera, quasque habeant illa vel illa vices.

Adde

Adde poteſtates herbarum, vſumq; medendi,
Scriptaque ſolerti tot monumenta manu:
Hic herbæ veſtras decuiſſet promere vires,
Quando alios veſtra ſæpe leuauit ope.
Sed noua cum tellus quondam noua germina fundet,
Et noua cum cœlum prouehet aſtra nouum.
Tum nouus exuuiis decoratâ carne reſumptis
Milichius, priſcæ dum videt artis opes.
Multa ſuper flores, & cœli ſigna loquetur,
Abramo faciens mutua verba patri.
Nunc ver purpureum, felici ſpiret in vrna,
Frondeat vt pictis ſemper amœna roſis.

IOSEPHVS à PINV.

Autorem genitum poſt omnipotentis Olympi
Addita dena annis ſæcla fuere nouem.
Phœbus & hic centum bis quinaq; luſtra peregit,
Milichius vitam clauſit in orbe ſuam.
Fluxerat ipſius decies vbi quintus ab ortu,
In curſu bis iam quartus & annus erat.

Fugasti lethum medicæ clariſsime artis,
Securus fati vivis in orbe tui.

IOANNES GVINTERIVS
Andernacus Medicus.

IOANNES GVINTERIVS *Andernacus, Andernaci Vbiorum*, vrbe celebri natus anno 1487. in primis annis *Dauentriæ*, ac *Marpurgi* in literis versatus est cum ingenio felici nec sine industria singulari: deinde *Goslariæ* Scholę moderator factus, & mox *Louanij Græcæ Linguæ Professor* fuit. postea Medicinæ studio se *Lutetiæ Parisiorum* tradidit totum, familiaris summus *Guihelmi Budæi & Lascaris Graci*: conuertit ibi medicos Græcos ac præsertim *Galenum* in latinum sermonem, vnde *Francisci I. Regis Galliæ, & Io. Bellaij Cardinalis liberalitate summâ Medicinæ Doctor & Medicus Regius salutatus, Anatomes corporis humani autor atque instaurator* fuit. Interim *à Rege Daniæ* perbeni-

gne expetitus, atq; *à Ferdinando Cæsare Augusto* singularis meriti ergò nobilitatus est. Pòst tumultu Gallico ob Religionem moto, primum vrbe *Mediomatricum* & deinceps *Argentinæ* Medicinam exercuit: simulq; in eadem Academia Professor publicus *Aristotelẽ & Demosthenem* interpretatus fuit. Tandem de republica literaria optime meritus obiit feliciter *Argentinæ* anno Christi 1574. 4. Octobr. Vertit autẽ è Græco de Anatomicis administrationibus libros nouem. De constitutione artis Medicæ. De Theriaca ad Pisonem. De pulsibus ad Medicinæ candidatos. Introductionem seu Medicum. De sectis ad Medicinæ candidatos. De præsagiis ex insomniis. Hippocratis librum de victus ratione priuatorum cum Galeni commentario. Polybij de victus ratione libellum. De semine Galeni lib. 2. adiectis castigationibus Græci exemplaris. De facultatum naturalium substantia. Quod animi mores corporis temperaturam sequantur. De elementis. De propriorum animi cuiusque affectuum agnitione & remedio. De optima corporis humani constitutione. De bono corporis habitu. De plenitudine. de atra bile. De tumoribus præ-

præter naturam. In librum Hippocratis de natura hominis commentaria duo. De Antidotis libros 2. præfationem in Methodum medendi Galeni ad Glauconem, seorsim Græcè Parisiis excusam, vbi conqueritur de Medicinæ veteris interitu. Pauli Æginetæ libros sex, qui summam rei medicæ complectuntur ex nouissima translatione ipsius commentariis etiam illustrati excusi sunt Argentinæ. Anatomicarum institutionum secundum Galeni sententiam ad candidatos medicinæ lib. 4. impressi Basileæ, cũ opusculo Georgij Vallæ de partibus humani corporis, qui deinde recogniti & aucti per Andream Vesalium Venetiis impressi. De Victus & Medicinæ ratione cum alio, tum pestilentiæ tempore obseruanda idem trãstulit Galeni librum de totius morbi temporibus. Scripsit etiam de medicina veteri & noua tum cognoscenda, tum facienda Commentarios duos. item de Balneis & aquis medicatis Dialogos tres. De peste. De Compositione medicamentorum & vsu eorundem. De humorum præparatione. Commentaria Oribasij in Hippocratis Aphorismos ipse prim⁹ edidit. cui sic merito fecerunt Encomia hæc sequentia:

HV-

HVBERTVS DAMIVS ANDERNACVS.

Vt natura parens dederat mortalibus olim
Hippocratem, ipsa suum, quo retineret, iter:
Sic quoque Guinterium tandem DEVS *artis*
alumnum
Edidit, & medicam reddere iussit opem.
Fecit & occubuit: tua quo Germania fama
Nunc medico celebris gloria parta viget.
Fama per ignotas gentes volat: ossa recepit
Terra, sed æthereã mens colit vna domum.

MICHAEL TOXITES.

Hic situs est Andernacus prope coniugis ossa,
Expectans regni gaudia læta DEI.
Certabant Virtus, Pietas, Doctrina, senectus,
Et voluit primo quælibet esse loco.
Sed vicit Pietas, animumque per æthera Christo,
Aduexit cuius numen adorat ouans.
Ingenuus coluit felici sydere Musas
Pœoniaque tulit pluribus artis opem.

In terris famam, nomenque reliquit honestum,
Spiritus it cœlo, membra recepit humus.
Excessit septem decies ac amplius annos,
Mens tamen in sano corpore sana fuit.
Sed quid opus multis? laus vni hæc sufficit vna:
Ingenio magnos vicit & arte viros.

GEORGIVS CALAMINVS.

Octo Guinterius iam quando decennia messem
Et clausit æuo septimam:
Jam iam care pater (dictis Panaceia modestis
Compellat AEsculapium.)
Sat vitæ famæque dedit, nostroque labori
Guinterus arte nobilis.
Scis quod Louanium, sit & Argentina docentem
Mirata, post Lutetiam,
Hic vbi Vesalium medicus, Graiaque magister
Lingua poliuit Sturmium.
Scis quod lustra nouem medico iam floreat vsu:
Antiqua nostræ cum nouis
Artis & euertit nostro mysteria ductu
Perennis ac viret libris.

Sit requies æterna seni: sit vera voluptas,
Et nata cœlo gaudia.
Sic ait: hinc animâ Guinterius intrat Olympum,
Mortale terra suscipit.

Gratarolus patriam linquens atq; itala rura,
Germanos inter, claruit arte viros.

GVILHELMVS GRATAROLVS
Bergamâs, Medicus.

VILHELMVS GRATAROLVS, natus est *Bergamo, Galliæ cisalpinæ* oppido; is Medicus fuit & Philosophus excellens: inprimis verò Physiognomon & speculator naturæ solertissimus; qui egregie nominis sui celebrationem euexit scriptis libris quampluribus: vnde toti terrarum orbi celebratus innotuit, tandem animam expirauit anno 1562. 6. die Maij *Basileæ Rauracorum*, quòd eleganter *Petrus Nigidius senior* hisce versibus expressit (egit enim idem Gratarolus Professorem & Medicum etiam in Hassię Academia Marpurgi.)

Doctrinam Papæ Gratarolus corde perosus,
Germanos cupide visere cœpit agros.
Nobilis hunc misit Cattis Basilea, sed anno
Vix semel exacto rursus eò rediit.

Siue quod Haßiaco non poſſet viuere cœlo,
Siue quod in votis vrbs Baſilea foret.
Hæc vita functi gelido nunc clara ſepulchro
Inſignis claudit corpus & oſſa viri.

Scripſit librum de memoria reparanda, augenda, ſeruandaque omnimoda remedia & præceptiones. Item librum de prędictione morum naturarumq; hominum, facili ex inſpectione corporis. Prognoſtica naturalia de temporum mutatione perpetua, ordine literarum: adiecta ſunt vndecim ſigna terræmotus ex Ant. Mizaldo. De thermis Rheticis, ex Vallis Traſchurij agri Bergomatis librum, cum diuerſorum authorum ſcriptis de Balneis. Compendium *de tuenda valetudine literatorum, & eorum qui magiſtratu funguntur, illorum præcipue qui in ætate conſtantiæ, vel ab ea parum abſunt.* De notis Antichriſti: De vini natura, artificio, & vſu, de re omni potabili. Item de memoria reparanda, conſeruandaque: De prædictione morum naturarumq; hominum, &c. prognoſtica. De tuenda valetudine in vniuerſum. *De literatorum conſeruanda valetudine.* De peſte. Theſes de peſte, hæc omnia

vno

vno volumine impreſſa ſunt Baſileæ in octauo. Scripſit praxin medicam. Correctiones & additiones in librum Italicum falſo attributum Cl. V. Gabrieli Fallopio, cui titulus eſt ſecreta Fallopij. Cenſuram in primum librum Alexij Pedemontani in quo medica tractat, modū faciendi quintam eſſentiam ſimplicem. De viribus, vſu ac mixtione aquæ ardentis. Equorum & domeſticorum aliquot animalium remedia, annis 25. vndique collecta. Edidit etiam cum præfatione, & gloſſulis Petrum Pomponatium de cauſis occultorum effectuum ſeu de incarnationibus. Ioannem de Rupeciſſa, de extractione quintæ eſſentiæ omnium rerum potiſſimum pro vſu medico, quem auxit optimis rebus eiuſdem aut ſimilis argumenti. Chemicorum præcipuorum volumen, cum præfationibus, prolegumenis & obſcurorum aliquot locorum declarationibus. Præterea aliorū opera partim dudum edita, partim nunquam antea publicata correxit, vti ſunt: Petri de Abano vel Apano libellus de venenis, ad manuſcriptum exemplar correctus: cui adiecit multa eius argumenti vtiliſſima, nec antea edita. Chirurgicus libellus per iuſta capita diſtinctus gallice

gallice ſcriptus ante annos 135. Scriptores qui cõſilia & curationes de Sudore Anglico annotarunt. Theatrum Galenicum Mundellæ completum, & in meliorem ordinem redactum. Thaddęi Florentini & Guilielmi de Brixia conſilia medica. Eiuſdem *proficiſcentium, ſeu magnis itineribus diuerſas terras obeuntium medicina.* Veræ Alchimiæ modus.

XXII.

Si qua Dioscoridi si qua est data fama Galeno
Participem exalqua me quoq parte habet

LEONHARDVS FVCHSIVS Medicus.

LEONHARDVS FVCHSIVS natus est *Vuembdingæ, oppido Rhetiæ*, anno 1501. prima literarum rudimēta *Heilbrunnæ* posuit, inde per omnes honores Scholasticos ascendit, primum bonarum artium Baculaureus Erphordiæ salutatus, Magister deinde Philosophiæ Ingolstadij: & aliquot annis post Medicinæ Doctor ibidem appellatus. Medicinam publice in eadem Academia summa cum fide & diligentia professus aliquandiu, mox Onolsbachij Medicinam factitans, Principum Marchionum Brandeburgicorum Archiatrus fuit: inde Ingolstadium reuocatus, sed religione obstante Onolsbachium regressus est. Denique euocatur *Tubingam* ad Medicinam publice docendam, quam ipse & ratione optima, & Oratione sapientissima multis annis fideliter &

ſtudioſe explicauit, magna cum gratia atque admiratione omnium, & commentariis innumeris ſpectatæ eruditionis atque ſcientiæ in omni Medicinę genere illuſtrauit plurimum: Tandem exemplum diligentiæ & laboris, decus & ornamentum Academiæ ſingulare, optimè de præſentibus poſteriſque meritus ſumma cum teſtificatione cõſtantiæ & fidei in religione obiit ibidem in Chriſto fideliter, ſexto Idus Maij, anno 1566. ætatis 65. Eius opera hæc ſunt Medicinę Methodus, ſeu ratio compendiaria perueniendi ad veram ſolidamque Medicinam: item de vſitata huius temporis componendorum miſcendorumque medicamentorum ratione libri tres, iis qui praxin medicam exercent maxime neceſſarij; De ſanandis totius humani corporis, eiuſdemque partium, tàm internis, quàm externis malis libri 5. Tabulæ aliquot vniuerſæ medicinę ſummam & diuiſionem compendio complectentes: Tabulæ ſex in Galeni libros de morborum cauſis & ſymptomatibus. Paradoxorũ medicinæ lib. 3. in quibus multa à nemine hactenus prodita, Arabum, ætatiſque noſtræ medicorum errata confutantur, & obiter Sebaſtiano Montuum

tuum medico Riuorienſi reſpõdetur. Apologiæ tres; quarum prima aduerſus Guilhelmum Putaneum docet, Aloen aperire ora venarum: 2. aduerſus Sebaſtianum Montuum nonnulla paradoxorũ capita defendit: 3. aduerſus Hieremiam Thriuerium, in internis inflãmationibus pleuritide præſertim, è directo partis affectæ ſanguinem mittẽdum eſſe. Item explicationes aliquot paradoxorum de Hiſtoria ſtirpium commentarij inſignes, adiectis earundem viuis plus quam quingentis imaginibus, nunquam ante ad naturæ imitationem artificioſius effictis. Item ſuccincta vocum difficilium & obſcurarum paſſim in eo opere occurrentium explicatio. Hippocratis aphoriſmorum ſectiones ſeptem è græco in latinum ſermonem conuertit & luculentiſſimis commentariis illuſtrauit, adiectis annotationibus in quibus quotquot ſunt in Galeni Commentariis loci difficiles ad vnguem explicantur. Vertit etiam aliquot Epidemiõn libros Hippocratis commentariis adiectis. *Eius aduerſus Chriſtiani Egenolphi Typographi Francfortani calumnias reſpõſio excuſa eſt Baſileæ anno 1545.* Item *Cornarius furens ibidẽ excuſus, apud Eraſ-*

mum Xylotectum. scripsit item *Apologiam aduersus Gualterum Ryffum.* Difficilium aliquot quæstionum & hodie passim controuersarum explicationē, libros quatuor auctos & recognitos. Nicolai antidota vertit & annotationibus illustrauit. Annotationes scripsit in libros Galeni de tuenda valetudine. In eiusdem libros de differentiis febrium, & locis affectis commentaria. In eiusdem de morbis libros commentaria. Item in Libros de Medicinis simplicibus. præterea libros quinq; de medendi ratione recognouit & auxit, additis tribus libris Chirurgicis. Methodū ad medicinam perueniendi, siue compendium medicinæ omnino nouum fecit. adhęc de compositione medicamentorum libros quatuor auxit & recognouit, adiecto quod ante desiderabatur, Dispensatorio, vt vocant. Plantarum effigies excusas seorsim, quinque diuersis linguis reddidit. de Oculorum remediis libellus germanicus eodem autore prodiit. item an Morbifica aliqua sit de Galeni sententia causa continens, quæstiones medicæ de peste. Commentaria in methodum medendi. Hippocratis Epidemion libros transtulit, & in ordinem alphabeticum redegit.

degit. Commẽtaria in Galeni libros tres de temperamentis fecit. item Compendium anatomię, prętera duos alios tomos Hiſtoriæ ſtirpium primo adiecit, in quibus omnibus plures quam duodecim Iconum ſunt centuriæ. *de Fuchſio ita cecinit,*

IOANNES LAVTERBACHIVS.

Quale Dioſcorides medica præclarùs in arte
Herbarum nomen cognitione tulit:
Tale ſua meruit, maius quoque Fuchſius arte
Herbarum nulli cognitione minor.
Herbarum propriis naturam viribus ille
Vt tandem nude protulit abſque typis.
Sic tribus, hic omnes veris iconibus herbas
Exprimit ingenio dexteriore tomis.
Arte Dioſcorides quod Graiis: Fuchſius iſtud
Non modò Germanis, omnibus orbe locis.
Ne ſit opus terras vitæ penetrare periclo:
Ne iuga, vel valles, vel nemoroſa loca.
Abſque labore tomis herbas cognoſce, fouere
Auguſtos medicæ, qui cupis artis opes.

Dum

Dum bonus herbarum ſpecies vireſq; miniſtrat,
Haud errat, graue qui cum duce tentat iter.

XXIII.

Tot scribis libros, tantumq; mororis in arte,
Vt sis vel Medicis Bibliotheca tuis.

CONRADVS GESNERVS, *Philosophus & Medicus.*

CONRADVS GESNERVS Tiguri vrbe Heluetiorum primaria natus anno Christi 1516. postquā in patria literarum fundamenta posuisset, Argentinensem Scholam primo adiit, deinde Bituriges Auaricum, mox etiam Lutetiam Parisiorum profectus optimis disciplinis eruditus est. Eo itaque studiorum cursu absoluto, Lusannamque rediens, Græcas literas ibi professus fuit, per integrum triennium: demum Basileæ supremam in Medicina lauream adeptus se inde Tigurum cōtulit, perpetuumq; domiciliū sibi ibidem constituit. qua in vrbe & Medicinam fecit & Philosophiam publico stipendio docuit annis 25. Vir pius & omni genere virtutum ornatissimus, omnia naturæ arcana perscrutatus, magis cogitās de aliorum vtilitate promouēda, quam propriæ salutis tuendæ curam rationemve suscipiens, in

omni literarum genere, præsertim verò in Medicina & Philosophia naturali atq; Philologia clarissimas lucubrationes edidit, erat enim Philologus & Philistor doctissimus, lumen Germaniæ & decus Heluetiæ, tandem cum incredibili luctu Ecclesiæ, Scholæ, Reip. bonorum denique omnium, blandissima quidem morte, sed atrociſſima pestilentia absumptus obiit Tiguri in patria, anno 1565, ætatis anno 49. die 13. Decembr. Scripsit pene infinita suo marte, & multa simul aliorum scripta in lucem protulit: quorum omnium Catalogum cum ipse ediderit, visum est eundē ipsius verbis apponere, & Corollariū addere eorum, quæ post catalogum conscriptum edita sunt: aut in Bibliotheca Clariss. Medici Caspari VVolffij asseruantur.

Primum igitur circa annum D. 1537. (Conradi Gesneri verba pono) Lexicon Græcolatinum, quod iam ante à diuersis & innominatis nescio quibus misere satis consarcinatum erat, ex Phauorini Camertis Lexico Græco ita auxi, vt nihil in eo extaret, quod non vt singulari fide ac diligentia, ita labore maximo adiicerem: sed typographus me inscio, & præter omnem expectationem meam, exiguam duntaxat accessionis meæ partem adiecit, reseruans sibi forte auctuarium ad sequentes etiam editiones. Eodem paulo post defuncto, meum exemplar recuperare non potui. Ab eo etiam tempore in gratiam Heinrici Petri Basilienſis Typographi, ter aut quater ex diuersis lectionibus meis, idem volumen insigni accessione auxi, ita vt semper nominarem authores, à quibus singula exce-

excepiſſem, vt & authoritas maior eſſet, & orthographia minus corrumperetur: quod ſi alij etiam multi Lexicorũ corruptores potius quàm authores, obſeruaſſent, non vſque adeò aliquot millibus locorum corrupta hæc volumina hactenus in publicum prodiiſſent, non ſolùm Typographicis erratis paſſim innumeris abſurdiſſime referta, propter imperitiam illorum qui ad præla corrigunt: ſed ipſorum etiam authorum, quorum plurimos idcirco ſua nomina profiteri puduit. Vltima quidem editio à me, locupletata Baſileæ nuper prodiit ex officina Hieronymi Curionis, anno Domini 1560. Septembri, in folio, chartis trecentis octoginta quatuor. Cæterum hoc anno, quo hæc ſcribo. 1562. Geneuæ prodiiſſe audio longè copioſiſſimum emendatiſſimumq́, Græcæ linguæ Theſaurum, à Rob. Conſtantino incomparabilis doctrinæ viro, ex Ioan. Criſpini officina. Medicaminum ſucci duorum (quæ Antiballomena Græci vocant) Galeno adſcriptorum tabula Latinitate donata, adiectis etiam Græcis multò caſtigatioribus, & annotationibus in quoſdam locos. Eadem ex libris Dioſcoridis, AEtij, & Pauli AEgineteæ paſſim excerpta, & in vnum diligenter conſcripta, ſubiecimus. Chartæ ſunt quinque cum dimidia, excuſæ Baſileæ in octauo cum Actuarij opere de compoſitione medicamentorum, apud Robertum Winter, anno Domini 1540. Enchiridion hiſtoriæ plantarum ordine alphabetico, ex Dioſcoride ſumptis deſcriptionibus, & multis ex Theophraſto, Plinio, ac recentioribus Græcis additis: facultatibus autem ex Paulo AEgineta plerunque quàm breuiſſimè adſcriptis, &c. in gratiam medicinæ candidatorum, qui cognitionis ſtirpium cauſa ruſticari interdum ſolent. Robertus Winter imprimebat in 8. Baſileæ anno 1541. chartis nouendecim. & eodem anno Melchior Seſſa Venetiis in 16. Huic ſimilem alium de cæteris ſimplicibus medicamentis libellum nondum edidi. Compendium ex Actuarij Zachariæ libris, de differentiis vrinarum, iudiciis, cauſis & præſidentiis. Vniuerſalis doctrina Cl. Galeni Pergameni de compoſitione pharmacorum ſecundùm locos affectos à capite ad calcem, particularibus me-

dicamentis omissis. Symbola Galeni experimentorum ex lib. eius collecta, & aliorum quorundam. Hosce 3. libros, Christophorus Froschouerus Tigurinus typographus vno volumine coniunxit. Tiguri 1541. in 8. chartis 24. Apparatus & delectus simplicium medicamentorum, ex Dioscoride & Mesuæo præcipuè, alphabeti ordine, pharmacopolis maximè vtilis liber. Continentur autem eodem volumine, vniuersalia Pauli Aeginetæ præcepta de medicamentorum secundum genera compositione: & eiusdem argumenti omnia quæ in Galeni libris de compositione med. κατὰ γένη præcepta extant: multis superfluè dictis, & particularibus plerisque compositionibus remotis, &c. Frellonij fratres excudebant Lugduni 1542. in 8. chartis 18. & dimid. & Venetiis fratres de Nicolinis in 16. Catalogus plantarum nomina Latinè, Græce, Germanicè & Gallicè è regione proponens, secundum ordinem alphabeti, Latinis præeuntibus vnà cum vulgaribus pharmacopolarum nomenclaturis, &c. His accedunt in calce operis Nomenclaturæ stirpium secundum varias gentes, Dioscoridi adscriptæ, in ordinem literarum digestæ. Liber impressus est Tiguri apud Froschou. 1542. in 4. chartis 4. & dimidia. De syllogismis Compendium authoris incerti, è Græco translatum, excusum Basileæ in 8. chartis duabus & dimid. apud Ioan. Oporin. cum Ioachimi Perionij lucubrationibus quibusdam in organum Arist. 1542. Moralis interpretatio errorum Vlyssis Homerici, authoris incerti. Commentatio Porphyrij philosophi de Nympharum antro in 13. libro Odysseæ Homericæ. Apologiæ quædam pro Homero & arte poetica, fabularumq; aliquot enarrationes, ex Commentariis Procli Lycij Diadochi philosophi Platonici in lib. Platonis de republica: in quibus plurimæ de diis fabulæ, non iuxta grammaticorum vulgus historicè, physicè aut ethicè tractantur: sed theologicis, (vt gentiles loquuntur) ex prima philosophia rationibus explanantur. Omnia per nos è Græco sermone conuersa, & euulgata Tiguri, 1542. in 8. chartis 12. ex Offici. Froschouiana. Porphyrij philos. quæstiones Homericæ. Pauli Silen-

ciarij

etiarij hemiambia, de thermis, & alia quædam ex Græcis eodem tempore, aut etiam postea à me conuersa, nondum in lucem exiuerunt. De lacte & operibus lactariis libellus, philologus pariter ac medicus, cum epistolæ ad Iacobum Auienum Glaronensem de montium admiratione, excusus Tiguri 1543. in 8. chartis 6. & dimid. Ioannis Stobæi Collectanea siue loci Communes CXXIII. ex omni genere authorum vetustissimorum Græcorum, cl. ferè congesti, ex nostra interpretatione Latina, &c. His accesserunt opuscula tria, à nobis etiam primùm Latinè edita: nempe Cyri Theodori dialogus de amicitiæ exilio senariis iambicis. Opuscula duo Platoni adscripta, vnum de iusto, alterum, an virtus doceri possit. Omnia Græce & Latine è regione, Tiguri apud Froschouerum, cum duplici indice, vno rerum, altero authorum, anno Domini 1543. in folio, chartis 210. & iterum Stobæi locis, cum ex manuscriptis exemplaribus, tum aliunde, auctis atque recognitis, anno 1550. & tertio, 1559. Eosdem locos Oporinus Basileæ edidit Germanice, Ge. Lato interprete. Audio & Antuerpiæ Latina nostra seorsim excusa esse absque Græcis. Noua editio valde aucta, parata prælo apud me est. Heraclidis Pontici Allegoriæ in Homeri fabulas de diis, & sermo Dionis de Homero Latini facti, excusi Basileæ apud Ioan. Oporinum, adiectis etiam eisdem Græcis, & aliis quibusdam raris ac elegantibus opusculis, anno Domini 1544. in octauo chartis 14. & semis. Michaelis Ephesii Scholia in Aristotelis libellos, nempe: De iuuentute & senectute, vita & morte. De longitudine & breuitate vitæ. De diuinatione per somnum. Omnia è Græco translata, & impressa Basileæ in 8. anno D. 1541. chartis 6. & dimidia, cum Nicolai Leonici explanatione in primum librum Aristotelis de partibus animalium, apud Westhemerum: & Venetiis anno 1543. in folio, cum Alexandri Aphrodis. commentarijs in librum Aristotelis de sensibus, Lucilio Philaltheo interprete. M. V. Martialis poëtæ Epigrammata (ad linguæ Latinæ copiam, & varias rerum nomenclaturas vtilissima) ab omni verborum obscœnitate, in adolescentium

præci-

præcipuè ſcholarumq; vſum, expurgaui, & in locos circiter 86. digeſſi. His adieci Dialogos tres, quibus ratio huius inſtituti redditur, & multa de puerilibus ſtudiis commemorantur. Et in fine Annotationes Iac. Micylli, Froſchouerus cudebat Tiguri 1544. in 8. chartis 28. Ambroſii Calepini Dictionarium linguæ Latinæ, quod anno 1544. menſe Septembri impreſſum eſt Baſileæ apud Leonhardum Hoſpinianum, innumeris locis caſtigauimus: & ex poſtrema editione Venetijs publicata ad inſigne Sirenis, quæ ſupra quatuor millia vocabulorum ex probatiſsimis authoribus acceſsiſſe gloriatur, omnia in noſtrum exemplar tranſtulimus: & proſodiæ, id eſt, quantitatis ſyllabarum notas (plerunque etiam verſus poëtarum, quibus ea confirmetur) nouo labore ſingulis dictionibus, quæ ordine alphabeti explicantur, inſcripſimus. Cæterum nomina propria, ex quibus maxima pars Venetæ acceſsionis conſtabat, ſeorſim à Latinis vocabulis in peculiare alphabetum, partim proprio labore, partim iuuantibus amicis, digeſta ſunt, additis omnibus illis, quæ in poſtremis dictionarijs poëticis continebantur. Huic volumini titulum fecimus, Onomaſticon nominum propriorum: quod tertio iam auctum & emendatum à nobis prodiit, Baſileæ ex Hieronymi Curionis officina. In ſecunda quidem editione, quæcunque Stephanus regius Grammaticus Græcus propria locorum nomina habebat, Latine interpretatus adieci, & loca caſtigaui innumera. Græca etiam nomina paſsim addita ſunt. Vltima editio publicata eſt Baſileæ, anno 1560. in folio. Sunt autem Latinarum dictionum chartæ 312. cùm aliâs, tum ex Pauli Manutij obſeruationibus plurimum auctæ. Onomaſtici verò noſtri priuatim chartæ 61. In Lexicon Græcolatinum, anno 1544. Baſſlaæ excuſum in 4. de Vtilitate ac dignitate linguæ Græcæ præfati ſumus. Antonij Tileſij Itali Conſentini opuſcula aliquot, partim iam prius diuerſis in locis, partim nunquam prius edita, tum ſtyli Romana puritate, tum editione, varietate & lepore argumentorum, magno ſtudioſorum applauſu excipienda, Ioan. Oporino Baſilienſi typographo dedi: qui ea publicauit, anno 1545. in 8.

in 8. chartis vndecim. Ex his ligato sermone conditus est Imber aureus Tragœdia: & poëmatia 7. soluto autem Commentarij duo, vnus de coloribus, alter de coronarum generibus. Ab eo quidem tempore etiam alia quædam huius authoris poëmata in Italia typis impressa, nactus sum: quæ cum præcedentibus coniuncta denuò excudi optarim, vt tam elegantis scriptoris, quæ extant omnia, vno volumine haberentur. Bibliotheca vniuersalis, siue Catalogus omnium scriptorum locupletissimus, in tribus linguis, Latina, Græca & Hebraica: extantium & non extantium, veterum & recentiorum, vsque ad annum Domini 1565. doctorum & indoctorum, excusorum & in Bibliothecis latentium: Opus nouum, & non Bibliothecis tantum publicis priuatisve instituendis necessarium, sed studiosis omnibus cuiuscunque artis aut scientiæ, ad studia melius formanda vtilissimum. Tiguri apud Froschouerum 1545. in fol. chartis 325. adiecto ad finem indice nominum vniuersorum, vt ea quorum prænomina fortè Lector ignorat, inuenire possit. Non solum autem singula authorum scripta hoc volumine enumerantur: sed singulorum etiam librorum argumenta sæpius adscribuntur, siue ex ipsorum authorum præfationibus, vt simul etiam styli aliquod specimen præbeatur Lectori, siue aliter: & super multis Censuræ doctorum hominum, & alia quædam, quæ in Compendiis postea excusis, non meo quidem consilio omissa sunt, poterant enim breuius quidem exponi, non tamen prorsus omitti. Sed suum plerunque lucrum spectant typographi, potius quàm vel authorum voluntatem, vel vtilitatem Lectorum solidam. In Compendium quidem illis postea impressis, permulta authorum nomina noua, recentiora præsertim, accesserunt: sed omnis illa accessio seorsim etiã à Froschouero nostro excusa est, vt qui primam editionem emerunt, aut deinceps etiam empturi sunt, fructus illo non frustrentur. Sententiarum siue Capitum Theologicorum præcipuè, ex sacris & prophanis libris Græcis collectorum digestorumq; in Locos communes, per Antonium & Maximum monachos, Tomi tres. Antonij

loci Meliſſa inſcripti, inq; duos Tomos diuiſi, numero ſunt 175. Maximi verò 71. Tomo vno comprehenſi. Abbæ Maximi, philoſophi, confeſſoris & martyris, Aphoriſmorum ſeu Capitum de Perfecta charitate & aliis virtutibus Chriſtianis, Centuriæ quatuor. Theophili ſexti Antiochenſis epiſcopi, de Deo & fide Chriſtianorum contra gentes Inſtitutionum libri tres ad Autolycum. Tatiani Aſſyrij, Iuſtini martyris diſcipuli, Oratio contra Græcos (Hæc omnia quinque diuerſorum authorum volumina) mea cura ex codicibus manuſcriptis tranſcripta, & meo labore emendata, ante & ad prælum, (præter Maximi Centurias prius excuſas, nunc quidem caſtigatiores,) Froſchouerus Græce excudit Tiguri 1546. in fol. chartis 73. Et rurſus eadem omnia in Latinum ſermonem conuerſa, eodem anno in folio chartis 99. Ex his primam partem Meliſſæ Antonij ego interpretatus ſum: & Tatiani Orationem, cui & annotationes adieci. Secundum verò Meliſſæ partem, & Maximi Locos Ioannes Ribittus Subaudus Latina fecit. Maximi Centurias, Vincentius Obſopœus: Theophili Inſtitutiones, Conradus Clauſerus. Enumeratio medicamentorum purgantium, vomitoriorum & aluum bonam facientium, ordine alphabeti, excuſa in quarto, Baſileæ in officina Frobeniana, anno Domini 1546. cum Antonij Muſæ libello de catapotiis. Naturalis ſcientiæ totius Compendium, ex Ariſtotelis aliisq; libris ab Hermolao Barbaro patricio Veneto confectum, & in Italia impreſſum mendoſiſſimè, quoad eius potui, repurgatum Ioanni Oporino tradidi, è cuius officina prodiuit, chartis octo in 8. anno 1548. quibus ille adiecit Hieronymi Wildenbergij Aurimontani in pleroſque Ariſtotelis phyſicorum libros Epitomen, chartis vndecim. Pandectarum ſiue partitionum vniuerſalium, qui ſecundus Tomus Bibliothecæ noſtræ eſt, libri nouendecim: excuſi Tiguri apud Froſchouerum in folio, 1548. chartis 191. In his libris omnium, qui in primo Bibliothecæ tomo nominantur authorum, & plurimorum inſuper aliorum ſcripta, non alphabetico ordine vt in primo tomo, ſed ſecundum artium & ſcientiarum

rum genera per certas classes & locos communes enumerantur: non titulis modò librorum memoratis, sed capitum etiam inscriptionibus, & particularibus plurimorum librorum argumentis. Librorum inscriptiones hæ sunt: 1. De grammatica & philologia. 2. De dialectica. 3. De rhetorica. 4. De poetica. 5. De arithmetica. 6. De geometria, opticis & catopticis. 7. De musica. 8. De astronomia. 9. De astrologia. 10. De diuinatione cum licita, tum illicita, & magia. 11. De geographia. 12. De historiis. 13. De diuersis artibus illiteratis. 14. De naturali philosophia, & theologia gentium. 15. De prima philosophia seu metaphysicis. 16. De morali philosophia. 17. De œconomica philosophia. 18. De re politica, id est, ciuili & militari. 19. De iurisprudentia. His liber vicesimus subiungendus erat de re medica, quem certas ob causas reliqui, & ne hactenus quidem absolui, quamuis materia satis copiosa mihi sit congesta. Pandectarum, hoc est, secundi tomi Bibliothecæ liber 21. siue vltimus, De theologia Christiana, seorsim cuius ibidem, in fol. 1549. chartis 90. Est autem is liber veluti index per locos digestus in plerosque veterum & recentiorum theologorum libros, hoc est, librorum titulos & capita ferè, &c. Et chartis nonaginta, quibus constat, postremæ septem continent Indicem alphabeticum, huic de theologia libro & superioribus 19. communem. Cl. Galeni librorum editioni Latinæ, quæ publicata est Basileæ in officina Frobeniana, ex Iani Cornarij recognitione, anno 1549. capitum distinctionem & argumenta in plerosque libros, ab initiis singulorum, adieci: quæ in multis (iis præsertim, qui rei medicæ tyronibus præcipuè necessarij lectu sunt) ita copiose ac methodice tractantur, vt vel Epitomes aphoristicæ instar haberi possint. Historiæ animalium liber 1. qui est de quadrupedibus viuiparis, cum figuris ad viuũ expressis: opus philosophis, medicis, grãmaticis, philologis, poëtis, & omnibus rerũ, linguarumq; variarum studiosis, vtilissimum simul iucundissimumq; futurum: in quo non modò simplex animalium historia continetur, sed etiam veluti cõmentarij locupletissimi, & castigationes plurimæ

in veterum ac recentiorum eiusdem argumenti, quæ videre nobis licuit omnia, ex authoribus ferè ducentis quinquaginta, &c. Ita digestis commodo perpetuoq; ordine omnibus, vt quicquid de vnoquoque animali cognoscere libuerit, nullo negotio statim inueniatur. Neque enim ad continuam lectionem à nobis hæc condita sunt, sed vt eorum qui Dictionariorum esse solet, ad inquirendum maxime, vsus sit: quod non intellexerunt, qui prolixitatis in hoc opere nos accusarunt. In sequentibus quidem animalium libris, minus prolixus fui, hoc est, in philologia parcior. Hoc volumen in Epitomen contraxit, philologia omni omissa, excellens doctrina & virtute medicus Laurentius Hiel, in illustri Academia Ienensi hoc tempore professor: idem forte facturus in reliquis etiam nostris de animalibus libris, vt aliquando coniuncti publicentur. In Germanicum verò sermonem simili compendio transtulit hunc & secundum de quadrupedibus ouiparis, Conradus Forer Vitoduranus medicus, nunc etiam ecclesiæ minister, & similiter de aquatilibus volumen. Auium verò historiam Germanicam fecit Rodol. Hustinus, quæ iam excusa est, anno D. 1548. chartis 87. Thesaurus Euonymi Philiatri de remediis secretis, (voco autem secreta, in quibus pars purior & tenuior, ab impuriore crassioreq; secernitur, arte,) liber physicus, medicus, & partim etiam chymicus, & œconomicus in vinorum diuersi saporis apparatu, medicis & pharmacopolis omnibus præcipue necessarius, impressus Tiguri apud Andream Gesnerum F. in 8. chartis 39. anno 1558. Agit autem præcipue de artificiosis aquarum & oleorum destillationibus siue extractionibus, ex herbis aliisq; simplicibus medicamentis. Secunda eius editio prodiit anno 1558. adiectis quibusdam instrumentorum destillatoriorum figuris, & nouo Iacobi Bessoni libello, de absoluta ratione extrahendi olea & aquas è medicamentis simplicibus. Hunc librum cum in gratiam Andreæ Gesneri patruelis mei, noui tum typographi, immaturum ederem, nomen meum addere nolui. Nunc quoniam & magno studiosorum rei medicæ applausu eum exceptum video, & aliquando

quando absolutiorem dare cogito, si Deus vitam dederit: me eius authorem esse dissimulare amplius nolui, præsertim cum iam viri quidam eruditi id deprehenderint. Ex eadem officina Germanicus etiam euulgatus est, Rodolpho Landebergero nostro (ecclesiæ Bulaci diacono, in agro Tigurino) interprete. Et Latine in 16. Lugduni: ibidemq́, ni fallor Gallico. Veterum aliquot theologorum Græcorum orthodoxorum libri Græci, & iidem Latinitate donati è regione: quorum plerique partim Latine, partim Græce antehac non sunt editi, nostra plerique cura excusi, Tiguri apud Andream patruelem, anno 1552. in folio, chartis 104. Sunt autem hi: Canones Apostolorum, & veterum tredecim sanctorum Conciliorum decreta, à Clemente Romano, vt quidam putant, versi & collecti, &c. Ignatij martyris & Archiepiscopi Anticchèni, epistolæ 12. Ioanne Brunnero Tigurino interprete. Athenagoræ Atheniensis philosophi Christiani Apologia, vel Legatio pro Christianis, ex nostra interpretatione cum annotationibus nostris. Eiusdem de mortuorũ resurrectione liber, Petro Nannio interprete, cum Henr. Stephani typographi doctissimi (qui hos duos Athenagoræ libellos seorsim prius excudit Geneuæ) in Græcum simul contextum & Nannij versionem Annotationibus. Æneæ Gazæi Platonici Theophrastus, siue de animarum immortalitate & corporum resurrectione dialogus, Ioan. Wolphio ecclesiæ Tigurinæ ministro interprete. Cidonij de Contemnenda morte oratio, Raphaele Seilero I.C. Augustano interprete. Hermeæ philosophi irrisio gentilium philosophorum, eodem interprete. Expositio capitum admonitoriorum Agapeti diaconi ad Iustinianum Imperatorem, innominato interprete. Ex his ego suppeditaui Aeneæ Gazæi Platonici Theophrastum, ex nobili Reipub. Augustanæ bibliotheca nactus: & Ignatij epistolas, quas Lutetiæ paulo ante Græce excusas ignorabam. In Hieronymi Tragi de stirpibus Commentarios Argentinæ excusos apud Riheliũ, anno 1552. præfationem adieci in gratiam typographi, quæ continet Catalogum rei herbariæ scriptorum, qui ad illud vsque tempus aliquid ediderunt,

derunt, extantium & non extantium, &c. satis copiosum, chartis circiter 3. De thermis & fontibus medicatis Heluetiæ & Germaniæ libri duo, excusi Venetiis in officina Iuntarum, anno 1553. in fol. char. 5. cum quadrante, cum permultis aliorum libris, qui thermas Italiæ descripserunt. Ab eo autem tempore, quoniam plurima obseruaui, quibus hoc argumentum plenius illustrem, spero me breui eundem librum auctum & recognitum seorsim editurum. Tabulæ collectionum, quibus per singulos anni menses, quæ stirpes in singulis per Germaniam flores fructusq; vt plurimum proferant, ordine recensetur. Argentinæ à Rihelio impressæ 1553. in octauo. chartis quinque cum quadrante, cum Dauidis Kyberi summi amici mei, rei herbariæ Lexico: quod dum sub prælo esset, eodem anno, mense Ianuario, optimus & doctissimus vir peste sublatus obiit, mihi verò iam morte proximus quæ excudenda supererant, vt ante prælum inspicerem ac emendarem commendari voluit, &c. itaque & præfationem in illum librum, & in authoris mortẽ Idyllium lugubre Græcum condidi. Icones animalium quadrupedum viuiparorum & ouiparorum, quæ primo & secundo historiæ animalium libris à nobis describuntur, cum nomenclaturis singulorum Latinis, Italicis, Gallicis, & Germanicis plerunq; per certos ordines digestæ, Tiguri procudebat Froschouerus 1553. in folio, chartis 17. & rursus auctas ac recognitas, tum alias tum multis descriptionibus & iconibus additis, quæ in historiarum libris nõ habentur, anno 1560. chartis 32. Ligari autem debent cũ sequentibus animalium Iconibus. Historiæ quadrupedum ouiparorum liber, id est, secundus de animalibus, cum appendice ad quadrupedes viuiparas, anno 1554. ibidem excusos in folio, chartis 37. Et quia paruus est, commode vno volumine cum historia auium, id est, tertio de animalibus libro ligabitur. Historiæ auium liber, (qui est tertius de animalibus) cum figuris, ex eadem officina, anno 1555. chartis quatuor supra ducentas. In fine adduntur Paralipomena. Icones auium omnium, quæ in nostra auium historia describuntur cum nomenclaturis singularum in linguis diuersis

diuersis Europæ: ibidem euulgatæ, anno 1555. in fol. chartis 33. Et rursus anno 1560. nouis aliquot iconibus ac descriptionibus auctæ & recognitæ, chartis 37. In eam editionem emendationes & additiones aliquot coniecti ad finem Iconum quadrupedum secundæ editionis. De medicinæ chirurgicæ præstantia & antiquitate scriptum nostrum, & Enumerationem alphabeticam virorum illustrium, qui rem chirurgicam in scriptis vel artis vsu excoluerunt, Gesneri fratres duo (patrueles mei) Tiguri publicarunt, chartis septem & dimidia ferè, in volumine satis magno, quo diuersos chirurgiæ scriptores, mea fere cura complexi sunt. De raris & admirandis herbis, quæ siue quod noctu luceant, siue alias ob causas, Lunariæ nominantur, Commentariolus. & obiter de alijs etiam rebus, quæ in tenebris lucent. Inseruntur & nouæ quædam herbarum Icones. Descriptio montis Fracti siue Pilati vulgo dicti, iuxta Lucernã in Heluetia. Patrueles mei imprimebant Tiguri, anno 1555. in 4. vnà cum Ioan. du Choul. G. F. Lugdunensis, Pilati montis in Gallia descriptione: & Ioan. Rhellicani Idyllio, quo Stocchornum montem altissimum in Bernensium Heluetiorum agro versibus heroicis describit. Chartæ sunt omnium duodecim cum dimidia. Epitome bibliothecæ nostræ tomi primi, à Conrado Lycosthene Rubeaquensi, edita primum Basileæ, per Iosiam Simlerum Tigurinum recognita & aucta, plus quã bis mille authorum accessione, excusa Tiguri apud Froschouerum in fol. 1555. chart. 105. Ad eam quidem augendam nos quoq; collectanea nostra contulimus, &c. Huius Epitomes accessio, appendix primi tomi futura, seorsim etiã impressa est, vt supra diximus. Rob. Constantinus Gallus etiã Lutetiæ edidit Nomenclatorem scriptorum insigniũ, qui veluti Epitome breuissima vtilissimaq; bibliothecæ nostræ est: vbi optimos quosq; veteres & recentiores scriptores nominat, extantes duntaxat, manuscriptos vel impressos, secundum genera artium & scientiarum digesto libro, &c. Eum Andreas Wechelus Parisiis excudit 1555. in 8. chart. 12. Mithridates, siue de differentiis linguarũ, tum veterum, tũ quæ hodie apud diuersas nationes in to-

in toto orbe terrarum in vſu ſunt, obſeruationes, typis Froſchoueri excuſæ Tiguri 1555. in 8. chartis 10. cum tabula quæ orationem Dominicam in plurimis linguis ſcriptam proponit. Libelli 2. medicinales: Vnus De ſanitate tuenda: Alter, Contra luxum conuiuiorum: Tertius, Contra notas aſtrologicas Ephemeridum de ſecandis venis. Seſquicharta à patruelibus impreſſ. 1556. in 8. Cl. Aeliani Prænestini Pontificis & ſophiſtæ, qui Romæ ſub Imperatore Antonino Pio vixit, Meliglosſus aut Meliphthongus ab orationis ſuauitate cognominatus, monumenta, quæ extant omnia Græce, Latinéq; è regione, cura & opera noſtra in lucem edita. Sunt autem hæc: De animalium natura lib. 17. ex Petri Gillij Galli & noſtra interpretatione, ad Græcos codices manuſcriptos recogniti, & tertia fere parte ex iiſdem per nos aucti, Græce quidem prius antehac non excuſi. Variæ hiſt. lib. 14. Iuſto Vulteio Wetterano interprete, nunc etiam recogniti. De militaribus ordinibus inſtituendis more Græcorum lib. 1. à Fr. Robortello Vtinenſi in Latinum ſermonem verſus, & ab eodem picturis quam plurimis illuſtratus, nunc denuo emendatior. Epiſtolæ ruſticanæ, Sebaſtiano Guldebercio Tigurino interprete. Omnia Tiguri apud patrueles meos, anno 1556. in fos. chartis 176. De piſcibus & aquatilibus omnibus libelli 3. I. Halieuticôn P. Ouidij Naſonis emendatum & ſcholiis illuſtratum. II. Aquatilium animantium Enumeratio iuxta Plinium, emendata & explicata, ſerie literarum. III. Eorundem Nomenclator Germanicus longè copioſiſsimus: Et alia quædã ad piſcium hiſtoriam pertinentia Andreas Geſnerus F. excudebat Tiguri 1556. in 8. chartis 18. De ſtirpium aliquot nominibus vetuſtis ac nouis, vt ſunt Mamirâs, Môly, Oloconitis, Doronicum, Bulbocaſtanum, Granum alzelin vel Habbaziz, & alia complura, Epiſtolæ duæ: vna Melchioris Guilandini Boruſſi: & altera noſtra, cum nouis iconibus tribus. Charta ſunt tres excuſæ Baſileæ apud Nicolaum Epiſcopium F. 1557. in 8. & rurſus cum epiſtola Matthioli Senenſis. M. Antonini Imperatoris Romani & philoſophi de ſeipſo ſeu vita ſua libros 12. vnà cum Marini

Neapo-

Neapolitani libro de Procli vita & felicitate, Græcos e bibliotheca illustrißimi principis Othonis Heinrici, cum vir doctrina excellens Michael Toxites nobis communicasset, describendos curaui, & ad archetypum contuli, & patrucli Andreæ anno 1558. cudendos dedi, vnà cum translationibus Latinis, in Antonini quidem libros Gul. Xylandri Augustani: in Martini verò Proclum, amici cuiusdam nostri iuuenis pereruditi, qui præ modestia nomen suum exprimi noluit. Chartæ sunt 30. in 8. Historiæ animalium liber quartus, quæ est de piscibus & aquatilibus, cum iconibus, procusus Tiguri à Froschouero 1558. in fol. chartis 335. Ad finem Paralipomena quædam accesserunt. Continentur autem eodem volumine Gul. Rondeletij quoque & Petri Bellonij de Aquatilium singulis scripta. Hannonis Carthaginensium ducis Nauigatio, qua maximam Libycæ oræ partem vltra Herculis columnas lustrauit, *è Græco sermone in Latinum conuersa, adiectis etiam scholiis. Sesquicharta impressa Tiguri apud Andream Gesnerum F. anno 1559.* cum Ioan. Leonis Africani Descriptionis Africæ libris nouem, *in 8. Xenocratis de alimento ex aquatilibus libellus Græcus nostra opera editus, idemq; Latinus ex nostra interpretatione, vnà cum scholiis. Chartæ sunt quatuor cum dimidia, procusæ Tiguri apud Andream patruelem in 8. vnà cum Iani Dubrauij Olmucensis episcopi, De piscinis & piscium qui in eis aluntur naturis libris quinque. Icones animalium aquatilium in mari & dulcibus aquis degẽtium, plus quàm* D C C. *cum nomenclaturis singulorum Latinis, Græcis, Italicis, Hispanicis, Gallicis, aliisq; interdum. Explicantur autem singulorum nomina ac nominum rationes, præsertim in Latina & Græca lingua vberrimè: & nominum confirmandorum causa descriptiones quorundam, & alia quædam præsertim in magno nostro de Aquatilibus volumine non tradita, adduntur: deq; singulis Rondeletij, Bellonij, Saluiani, & nostræ sententiæ explicantur breuissimè. Froschouerus cudebat Tiguri 1560. in folio chartis 101. Hoc monendus est Lector, tres libros, quibus conti-*

nentur Icones Quadrupedum, Auium & Aquatiliũ, commode vno vo-
lumine ligari. Hiſtoria & interpretatio prodigij, quo cœlum ardere vi-
ſum eſt per plurimas Germaniæ regiones, ineunte anno 1561. die tertio à
Natali Dominico: deq; aliis quibuſdam prodigiis veteribus ac nouis.
Chartæ ſunt tres impreſſæ apud nos eodem anno in octauo Con. Bolouesi
authoris nomine, meum enim non ponere placebat, ne quis ſutorem
vltra crepidam mihi obiiceret. *Placuit hæc interpretatio Anglis,*
qui ſua lingua eam ediderunt. Amicus quidam hic Germanice reddidit,
ſed nondum edidit. Dictionarium Germanicolatinum noſtra adhorta-
tione copioſiſſimum Ioſua Pictorius noſter confecit, excuſum Tiguri à
Froſchouero in 4. 1561. cum noſtra præfatione, in qua de lingua Ger-
manica in vniuerſum eiusq; dialectis, & quàm latè pateat: quid ei cum
Gotthica & Gallica commune: deq; antiquis ac recentibus in ea ſcriptis,
& illuſtranda eius ratione diſſerimus, per ſeſquichartam fere. Valerij
Cordi Simeſuſii Annotationes in Pedanij Dioſcoridis Anazarbæi de
medica materia libros quinque, longe aliæ quàm antehac ſunt euulgatæ.
Eiuſdem hiſtoria ſtirpium libri quatuor, nunc primum in lucem editi,
adiectis etiam ſtirpium iconibus, & breuiſſimis Annotatiunculis. Eiuſ-
dem Sylua, qua rerum foſſilium in Germania plurimarum, Metallo-
rum, Lapidum & Stirpium aliquot rariorum notitiam breuiſſime per-
ſequitur. Eiuſdem de artificioſis extractionibus liber. Eiuſdem compo-
ſitiones medicinales aliquot, non vulgares. His accedunt Stocchorny &
Neſſi in Bernatium Heluetiorum ditione montium, & naſcentium in
eis ſtirpium, deſcriptio Benedicti Aretij profeſſoris in ſchola Bernenſi.
Deſcriptiones & icones quædam plantarum noſtræ, & De hortis Ger-
maniæ liber à me tum recens conſcriptus. Hæc omnia typographo Ar-
gentinenſi Ioſiæ Rihelio ſuppeditaui, anno 1562. qui ea publicauit in
fol. chartis trecentis ac tribus. Hortorum Germaniæ priuatim chartæ
ſunt 32. Prolegomena in opera Galeni, Latina, quæ hoc anno 1562. Ba-
ſileæ prodeunt, ex vltima doctiſſimorum hominum recognitione, &c.

Char-

Chartæ sunt sedecim quadrante in magno folio. Cassij iatrosophistæ naturales & medicinales quæstiones 84. circa hominis naturam & morbos aliquot, ex nostra interpretatione Latina. Eædem Græce longe quàm antehac castigatiores cum scholiis nostris. Iacobus Gesnerus imprimebat Tiguri 1562. in 8. chartis nouem cum dimidia: vnà cum Antonij Snebergeri medici Catalogo medicamentorum simplicium pestilentiæ veneno aduersantium. Santis Ardoyni Pisaurensis medici de Venenis libri octo: cum tribus eiusdem argumenti Ferdinandi Ponzetti Cardinalis, excusi Basileæ apud Henr. Petri, & P. Pernam, anno 1562. in fol. Vtriusque authoris codicem ante annos quadraginta aut amplius retrò excusum, typographis ego suppeditaui: cum in nullis amplius bibliopoliis prostarent. Aristotelis libellum de virtutibus à me translatum, passim Stobæi Collectaneis Græce & Latine inserui: sicut & Theophrasti characteres, Græco contextu & Politiani translatione, quoad eius potui emendatis. His vltimus hoc tempore adnumeretur, præsens hic de scriptis tum propriis, tum aliorum à me editis. Ex his hactenus impressis lucubrationibus nostris, pleraque olim, si vixero, & iterum edi ea contingat, aucta & emendata dabo.

De nondum editis, partim perfectis, partim imperfectis adhuc. Versabar hoc tempore in adornanda nostra stirpium historia, cuius materiam vberrimam & picturas quam plurimas, permultis retro annis congerere cœpi. Ab ea verò multæ subinde occupationes necessariæ, multæ etiam ex improuiso impedimenta me auocant. Nuper quidem doctissimo typographorum Heinrico Stephano, Xenophontis de venatione libellum, ab Omnibono Leoniceno *minime bene conuersum, in eius gratiam vt emendarem roganti, obsecundare volui: & spero translationem illam cum Scholiis fortè nostris, inter cætera Xenophontis opera Latina ex eius officina propediem apparituram, vnà cum nostris in eundē librū obseruationib. & emendationibus Græci contextus. Alterū impedimentū immatura doctissimi Augustani medici Ioannis Moibani mors*

mihi attulit: qui nuper suo fato fungens, amicis mandauit vt conuersionem suam & annotationes in Euporiston Dioscoridis Anazarbei libros duos, nusquam antehac editos, imperfectas ad me mitterent. quas ego propter amicitiam, quæ nobis viuentibus intercessit, ipsius nomine perficerem ederemq́: id quod eò facilius suscepi, quoniam & illum amaui plurimum, & libros Græcos Senatus Augustani liberalitate iamdudum transcriptos habui, inq́ iis interdum animi gratia me exercui. Nuper etiam Valerij Cordi Descriptionis stirpium librũ quintum sum nactus, quem in Italia confecit: eumq́ perlectum Argentinam ad Rihelium typographum, vt maturè excuderet, misi. Oppiani de Aucupio librorum Paraphrasim, quam Venetiis olim mihi describendam curaui, Græcam Latinitate donaui, & nostræ animalium historiæ passim inserui: editurus etiam seorsim, si occasio fuerit, cum aliis quibusdã Græcis, de animalibus scriptis, &c. Procopij Gazæi in Octateuchum (id est, priores octo veteris Testamenti libros) Commentarios Græcos, copiosos sanè & eruditos, ex eadem bibliotheca nactus ante annos aliquot, transcribendos curaui, & Con. Clusero conuertendos dedi, vbi primum typographus contigerit, Græce etiam editurus. De canibus Ioan. Caij Angli medici & philosophi summi libellus, cum nostris quibusdam additionibus, vel per se, vel cum alio quopiam ad animalia pertinente libro edendus, apud me asseruatur. Serpentium & insectorum historiæ materiam copiosam congessi. De lapidibus, gemmis & omni fossilium genere Obseruationum syluam collegi. Remediorum secundum genera & locos digestorum, maximum numerum in schedis reposui. In Aristotelis quosdam libros physici argumenti, paraphrases aut scholia, in alios Græce, in alios Latine, ex Græcorum interpretum commentariis concinnaui. Admirandas Aristotelis narrationes emendaui, & meliori ordine digessi, Græce. Latina quædam & Græca carmina, Epigrammata, Idyllia, conscripsi. Germanicorum nominum propriorum, virorum & mulierum, (quibus vsa est Germania, antequam sanctorum nomina ex linguis peregri-

peregrinis reciperet,) aliquot millia secundum terminationes dispositа habeo. Apparet autem in singulis pene certa aliqua significatio, vt vel ominis gratia, vel saltem non temere, sed certam ob causam imposita videantur, sicut & apud Græcos ferè. Nihil autem antiquius in nostra lingua, & vnde, qualis ante multa secula fuerit, magis appareat, extare puto. (* Hunc librum Marcus Widlerus Tigurinus, à Gesnero inchoatum, sese auxisse, & absoluisse profitetur: eiusq; editionem pollicetur.) Germanicorum vocabulorum quam plurimorum ex Hebraica, Græca & Latina, origines meditor, & alia quædam, si Deus concesserit, sed vt res humanæ sunt, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου. Volui tamen etiam nondum editas & imperfectas lucubrationes meas commemorare, partim vt viri boni ac eruditi, me, dum vixero, nunquam otiosum futurum, meq; & mea omnia reipub. literariæ promouendæ perpetuò deuotissima fore intelligant: partim, vt qui ætate ac valetudine firmiores & otio magis abundantes homines literati, similiter erga bona studia atque ego affecti, reperiantur, ij de rudibus atque inchoatis quibusdam meis materiam sibi expoliendam, perfacile impetraturi, postulare à me possint.

COROLLARIVM. Enchiridion rei medicæ triplicis. Illius primum quæ signa ex pulsibus & vrinis diiudicat. Deinde Therapeuticæ de omni morborum genere curando singillatim. Tertiò Diateticæ vel de ratione victus, præsertim in febribus. Hoc volumine continentur. De pulsibus libellus, ex Galeni libris collectus ac veluti in formulam redactus, authore quidem incerto, sed diligentissimo doctissimoq;. De iudiciis vrinarum tractatus ex probatissimis collectus authoribus, & in tabulæ formam confectus, adiectis etiam causis, quæ hanc vel illam vrinam reddant, Ioan. Vasseo Meldensi authore. Morborum internorum propè omnium curatio, breui methodo comprehensa, ex Galeno præcipuè & Mar. Gattinaria, per Iacobum Syluium medicum selecta. De ratione victus in febribus secundum Hippocratem, in genere & singillatim

lib.3.authore Brudo Lusitano medico. Præfatio Conradi Gesneri ad Achillem P. Gassarum medicum. Liber impressus Tiguri per Andream Gesnerum F.& Iacobum Gesnerum fratres,anno 1555. in 8.chartis 59. semis. Con. Gesneri de anima liber sententiosa breuitate, veluti per tabulas & aphorismos vt plurimum conscriptus, philosophiæ & medicinæ studiosis accommodatus. Impressus Tiguri apud Iac.Gesnerum,1563. in 8.chartis 15. De omni rerum fossilium genere, gemmis,lapidibus,metallis, & huiusmodi, libri aliquot plerique nunc primum editi. Ioan. Kentmanni Dresdensis medici Nomenclaturæ rerum fossilium, quæ in Misnia præcipuè, & aliis quoque regionibus inueniuntur. Eiusdem, Calculorum qui in corpore ac membris hominũ innascuntur, genera 12. depicta descriptaq; cum historiis. De metallicis rebus ac nominibus, obseruationes variæ ex Schedis Georgij Fabricij. Seuerini Gœbelij medici de Succino lib.2. prior Theologicus, posterior physicus & medicus: cum Corollario C.Gesneri. Valerij Cordi de Halosantho seu spermate Ceti liber,cum Corollario C.Gesneri.S.Epiphanij episcopi Cypri, de 12.gemmis quæ erant in veste Aaronis,liber Græcus & Latinus, cum Corollario C. Gesneri.Fr.Ruei medici Insulani,de Gemmis aliquot,iis præsertim,quarum Ioan. in Apocalypsi meminit, & aliis quarum vsus hodie apud omnes percrebuit, lib. 2. Theologis non minus vtiles quam philosophis. C.Gesneri,de rerum fossilium,lapidum & gemmarum maximè, figuris & similitudinibus liber: non solùm medicis, sed omnibus rerum naturæ ac philologiæ studiosis, vtilis & iucundus, omnia simul impressa Tiguri apud Iac. Gesnerum, anno Domini 1565.in 8.chartis 67. Εὐπόριστα. *Ped. Dioscoridis Anazarbæi ad Andromachum, hoc est, De curationibus morborum per medicamenta paratu facilia lib. 2. Græce & Latine, partim à Ioanne Moibano medico Augustano, partim verò post huius mortem à C. Gesnero in linguam Latinam conuersi: adiectis ab vtroq; interprete Symphoniis Galeni aliorumq; Græcorum medicorum. Argentinæ excudit Iosias Rihelius, anno 1565. in chartis 62. Iod. Willichij*

chij Magirica, emendauit & edidit Tiguri. Moschionis de Affectibus mulierum, liber impressus Basileæ apud Guarinum, à Gaspare Wolphio editus. Euonymi seu de remedijs secretis pars secunda, edita à Gaspare Wolphio, Tiguri apud Froschouerum 1569.* Hic etiam modo in Germanicam linguam translatus est per D. Ioan. Iacobum Nuschelerum medicum. Epistolarum medicinalium Gesneri, libri tres editi sunt per Gasparum Wolphium. Itemq; Oxymellitis elleborati descriptio & vsus: vnà cum eiusdem de Aconiti primi assertione, ab eodem. Præterea quam plurimos Græcos & Latinos authores partim emendauit, partim scholiis illustrauit, poëtas quidem Græcos Nicandrum, Orpheum, Aratum, Sophoclem, Euripidem, Hesiodum, Musæum, Dionysium, Q. Calabrum, Coluthum, Tryphiodorum, Sibyllina oracula. Medicos, Aretæum, cuius etiam capita quædam manuscripta in bibliotheca Gesneri asseruantur. Veterinariæ medicinæ libros. P. Æginetam, Simeonem Sethi, Celsum, Auicennam, Nicolaum Alexandrinum. Alios quoque authores emendauit, & quidem diligentissimè, Athenæi Dipnosophistas. Scriptores rei rusticæ. Stobæi sententias: item Antonij & Maximi monachi, quos Stobæo coniunxit. Iulij Pollucis Onomasticum. Seruantur etiam in eius bibliotheca libri nondum editi. Præterea Demetrij Constantinopolitani de nutritione & cura accipitrum lib. 2. De canibus lib. 1. Græce. Epiphanij quædam Græca manuscripta. Petri de Musandinis, de cibis & potibus præparandis pro infirmis. Alexander Seitz de Thermis & modo lauandi.

VIDEA-

VIDEAMVS IAM ET ELOGIA quædam illi facta, quorum præcipuum decantauit THEODORVS BEZA.

Te cœlo mutante solum, GESNERE, volucres
Quæcunque pennis aëra permeant,
Repleuere modis omnia tristibus,
Migrantem amicum extrema supra sydera
Omnes cum gemitu graui secutæ.
Te cœlo mutante solum, GESNERE, feroces
Gemunt in antris belluæ,
Et stabuli pecudes oblitæ.
Sibilis Colubri te feri gemunt lugubres,
Imisque quotquot sub cauernis
Occulta terrarum colunt:
Et flaccidum plantæ virentes,
Et pallidum flores nitentes
Et flaccidum arbores comantes.
Regnate per humida,
Et belluosus qua ferit vndique
Reboantia littora Pontus,

Planctu

Planctu sonoro deflet Amphitrite,
Et liquidis sub aquis pisces natantes mutitãt:
Natura te omnis deniq; vt suorum fidum Antistitem
Plorat sacrorum, muta
Futura deinceps; ni loquaris mortuus.
Hac inter tibi turbatus, GESNERE, parentat
BEZA tuus, Vati Vates, & amicus amico
His incompositis innumeris numeris.

FELIX TRVBIVS.

Cum nossem terras, nossem genus omne ferarum,
Aethereumque genus, squamigerumq; genus.
Plantarum seriem cum vellem ponere certam,
Mors operi intentum repperit atra meo.
Et, GESNERE, tibi dixit spectanda supersunt
Nunc tandem rutili sydera celsa poli.
Linque igitur terras & corpora linque caduca,
Cum Christo in cœli viuere posse datur.

Coelius hic coelum triplici sibi vendicat usu.
Corde pius, lingua purus, & arte bonus.

CAELIVS SECVNDVS CVRIO
Philosophus.

ÆLIVS SECVNDVS CVRIO Italus, *Cyriaci Taurinorum* oppido natus anno 1503. Monticalerij educatus in prima pueritia fuit. Adolescens deinde Taurini ingenuis artib. imbutus est: qui cum ob sinceram fidei Christianæ doctrinam, quam ab ineunte ætate, spreta superstitione Pontificia, amplexus fuerat, varias ab hostibus persecutiones, carceres, vincula passus est: semper tamen post tot Eporediæ, Taurini, Lucæ intentatas mortes atque flammas præsentissima numinis ope mirabiliter ereptus est: vnde per præcipuas Italiæ vrbes, ac præsertim Mediolanum atque Papiam fama eruditionis ac religionis suæ passim spargebatur, adeò vt ob Pontificis Romani insidias, amplius in Italia se tutum esse nō posse videret: quare Lusannæ primò amplius quadriennio ac deinde Basileæ, à qua & Magisterij

Insigniis ornatus & ciuitatis iure donatus fuit, philosophiæ & eloquentiæ studia professus est annis propemodum XXIII. Tandem præclara sui memoria ad immortalitatem, tàm docendo, quàm scribendo post se relicta, excessit è viuis ætatis suæ anno 67. salutis humanæ 1569. ad VIII. Kl. DCB. opuscula quæ eleganter & pie conscripsit hæc sunt: Araneus siue de prouidentia DEI. Libellus de immortalitate animorum. de liberis pie educandis. paradoxa Christiana duo. Paraphrasis in principium Euangelij S. Ioannis. Adhortatio ad religionem. Oratio de ingenuis artibus. *Oratio in laudem Scribarum.* Funebres Orationes duæ. Laudatio cuiusdam qui pro patria occubuit. Quatuor breues orationes è Græco versæ. Bernardini Ochini sermo ex Italico versus. pro vera & antiqua Ecclesiæ Christi authoritate in Antonium Florebellum oratio. de omni artificio differendi atq; tractandi summa. Commentarij in Ioachimi Perionij de Dialectica libros tres. In eosdem libros Epitome. Pasquillus Ectaticus, cum aliis etiam aliquot lepidis Dialogis, quibus præcipua religionis nostræ capita explicantur. De literis doctrinaq; puerili libri quinque

que & libellus *de ratione docendi Grãmaticam.* Christianæ religionis institutio. Nizolij in Ciceronẽ obseruationes ab eo locupletatæ. de Mensuris Romanorum tractatus, cũ Liuio excusus, simul cum præfatione in T. Liuium. Cõmentaria in Philippicas M. T. Ciceronis Orationes. Enarrationes in Orationes Ciceronis pro P. Quintio, C. Rabirio perduellionis reo, Lucio Cornelio Balba. T. An. Milone, M. Marcello, Q. Ligario, rege Deiotaro, & in inuectiuas quatuor in Catilinam, impressæ sunt ab Oporino cũ variorum autorum in omnes Orationes Ciceronis commentariis. In M. T. Ciceronis topica explicationes ad Iuris Ciuilis rationes, quod voluit Cicero, potissimum accommodatæ. Epistolarum selectarum libri 2. Orationum *(inter quas & Agrippæ contra monarchiam, & Mecœnatis pro monarchia aduersariæ orationes duæ lectu dignissimæ, ex Dione Latinitate donatæ continentur.)* liber 1. insunt autem Orationes quædam funebres Æschinis, Demadis, Demosthenis singulorum singulæ latine expressæ. Oratio de ingenuis artibus. de Rhetoricæ & partitionum Oratoriarum Ciceronis commoditate. de honore in promulga-

mulgatione inſtitutorum Academię Baſilienſis. Frāciſci Spieræ Ciuitatulani hiſtoria ab eo ex Italica lingua in Latinam tranſlata. *Oratio Honorij Traumani ad milites pro tuenda libertate Germaniæ* ex Germanica Lingua in Italicam à quodam alio, & deinde in Latinam ab eo tranſlata. Appiani de bellis Hiſpanis librum ex Græca lingua conuertit in latinam, ac præfationem eius editionis præfixit, qua vitam Gelenij deſcribit. Librum de amplitudine regni DEI fecit. Franciſci Guicciardini Hiſtoriam ex Italica lingua in Latinam conuertit. M. Antonij Sabellici hiſtorię nouum ſupplemētum adiecit. Hiſtoriam Melitenſis belli deſcripſit. Theſaurum latinæ linguæ noua editione perconcinnatum edidit. item *libros tres de perfecto Grammatico. Parentatus illi fuit hoc Epitaphio,*

PAVLVS CHERLERVS.

Arte potens, pietate grauis, ſermone politus
Cælius hic molles in leni funere ſomnos,
Juxta cara ſibi, quondam ſua pignora, carpit:
Cumq́ his exurget priſcis reuidendus amicis,

Luce

Luce sub extrema: Cum tu fortissime IESV
Viua DEI *soboles, sonitu praeunte tubarum,*
Aduenies iudex liquidis in nubibus acer,
Judicioq; premes orbem, & noua praemia reddes:
Praemia grata probis: reprobis ingrata; sed aqua,
Et fidei vacuis ipsorum debita factis.

HULRICHUS ZWINGLIUS
Helvetius Ecclesiæ Tigur. Pastor. Natus Zurigij, an. 1487. Cæsus ab hostib. xi. octob. an. 1531
Zwinglius & calamo & signis dum pugnat
Utro & vinconti par data palma fuit.

HVLDERICVS ZVVINGLIVS
Heluetius Theologus.

VGII natus est HVLDRICHVS ZVVINGLIVS, anno 1493, est uatem illud oppidum in Heluetiis, primam adoleſcentiam laudabiliter in ſtudiis peregit, idque primùm *Baſileæ*, deinde *Bernæ*, tum *Viennæ Auſtriæ* eum Baſilienſis Academia Magiſtrum artium & Philoſophiæ pronunciauit anno 1506. Poſtea ibidem ſacris literis initiatus eſt, fideli opera *Thomæ VVitebachij Theologi clariſſimi* vſus. Sacerdos itaq; factus eſt primo *Claronæ* Anno 1516. deinde Paſtor eligitur in celebri illo Eremitanę Virginis fano. Demum *Tigurinæ* Eccleſiæ ſummus Doctor & Antiſtes conſtituitur anno 1519. Is primus in Heluetia Pontificum indulgentiis fortiter ſe oppoſuit: Religionem Euangelicam inſtaurauit: Fœdus cum hoſtibus DEI impium fortiſſimæ nationi diſſuaſit

sedulò. Colloquium ob Eucharistiæ negotium. publicum cum Theologis Marpurgensibus habuit anno 1529. Bello tandē Helvetico ciuili, fungens ministerio suo in castris proque aris & focis fortiter pugnans occubuit Ætat. 46. Anno Christi 1531. x 1. Octobr. Scripsit multa, quæ in quatuor Tomos digesta typis excusa sunt.

In primo Tomo continentur: Opus articulorum, siue conclusionum 67. paræneses ad communem Helvetiorum ciuitatem, ne Euangelicæ doctrinæ cursum impediant, nec licitis sacerdotum connubiis offendantur. Supplicatio quorundam apud Helvetios Euangelistarum, ad R. D. Hugonem episcopum Constantien. ne se induci patiatur, vt quicquam in præiudicium Euangelij promulget, neve scortationis scandalum vltra ferat, sed presbyteris vxores ducere permittat. Apologeticus Archeteles appellatus, quo respondetur paræneſi R. D. Constantiensi ad Senatum præposituræ Tigurinæ missæ. Suggestio deliberandi super propositione Hadriani Pont. Roman. Neroberge facta ad Principes Germaniæ. Apologia, qua in publicis Helvetiorum comitiis Bernæ congregatis, ad quædam falso sibi intentata crimina respondit. Epistola ad Senatum & populum, totamq; ecclesiam Toggiorum. Epistola ad communem Helvetiorum societatem, qua docet, Compaternitatem matrimonij vsum non impedire: simulq; monet, ne sese externorum insidiis turbari patiantur. Paræneſis ad vetustissimam Suitensium Remp. vt principum amicitias & insidiosa alienigenarum munera caueat. De certitudine & claritate verbi Dei lib. 1. De Canone Missæ Epichereſis. De Canone Missæ libelli apologia. Aduersus Hieronymum Emserum canonis Missæ assertorem, Antibolon. Ad Fridolinum Lindouerū Bremgartensem concionatorem, super publica de gratia per Christum hallucinatione Expostulatio. Christiana & orthodoxa prudentiss. Tigurinorum

rum Cos. totiusq; Senatus responsio, ad Constantiensem episcopum, de Idolis & Missa. Ad Valentinum Comparem archigrammateum Vraniensem responsio, de Euangelio, Doctoribus, vel patrum authoritate, de Imaginibus, & Purgatorio. Isagoge in Euangelicam doctrinam, à prudentissimo Tigurinorum Senatu cunctis ecclesiarum tam in vrbe, quàm in agro ministris exhibita, vt ea instructi Euangelium pure prædicent. Quo pacto ingenui adolescentes formandi sint, præceptiones. Pastor, quo docetur quibus notis veri pastores à falsis discerni possunt, & quid de vtrisque sit statuendum. De duplici iustitia, diuina & humana, liber vnus. De delectu & libero ciborum esu, de offendiculo item & scandalo liber: de casta, intemerata semperq; virgine Maria, sermo. Amamnema de prouidentia Dei, ad illustrissimum Cattorum principem.

Tomus secundus continet τὰ πολεμικὰ, id est, pugnas quæ ipsi cum aduersariis suis intercesserunt, vt est, in Catabaptistarum strophas elenchus. Ecclesiastes, id est, de ratione & officio concionandi liber, contra Catabaptistarum seditiosas conciones conscriptus. De baptismo & eius prima institutione, anabaptismo, & pædobaptismo, id est, paruulorum & infantinm baptismo liber, diuisus in tres tractatus. Ad Balthazaris Huebmeier Pacimontani libellum de baptismo editum responsio. Ad Petrum Gynoræum epistola, in qua de Fabro, Eccio, & Balthazare Catabaptista quædam comperies. De peccato originali declaratio, ad Vrbanum Rhegium. De tumultuum & seditionum authoribus, & quinam seditiosi meritò dicendi sint, qua denique via ad Christianam pacem commode perueniri possit. Ad Matthæum Albertum Rutlingensium Ecclesiasten, de cœna Dominica. De vera & falsa religione Commentarius, ad Franciscum Galliarum regem. Subsidium siue Coronis de Eucharistia. Ad Io. Bugenhagij Pomerani epistolam, contra nouum errorem, vt ille scripserat, responsio: qua Eucharistiæ negotiũ & Christi verba, Hoc est corpus meũ declarantur. Ad Theobaldi Billicani epistolã re-

ſponſio, eiuſdem argumenti. Ad Vrbanum Rhegium epiſtola, ſuper eadem re. De cœna Domini plana breuiſq; inſtitutio, in ſimplicium quorundam vſum conſcripta, ne argutis aliorum fallaciis decipiantur. Epiſtola ad celeberrimam quandam Germaniæ ciuitatem, quæ tam ipſius quàm Oecolampadij ſcriptis aditum ad ſe præcluſerat. Ad libellum doctoris Io. Struthionis de cœna Domini contra ſe ſcriptum reſponſio. Reſponſio breuis ad epiſtolam ſatis longam amici cuiuſdam haud vulgaris, in qua de Euchariſtia quæſtio tractatur. Amica Exegeſis, id eſt, expoſitio Euchariſtiæ negotij ad M. Lutherum. Ad M. Lutheri ſermonem in Wittenbergenſi eccleſia pro ſubſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti in ſacramento aſſertione, contra Svvermeros aut fanaticos publice habitum, pia & amica apologia ſeu reſponſio. Orthodoxa reſponſio, qua Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur, veterem at vnicum ſenſum perpetuò retinere: & Mar. Lutherum vltimo ſuo ſcripto de Sacramento, nec ſuum nec pontificis ſenſum docuiſſe, aut confirmaſſe, docetur. Ad Mart. Lutheri librum, quem is Confeſſionem dixit, reſponſio. Ad Confeſſionem Mart. Lutheri reſponſio. Sermo primus Bernæ habitus, fidei ſuæ confeſſionem, & eiuſdem expoſitionem continens: tractat autem expoſitionem totius ſymboli Apoſtolici, & multa obiter de corporis Dominici natura, deq; Euchariſtia diſſerit. Sermo vltimus, quem apud Bernenſes de conſtantia habuit. Ratio fidei ad Carolum quintum Romanorũ Imperatorem. Epiſtola ad Illuſtriſſimos Germaniæ Principes Auguſtæ congregatos, de Eccij conuitiis. Chriſtianæ fidei breuis & clara expoſitio ad Franciſcum Galliarum Regem ſcripta, paulò ante mortem eius. Ad Ioannis Eccij Heluetiorum Legatis Badenæ agentibus tranſmiſſam epiſtolam, Chriſtiana reſponſio, qua Zuinglio intentatæ calumniæ diluuntur. Ad eiuſdem epiſtolam & nouem pagorum Heluetiæ conſilium Frouuenfeldæ initum, breuis & extemporanea reſponſio, Tigurino Senatui exhibita S.P.Q. Tigurini ad Ioannem Eccium epiſtola ſaluum cõductum ipſi promittens, adiuncto ſimul Huldrici

Zuin-

Zuinglij epistolio. Ad duodecim Heluetiorum pagos, omnesq; fœderis eiusdem socios, de Badensi Disputatione epistola. Ad Ioannis Eccij propositiones septem, responsio prima. Ad Ioannis Eccij falsas & impias responsiones, in Badensi disputatione proditas, responsio secunda. Ad Ioannis Fabri μὴ ἐπιστολίνω ὄπτωλω, id est, nunquam transmissam epistolam, Responsio. Altera ad Ioannem Fabrum epistola, qua ad Fabri scriptum, quo Zuinglij ad duodecim Heluetiorum pagos, epistolam insectatus est, respondetur. Tertia ad Ioannem Fabrũ responsio, libellum ipsius mendaciorum plenissimum, quem Nouitates dixit, confutans. Ad vniuersos Christi fideles epistola, vt impium Fabri conatum, quo non nuper modò conscriptis libris, verum etiam noui Testamenti codicibus incendium molitur, caueant. Quo pacto mendaciorum doli, quibus hoc seculum nostrum scatet, caueri possint, breuis, sed exacta institutio. Acta disputationis primæ, quæ R. D. Constantiensis episcopi Legatis cum Huldrico Zuinglio, & inter alios complures Tigurinæ ditionis ministros extitit, anno Domini 1523. mense Ianuario. Acta disputationis secundæ, quæ coram vniuerso Tigurinorum Senatu & verbi ministris circiter quingentis transacta est, anno eodem, mense Octobri.

Tomus tertius, ea quæ in Genesin, Exodum, Esaiam, Ieremiam Prophetas, partim ex ore illius excepta, partim ab illo conscripta sunt, vnà cum Psalterio Latinitate donato, continet. Psalterium ab Huldrico Zuinglio ex Hebraica veritate sermone Latino donatum. Complanationis Isaiæ prophetæ fœtura prima, cum Apologiæ, cur quidq; sic versum sit. Apposita est autem Diui Hieronymi traductio e regione versioni Huldrici Zuinglij: sic vt columnæ (vt vocant) columnis respondeant. Complanationis Ieremiæ prophetæ, fœtura prima: adiecta Apologiâ cur quidque sic versum sit, cum epistola nuncupatoria ad S. P. Q. Argentoratensem.

Quartus Tomus complectitur Annotationes in quatuor Euangelistas, & Passionis Dominicæ historiam: item in Pauli apostoli epistolam

ad Romanos, Corinthios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, Hebræos: præterea in Canonicas D. Iacobi, & primam Ioannis, epiſtolam. Annotationes, ex Huldrici Zuinglij ore exceptas. Breuis commemoratio mortis Chriſti, ex quatuor Euangeliſtis, per Huldrichum Zuinglium in vnam ſeriem concinnata. Scripſit præterea Epiſtolas multas doctrina ac pietate mira refertas, quæ vnà cum Oecolampadij epiſtolis impreſſæ ſunt. Et hactenus de Zuinglij lucubrationibus, quas vel ipſe Latine ſcripſit, vel ab aliis, vtpote Leone Iudæ, Rodolpho Gualthero, Gaſparo Megandro, è Germanico in Latinum ſermonem transfuſas habemus.

CVIVS ENCOMIA HÆC HABETO:

THEODORVS BEZA.

Zvvinglius arderet gemino cum ſanctus amore,
Nempe Dei in primis, deinde etiam patriæ:
Dicitur in ſolidum ſe deuouiſſe duobus,
Nempe DEO in primis, deinde etiam patriæ.
Quam bene perſoluit ſimul iſtis vota duobus,
Pro patria exanimis, pro pietate cinis.

ANONYMI.

Quid tibi cum rabidi Martis furialibus armis
Docti ingenij Zvvingli fuit?
Tranſigeris coſtas putri porrectus arena,
Phalangis inter Principes:

Debue-

Debueras inter ſacras ſenuiſſe Camœnas,
Ac profuiſſe moribus.

TVMVLVS EIVSDEM.

Qui Chriſto & Patriæ vixit, docuit, vigilauit,
Pro Chriſto & Patria fortiter occubuit.
Sed quid rettulerit, qua tandem morte necetur:
Cui dum viuebat viuere Chriſtus erat.
Zvvinglius occubuit ſed corpore, cætera nunquã:
Nam meliore ſui parte ſuperſtes erit.
Rumpere liuor edax vita qui perpete Chriſto,
Quiq; bonis manet, haud mortuus eſſe poteſt.
Mors etiam lucro eſt, multo iam fœnore mentis
Fortius exurgent ſemina iacta piæ.

ETEOSTICHON.

Occubuit patrio bellator: Cinglius enſe,
Et preſſa eſt armis gens populoſa ſuis.

Anne ideo Bucere alio petis orbe Britannos.
Vt cinis & cineris gloria tanta fores.

MARTINVS BVCERVS
Theologus.

MARTINVS BVCERVS SELESTADII celebri Alsatiæ oppido natus, Anno 1491. cui ex Dominicanorum cloacâ, Lutheri voce, VVormatiæ coram Cæsare libere loquentis, excito, variisque insidiis post appetito, restitutam apud se *Argentina* (vt & *Ulma*) lubens debet Ecclesiam: Cuius & Eruditionem singularem, & Zelum pietatis eximium, cum eximiâ prudentiâ cõiunctum omnibus seculis testabuntur, tùm doctissimæ ipsius lucubrationes, & in publicis comitiis disputationes habitæ: tùm pro Ecclesiarum pace, quamuis non felici semper successu, labores exhausti. Is igitur Theologus verè *Aretius Bucerus*, post vicennium integrum, quo Argentinæ sacras literas in Ecclesiâ & Scholâ docuit, in Angliam demum profectus, *Edouardo VI*, religio-

 sissimo

fissimo Rege vocante *Cantabrigiæ* in Academia Theologiam, summo cum doctorum, piorumque omnium concursu, circiter biennium professus, cùm placidâ morte pridie Kl. Martij anno 1551, annum ætatis agens 61. obiisset, quinto pòst anno, euerso post *Eduardi Regis* obitum, religionis statu, erutus crematusq; , anno 1566, martyrij palmam tulit. Quarto rursus anno pòst, admirabili rerum vicissitudine, sub *Elisabetha Regina*, iudicio aduersus innocentem publice rescisso, in integrum restituitur, anno 1560.

Is plurima mandauit literis, cùm vernaculo, tùm latino sermone, ex quibus hactenus latine edita sunt; Sacrorum psalmorum libri quinque, ad Ebraicam veritatem planiùs quam vulgò genuina versione in latinum traducti, primum appensis bona fide sententiis, deinde pari diligentiâ adnumeratis verbis & argumentis adiectis. Explanatio eorundem familiaris, qua præter scopum & ordinem dictorum, singulæ propè voces explicantur. Tractati sunt etiam aliquot loci communes ex fonte scripturarum adhibita autoritate patrum. In sacra quatuor Euangelia enarrationes. Metaphrases & enarrationes perpetuæ Epistolarum D. Pauli Apostoli. Dissidentium in speciem locorum scripturæ, & primarum hodie in religionis doctrina controuersiarum conciliationes & decisiones 24. commentaria in Epistolam ad Romanos. Epistola D. Pauli ad Ephesios versa paulo liberius, bona tamen fide sententiis Apostoli appensis cum commentario. Tzephaniah, quem Sophoniam vulgò vocant, prophetarum Epitomographus, ad Ebraicam veritatem versus, & commentario explanatus. Præfatio in quartum Tomum Postillæ Lutheranæ, com-

na, continens summam doctrinæ Christi. Epistola explicans locum 1. Corinthior. 10. an nescitis quod qui in stadio currunt, vsque ad, sed plures illorum non approbauerit DEVS, *cum annotationibus in quadã paucula Lutheri. Epistola Martini Lutheri ad Ioannem Heruagium, superiora criminans. Responsio ad hanc Martini Buceri: item ad Pomeranum sati facti pro versione Psalterij. Pro vera Ecclesiarum in doctrina, ceremoniis & disciplina reconciliatione & compositione. Acta colloquij in Comitiis Imperij Ratisbonæ habiti, quæ continent articulos de religione concinnatos, & non conciliatos omnes, vt ab ipso imperatore, ordinibusq; imperij ad iudicandum & deliberandum propositi sunt, qui liber etiam germanice est editus. Contra Episcopum Abrincensem defensio. Martini Buceri & Bartholomæi Latomi scripta duo aduersaria, Disputata Rotisbonæ in altero colloquio anno Domini 1546, & collocutorum Augustanæ Confessionis responsa, quæ ibi cæperant, completa, de iustificatione & locis doctrinæ Euangelicæ omnibus quos doctrina de iustificatione complectitur: Tractata & decreta de concilianda religione in comitiis, Ratisbonensi anno 1541. Spirensi 1544. Wormatiensi 1545. & Augustano anno Domini 1548. Ad Ecclesiam Anglicanam gratulatio de religionis Christi institutione. Et responsio ad duas Stephani Episcopi Wintonienſis Angli conuiciatrices epistolas, de cælibatu sacerdotum & cœnobitarum, in qua demonstratur* S. Coniugij abstinentiam contra DEI & Ecclesiæ leges exigi ab omnibus ad Sacerdotium & admissis & admittendis. *Eiusdem responsio de Cœna Dominica ad obiecta quæ contra veritatem Euangelicam Murnerus partim ipse finxit, partim ex Roffensi & aliis pietatis hostibus sublegit. Item per quos steterit, quo minus Haganoæ proximis comitiis de componendo religionis dissidio initum colloquium sit. De optima ratione habendorum conciliorũ & pacandarum Ecclesiarum. A quibus iure exigatur restitutio bonorum Ecclesiasticorum præterea in latinam linguam transtulit Postillam maiorem (vt vocant) Lutheri: & Pomerani com-*

mentaria in Psalmos. Epistola apologetica ad syncerioris Christianismi sectatores per Phrysiam Orientalem, & alias inferioris Germaniæ regiones, in qua Euangelij Christi vere studiosi, non qui se falsò Christianos iactant, ab iis defenduntur criminibus, quæ in illos Erasmi Roterodami Epistola, ad Vulturium Neocomensem intendit. Apologia qua fidei suæ atque doctrinæ circa Christi cœnam, qua tum ipse tum alij Ecclesiastæ Argentinenses profitentur rationem simpliciter reddit, atq; citra dentem depellit, quæ in ipsum Epistola quædam Ioannis Brentij Ecclesiastæ Hallensis, inscio, vt creditur, authore edita, crimina intendit. Non esse ferendas in Templis Christianorum imagines & statuas coli solitas, causæ ex arcanis literis, sententiis patrum, edictis religiosorum Cæsarum; Vnde candidus Lector videbit, quam pie Senatus Argentinensis nuper Simulacra omnia cũ aris eliminanda suis templis curauerit. *Epistola in Euangelistarum enarrationes nuncupatoria, ad præclaram Academiam Marpurgensem, in qua quid hæresis, quid hæretici, & quatenus cum dissentientibus societas Christi seruanda sit, disseritur: excutiuntur quoque articuli conuentus Marpurgici. Confessio quatuor ciuitatum Argentorati, Constantiæ, Memmingæ & Lindauiæ, qua sacratissimæ Cæsareæ maiestati fidem suam in comitiis Augustanis exposuerunt. Quid de baptismate infantium iuxta scripturas* DEI, *sentiendum, excussis quæcunque vel pro hac obseruatione, vel contra eam afferri solent. Epistola ad quendam hac in re dubium. Axiomata apologetica. De sacro Eucharistiæ Mysterio, & circa hos Ecclesiarum concordia, quibus respondet Thematis Nicolai Amsdorfij, Argentoratenses falsò criminantis: An statui & dignitati Ecclesiasticorũ magis conducat admittere Synodum nationalem piam & liberam, quàm decernere bello, Epistolæ duæ Decani & Canonici cuiusdam. De concilio & legitime iudicandis controuersijs religionis, item criminum, quæ in eum Cochlæus ad illustrissimos Principes, ac clarissimos ordines S. Romani Imperij per Germaniam, & quæ Ioannes Gropperus ad maiestatem Impe-*

Imperatoriam perscripsit confutatio. De vera & falsa cœna Dominica administratione lib. 2. in priori refutatur mutilatio Eucharistiæ, & docetur qua religione seruanda sint præcepta DEI *de cæremoniis: in altero de veris & falsis sacrificiis & oblationibus Ecclesiæ, vitiis Missarum, cura mortuorum, Purgatorio agitur. altera aduersus Latomum responsio. Item præfatio ad patres, qui* DEVM *in synodo Tridentina timent, de causis, quæ pios homines ab ea synodo absterrent. Præfatio in historiam de morte sanctissimi viri Ioan. Diazii Hispani: De regno Christi Iesu seruatoris nostri libri duo; ad Eduardum VI. Angliæ regem, non solum Theologis atque Iuris peritis profuturi, verùm etiã cunctis rempublicam bene & feliciter administraturis cognitu in primis necessarij. Prælectiones doctissimæ in Epistolam D. Pauli ad Ephesios habitæ Cantabrigiæ in Anglia, ex ore prælegentis collectæ & in lucem editæ opera Immanuelis Tremelij Theologiæ doctoris & eiusdem professoris in academia Heidelbergensi. De vi & vsu sacri ministerij, cum in genere, tùm de singulis partibus eius. Gratulatio ad ecclesiam Anglicanã de religionis Christi restitutione, quæ Argentorati ad annos vsque 28. sonuit. Oratiuncula, quã habuit in academia Cantabrigiensi, cum publice in Doctorem Theologiæ crearetur. Exomologesis de Eucharistia. De eadem ad D. Petrum Alexandrum Gallum. Item de eadem ad D. Petrum Martyrem Vermilium. Censura siue iudicium D. Buceri super libro sacrorum Angliæ à Thoma Crammero Archiepiscopo Cantuariensi petitum. De reformatione collegij Canonici formula. De examinatione Canonica ordinandorum. De ordinatione legitima ministrorum Ecclesiæ in vsum reuocanda. De re vestiaria in vsu sacrorum vsurpata, ad D. Hopperum. De eadem re scriptum ad D. Thomam Crammerum archiepiscopum. Concio in locum Apostoli ad Ephesios cap. 4. Hortor itaque ego vos vinctus in Domino. Disputata publice in academia Cantabrigiensi, præside D. Bucero, à studiosis quibusdam excepta, ipsig; post ad castigandum exhibita, postea verò aduersariis quoq; missa. Historia controuersiæ in pu-*

blica disputatione agitata inter D. Bucerum & M. Iungum, de operibus hominum ante iustificationem factis. Scripta duo M. Iungi, quibus dogma suum Pelagianicum asserere conatur, ad Procancellarium & collegiorum præfectos missa. Eorundem confutatio per D. Bucerum, cum ex sacris literis, tum ex orthodoxis patribus. Cui sub finem aliquid subiicitur de vsura. Quos iam commemorauimus libros seruat Conradus Hubertus ecclesiæ Argentinensis minister, qui hos breui volente Deo in publicum edet. Penes eundem sunt permulta alia Buceri scripta, de re eucharistica atque concordia. Tractatuli theologici non pauci. Quæstiones theologicæ intricatæ. Propositiones variæ Argent. disputatæ. Contra Schuuenckfeldium & Anabaptistas. Epistolæ plus quam ducentæ. Item vernacula lingua nondum edita. Ad Wilhelmum & Erasmum episcopos Argentinenses scripta quædam de Interimistico negotio. De Synodis Argentoratensibus. Consilia ad comitia Imperialia. De disciplina ecclesiastica. De scandalo dando & accipiendo. De visitatione ægrorum: & alia huius generis.

Porro Germanica lingua sequentes libri Buceri in publicum editi sunt. Ad senatum populumq; Wissenburgensem, Summarium concionis ibidem habitæ, additis causis discessus sui, & articulis aliquot. Neminem debere sibi soli viuere, & quomodo huc perueniri possit. Responsio ad criminationes aduersariorum in qua se pœnæ offert, si in vita & doctrina criminis alicuius iuxta verbum Dei puniendi conuincatur: ac docet vitam cœnobitarum qualis nunc in vsu est, Deo repugnare, ideoq; nulla voti ratione habita deserendam esse. De disputatione habita inter Conradum Tegerium Prouincialem Augustinianorum & ministros Argentinenses breuis & vera expositio. De eadem disputatione Tregeri admonitio ad ministros verbi per Heluetiam, anno. Psalterium cum annotationibus Pomerani in Germanicam linguam translatum, anno. Causæ ex sacris scripturis allatæ reformationis Argentinæ factæ quoad Missam, Baptismum, ferias, imagines, cantum ecclesiasti-

cum:

cum: additæ sunt literæ ad illustrissimum principem Fridericum Palatinum Rheni, quibus admonentur magistratus ne patiantur se à falso nominatis ecclesiasticis adduci, ad damnandum inaudita causa doctrinam quæ scripturis sacris defenditur. Admonitio ministrorum Argentinensium de cauendis articulis Iacobi Cautij, qui Anabaptistarum hæresim spectant. Arbogastus dialogus de cœna Domini, in quo tractantur omnia argumenta à Luthero in libro quem Confessionem inscripsit proposita. Acta disputationis inter ministros Argentinenses ecclesiæ, & Melchiorem Hofmannum habitæ. Præparatio ad concilium, hoc est, colloquia aliquot quomodo ab vtraque parte Papistica & Euangelica concordia pia initi & conseruari possit. Catechismus maior. Catechismus minor in Latinam linguam conuersus à Ioanne Sleidano. De vera œconomia ecclesiæ, ministrorum ordinatione, vsu & administratione sacramentorum, de baptismo dando paruulis, & consensione circa sacramentum corporis & sanguinis Domini. Præfatio in librum de officio magistratuum in causa religionis, conuersum ex Augustino ad Bonifacium. Colloquia de ecclesiæ ministerijs & actionibus, & quodnam sit magistratus officium in his curandis & emendandis. De vera animarum cura & pastorum officio quomodo in ecclesia instituendum & exercendum sit: vbi ostenduntur veræ causæ ineundæ concordiæ & eutaxiæ constituendæ in ecclesia. Conciones tres in Euangelium, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. Matth. 11. habitæ Benfeldi, & magistratibus Alsatiæ inscriptæ, addita exhortatione ad cogitandum de vera ecclesiæ reformatione. Colloquia aliquot ex diuino & humano in re de pace religionis tractata. De Iudæis an & quatenus inter Christianos ferendi sint. De bonis ecclesiæ, qui sint iusti horum possessores, quis sit horum abusus & rapina, ac quomodo commodissime vera & Christiana horum possessio & vsus restitui possint. Item responsio ad dialogum contra Protestantes editū, sub nomine Conradi Treuu de Fridensleuen. Quis impedierit Haganoæ ne colloquium de religione haberetur:

item

item quo iure à Protestantibus petatur restitutio bonorum ecclesiasticorum: denique quid de pace religionis actum sit Augustæ. Norimbergæ, Francofurti, Haganoæ. 1540. sub nomine Varemundi Lutholdi. Omnia acta & scripta de conciliandis religionis controuersiis à Cæsarea maiestate, Principibus & statibus imperij, & legatis Pontificiis proposita & tractata in postremis comitiis Ratisbonensibus fideliter collecta, descripta & explicata. Defensio prima eorum qui Euangelij causa Bonnæ geruntur ac docētur. Colonienſis reformatio. Secunda defensio & expositio præcipuorum capitum Christianæ religionis quæ Bonnæ & in aliis locis archiepiscopatus Colonienſis traduntur, cum refutatione firma calumniarum, quæ sub nomine Deputatorū Academiæ Colonienſis & Cleri secundarij Coloniæ editæ sunt. Confutatio nouæ fidei à Louanienſibus articulis 32. Defensio reformationis Colonienſis. Vera vnica & simplex ratio Germanicam nationem reconciliandi in causa religionis, & quid de hac re in comitiis actum sit, addita defensione iusta aduersus Io. Groperi falsas criminationes. Breue Pauli III. PP. ad Heluetiorum XIII. pagos, & postulata legati Pontificij vt se iungant nouo fœderi Cæsaris & Papæ. Item eiusdem fœderis capita. Bulla præterea Papæ, in qua belli contra Euangelicos causa supplicationes indicit, & indulgentias promittit: cum pia admonitione Buceri. Pia admonitio ad Cæsaream & Regiam maiestatem, Principes & status imperij Wormatiæ congregatos, de instituenda seria emendatione & reformatione ecclesiæ. Contra restitutionem Missæ & reliquorum sacramentorum & ceremoniarum Papisticarum. Christiana & simplex consideratio qua ratione tolerabile aliquod initium reconciliandæ religionis fieri possit. Lipsiæ anno 1539. præsente & consentiente Wicelio composita: cum præfatione Buceri, 1545. Quam facile sit consensionem in religione totius ecclesiæ reformationem ad Germanos instituere, quæq; sint præcipua huius rei impedimenta & quomodo ea amoueri possint: addita protestatione quod paratus sit hæc contra Sophistas Colonienſes probare coram Cæsarea &

Regia

Regia maiestate, &c. De colloquio Ratisbonensi, 1546. inchoato, & discessu auditorum & collocutorum quos principes Augustanæ confessionis illuc miserunt. Psal. 120. explicatio ad Bonnensem ecclesiam, vna cum refutatione famosi libelli contra piam reformationem, & Bucerum absque nomine editi, titulo, delineatio seu Effigies Buceri. Non esse admirandas graues afflictiones nostrorum temporum, neque animum propterea despondendum, sed erigendum piis consolationibus, &c. Epistola ad quandam afflictam & perturbatam Ecclesiam, Compendium doctrinæ, quæ nunc ab annis 28. in Argentinensi Ecclesia sonuit, vna cum refutatione calumniarum, quibus monasterienſis spiritus & doctrina ministris Ecclesiæ Argentinensis tribuitur. Concio habita Bernæ, & cum actis Disputationis Bernensis edita. ad Monasterienses de ministerio & Sacramentis liber scriptus nomine ministrorum Ecclesiæ Argentinensis. Commentarij Martini Lutheri in duas D. Petri Epistolas in Germanicam linguam translati. Item latine edita à Sturmio scripta quædam de Eucharistia. Retractatio cum commentariis in Euangelia, & separatim quoque edita Latine, & ab authore germanice transmissa Senatui Bernensi. Cuncta hæc Buceri Latina & Germanica scripta si in vnum coniungerentur, efficerent Tomos IX. iustæ magnitudinis. Porro Historia Vitæ, illius obitus, sepulturæ, &c. edita est Argentinæ: Huic Encomia sua decantata sunt à Viris clarissimis, inter quos,

THEOD. BEZA.

Natales Bucere tuos Germania iactat,
Natalibus felix tuis.
Quis verò, & quantus fueris, tua scripta loquun-(tur,
Ad littus orbis vltimum.

De Vita si quis rogitet; Germania dicet,
In Vita Bucerum expuli.
Ast ego sic pulsum (pia dixerit Anglia) foui,
Tandemq; texi mortuum.
Verùm mox eadem (factum ô immane) sepulcro.
Flammis cremauit erutum.
Fallor ego, totus terrena facis an expers
Bucere sic cœlum tenes.

IOANNES CHECVS.

Vita grauis misero, grauior mors: sed tibi tanto
Mors nec Vita potest esse Bucere grauis.
Vita fuit Christus Mors lucrum: viuere cessat
Natura, at Christus vita perennis adest.
Alma fides Christi quam tu super astra ferebas
Te super astra eadem sustulit alma fides.
Cumq; tui mores, pietas, doctrina probentur:
Mors tua non grauis est, & grauis est eadem.
Mors grauis est nobis orbatis lumine tanto;
Non grauis est tibi, qua vita beata tibi est.
Doctrina studium, Vita constantia, mortis
Exitus, ô idem sit mihi Christe precor.

GVIL-

GVILHELMVS BVCLÆVS.

Lis est, Germanus fueritne Bucerus, an Anglus,
Utraque gens causam quo tueatur habet.
Mundanum celebris fecit Germania ciuem,
Cœlestem ciuem terra Britanna facit.
At cœlum mundo longe est præstantius, ergo
Conditio melior terra Britanna tua est.

PETRVS CANDIDVS.

Ornauit, docuit, conformauitq; Bucerus:
Templa, scholas, vrbes: eloquio, arte, fide.

IOAN. LAVTERBACHIVS.

Doctrina rerum Bucerus cultus, & arte
Infida liber Sortis in orbe iocus.
Iactatus terra, pelagi iactatus & vndis,
Ob Christum forti pectore damna tulit.
Sortis contemnens ludibria, damnaq; rerum,
Doctrinæ sparsit semina pura DEI.
Non operum docuit meritis æterna mereri:
In Christo sola iustificante fide.

Et patriâ cedens, à Rege vocatus ad Anglos,
Externa vixit non diuturnus humo.
Hi sine mente fidem reuocantes, condita quamuis
Ingrati nudant corpora, dant que rogo.
Post Regina tamen cum magno corpus honore
Restituens cineres ponere curat humo.
Somniet in mundo ne verbi doctor honores:
Sortis enim Verbi doctor in orbe iotus.

ANONYMI.

Ludibrium sortis, varie iactatus ARETI,
Semina doctrinæ pandis vbique tuæ.
Præreptum fato tumulauerat Anglia corpus
Mox cadit in tristes atra fauilla rogos.
Regia sed cineres Virgo miserata repostos,
Urnæ supremæ iussit honore coli.

Tu vero sequere & fratrem ne desere frater.
Par cum Bucero gloria parta tibi.

PAVLVS FAGIVS
Theologus.

PAVLVS FAGIVS *Tabernis Rhenanis* natus in Palatinatu anno 1504. prima ſtudiorū fundamenta Heidelbergę poſuit, deinde cum ſanctæ linguæ ſtudio arderet incredibili, ſub Capnione Doctore (cui poſtea ſucceſſit) Argentinæ ad miraculum vſque peritiſſimus eius euaſit, ipſis Iudæis teſtibus. Iſnæ primum moderator ſcholæ, deinde Paſtor factus eſt Eccleſiæ. Vſus autem patrono incomparabili Petro Buflero eius vrbis primario Senatore, in ſancta linguâ exornandâ, vnà cum Elia Leuita Iudæo Veneto doctiſſimo, Argentinam demum vocatur: prius tamen vrbe Conſtantia per biennium reformata, Argentinę demum munus Paſtoris ſimul & Doctoris egregiè ſuſtinuit anno 1544. Tandem periculoſiſſima Germaniæ tempeſtate, Cæſare Victore, in Angliam abreptus cum Bucero collega & Synaſpide,

ſpide, Cantabrigiâ vix ſalutatâ (heu) mortuus eſt anno 1550. pridie Idib. Nouembr. annum vitæ agens 45. non abſque ſuſpicione veneni. Eandem anno quinto poſt cũ Bucero Martyrij palmam, Marianis temporibus exhumatus ac crematus tulit. Simul poſtea cum eodem, ſub Eliſabethâ Regina ipſius memoria in integrũ reſtitutâ, anno 1560. Is edi curauit libros aliquot partim Hebraicos, partim etiam à ſe conuerſos, adiutus opera Venetiis accerſiti Heliæ Leuitæ Iudęi, vt ipſe teſtatur in præfatione ſuper Thisbiten Heliæ à ſe tranſlatum, qui liber ab authore Thisbi vocatus eſt à numero vocum 712. quæ in hoc opere explicantur. Præter hunc edidit etiam ſententias verè elegantes, pias, mireq; cum ad linguam diſcendam, tùm ad animum pietate excolendum vtiles, veterum ſapientum Hebræorum, quas Capitula aut Apophthegmata patrum nominant, in latinum à ſe verſas ſcholiisque illuſtratas, impreſſas Iſne latinè & hebraicè. Itẽ ſententiãs morales ordine Alphabeti Ben Syræ, vetuſtiſſimi authoris Hebręi, qui à Iudæis nepos Hieremiæ Prophetæ fuiſſe creditur, hebraicè & latinè eodem interprete, cum ſuccincto commentario. accedit

dit Tobias Hebræus, vt is adhuc hodie apud Hebræos inuenitur (ex vrbe Constantinopolitana recens transmissus, ita vt illic olim excusus erat) cum translatione Fagij, qui etiam puncta editionibus in gratiam rudiorum subiecit. Precationes Hebraicæ, quibus in solennioribus festis Iudæi, cum mensę accumbunt, adhuc hodie vtuntur, & quo modo, ordine & ritu eas dicāt: ex quo videre licet vestigia quædam ritus veteris populi, quem & Christus in cœna sua, vt eam Euangelistæ, præsertim, Lucas describunt, in quibusdam obseruauit. Paruus item tractatulus ex libro fidei, Iudęi cuiusdam ad Christianismum conuersi ante annos 200. in quo obiter ostendit causas aliquot, propter quas multi Iudęi, etiamsi veritatem agnoscant, ad fidem nostram accedere verentur, impressæ cum translatione Fagij. Expositio dictionum Hebraicarum literalis, & simplex in quatuor capita Geneseos, pro studiosis linguę Hebraicę circa finem adiicitur paraphrasis Chaldaica Onkeli, quam Targum vocant, in eadem capita, cum versione latina. Liber fidei seu veritatis, quem doctus quidam Israëlites, ante multos annos edidit, ad comprobandum fidem Chri-

ſtianorum perfectā eſſe & niti ſuper fundamentum ſacræ veteris ſcripturæ; hebraice & latine eodem interprete prima quatuor capita Geneſeos Hebraice cum verſione Germanica è regione, Hebraicis tamen characteribus exarata, eaq; iuxta vſitatam Iudæorum interpretationem ad verbum tranſlatę, vna cum ſuccinctis in fine adiectis ſcholiis, & ratione legendi Hebræogermanica. Compendiaria Iſagoge in linguam Hebræam. Commentarios Rabi Dauid Kimhi in priores aliquot Pſalmos Hebraicè & Latinè ex ſua verſione edidit. Eliæ Leuitæ præfationē Hebraicam in Lexicon eius Chaldaicum, quod etiam imprimēdum ipſe curauit. Idem Thargum, hoc eſt, paraphraſin Onkeli Chaldaicā in quinq; libros Moyſis ex Chaldaico in Latinum fideliſſime tranſtulit, & in ſingula fere capita breues doctaſque annotationes adiecit. Scripſit etiam collationem præcipuarum quæ in vſu ſunt tranſlationum in Geneſin. Elegans eſt tum aliorum, tum epigramma hoc, quo illi parentatus eſt,

GVILHELMVS DAIVS.

Bucero primas dedimus, tibi Paule ſecundas,
Et damus, Hebræa gloria prima Scholæ.

Hoc

Hoc vno inferior Bucero Paule fuisti,
Quod prior extremum cernis adesse diem.
Verùm illo maior Bucero Paule fuisti,
Quod prior æterno iussus adesse DEO.
In reliquo similem duxisti tempore vitam,
Ambo salutiferi buccina fida DEI.
Ambo stelliferi sparsistis semina regni:
Semina prouentu non caritura suo.
Unde vtrunque DEVS magno dignatus honore,
Vtrunque ad superi transtulit astra poli.
Et ne vestra queant communia fata putari,
Qualia sunt quæ nos, vulgus inane, ferunt.
Mors postquam è vita, solitâ vos lege tulisset,
Restituit sacris ossa cremanda focis,
Non vt confessi tantùm, sed vt vltima passi,
Scandatis celsi sydera summa poli.
Felices animæ, superas licet iistis ad oras,
A vobis vestrum nomen abire nequit.
Eximia semper viuetis laude perennes:
Quam canet Aoniis nostra Thalia modis.

GVILIELMVS VVICHANVS.

Dulcibus vt Christi Fagius requiescat in vlnis,
Sustulit è terris in sua tecta DEVS.
Papa quod, vt sanctus superas migrauit ad oras,
In terris tumulo non dedit esse locum.
Flammea sed primam sequitur mors altera mortem.
Quodque erat in terris, id datur omne rogis.
Morte sed ex gemina duplex en vita resurgit.
Altera dat terris, altera adesse DEO.
Mens agit in summis, licet vstus corpore, cœlis,
Viuere nobiscum viuida fama facit.
Esse quid hoc dicam? certe est mirabile dictu:
Interimunt vnum, non duo fata, virum.
Aspera nonnullis vitam mors abstulit vna:
Nil Fagio mortis spicula bina nocent.
Sic sanctis Dominus mediis dat viuere flammis,
Sic sancta iustus viuet adusque fide.

IOAN-

IOANNES LAVTER-BACHIVS.

Vt genus humanum pauit glans fagina quondam
Quam prius è variis mensa grauata cibis
Fagius interpres sacrorum candidus, orbis
Conditor Hebræo cui dedit ore loqui.
Pro meritis operum peragrans Sionia Tempe,
Sic auditori sacra fruenda dedit.
Haud operæ parcens plantauit sacra docendo;
Haud æri, linguam fouit, Apella, tuam.
At quæ pro tanto cumulauit dona labore,
Dum sibi non studuit sed Pietatis opi?
Ni miserans hominis sortem, Buslere, fuisses,
Et coniux, rerum nil tenuisset inops.
Mille reliquistis solidos, pluresque benigni:
Fudit in Hebræos, quos dedit ære, libros.
Quod non incœptos absoluit cura labores,
Hunc rapuit nondum terra Britanna senem.
Quamque tuis fuerit studiis ingrata, sepulchro
Nudata in cineres ossa redacta monent.

Sunt ingrata pij mundo bona præstita: rectè
Præmia pro factis tristia sanctus habet.

IOANNES OECOLAMPADIUS Theol. Nasc. Winsbergæ in Francia, an. 1482. Ob. Argentinæ Vind. an. 1531. Kl. Decemb.
B.
Lampade si celebris tale Basilæa rependes.
Non urbs Helvetias clarior inter erit.

JOANNES OECOLAMPADIVS
Basilien. Ecclesiæ Pastor.

IOANNES OECOLAMPADIVS Germanus natione, patriā habuit VVinsbergam Franciæ oppidum, vbi lucis vsuram primū cepit Anno Christi 1482. Optimarum artium Baccalaureus, mox & Magister Heidelbergæ factus est; Iurisprudentiæ primò operam dedit Bononiæ in Italia: reuersus autem deinde in Germaniam, & Ioāne Capnione vsus Doctore in academiâ Tubingensi trium linguarum peritissimus euasit: vnde professione Theologus esse maluit, quam Iurisconsultus: Quare primò patriæ, deinde Basileæ, post Augustæ, Ecclesiastes factus est. Sacræ autē Theologiæ Doctor creatur anno 1516. Multum ille hinc inde variis iactatus casibus, primus tandem Euangelicæ doctrinæ auctor, & summi Templi verus Episcopus, Basileæ constitutus, vt doctrina sic vitæ sanctimonia colēdissimus fuit.

Tandem magno cum luctu totius vrbis & desiderio, peste grassante fidus gregis sui Pastor & Pater, anthrace correptus placide & pie in domino obdormiuit paucis post Zvvinglium diebus, Ætatis 49. anno Christi 1531. Kl. Decembribus. Scripsit multa, quæ in certas classes digesta subiiciemus:

EXEGETICA: in Genesin annotationes ex ore OEcolampadij in schola publice interpretantis excerptæ. Exegemata in librum Iob. In Esaiam commentariorum libri sex. In Ieremiam commentariorum libri duo. In Threnos Ieremiæ enarrationes cum præfatione Capnionis. In Threnos Ieremiæ homiliæ germanicæ, translatæ etiam in latinam linguam. In Ezechielem commentarius per Capnionem editus cum Epistola Grynæi. *De morte Oecolampadij & vita ipsius per Capnionem* descripta. Expositio primi capitis Prophetæ Ezechielis de officio magistratus & subditorum edita germanice, est autem multo copiosior quam latina, quæ cum integris commentariis habetur. In Danielem commentariorum libri duo. In Hoseam, Ioëlem, Amos, Abdiam, Ionam, & duo capita Micheæ annotationes.

tiones. In postremos tres Prophetas, Haggæum, Zachariam & Malachiam commentarius, idem germanice quoque editus est. Conciones in aliquot Psalmos ex ore concionantis excerptę & in latinum sermonem versæ. Conciones in totum Psalterium, Ezechielem, Danielem, Enarrationes in Euangelium Matthæi. Annotationes in Euangelium Ioannis. In Epistolam ad Romanos annotationes. Explanationes in Epistolam ad Hebræos, vt ex ore prælegentis excerptæ. Demegoriæ, id est, Conciones xx 1. in Epistolam Ioannis primam. Easdem in germanicam linguam conuertit & edidit Caspar Hedio.

DIDASCALICA. Quod non sit onerosa Christianis confessio. De ritu Paschali ad Capitonem. Ad sacrarum literarum lectionē exhortatio. Liber de genuino sensu verborum domini, hoc est corpus meum, ex vetustissimis doctoribus, idem germanice editus. de discrimine verbi interni & externi. de dignitate Eucharistię sermones duo, quorum prior habitus est in die sancti Thomæ lecto Euangelio Ioannis 21. Secundus in vigilia Natalis. de nō habendo pauperum delectu, sermo in Epistolarum volumine excu-

sus. De gaudio resurrectionis sermo, in quo de mysterio tridui contra Sophistas. Sermo in verba Thomæ. Dominus meus & DEVS meus, in quo de vera paupertate tractatur. Sermo de Eucharistia, quem iuuenis scripsit. Sermo de passione domini. Sermo de venerando & laudando DEO in Maria. Sermo de intercessione Diuorũ cõtra Fabrum. Oratio ad Clerum Augustanum de Expostulatione Christi cũ Petro ablutionem pedum recusante. Liber Epistolarum; Concionesque populares in aliquot loca noui Testamenti, impressæ cum Enarrationibus in Matthæum. Concio ad puellos cum expositione Symboli apostolici. Oratio habita anno 1526. Oratio habita coram senatu Basiliensi, de reducenda excommunicatione apostolica. Oratio Synodica. Concio Bernæ in disputatione habita. Cõcio de cantico Simeonis. Conciones in Euangelium Marci, in Epistolam ad Colossenses, item per totum annum. Libellus quod missa nõ sit sacrificium: item *quod imagines, quæ ad cultum prostant sint tollendæ è templis*, etsi quidam dubitant an hic sit Oecolampadij. Quomodo in ordinem redigendi sacrificuli, cõsilium. Catechismus siue institutio

ſtitutio puerorum in religione. Epiſtolarum Oecolampadij & Zvvinglij liber. Annotationes in varia Chryſoſtomi opuſcula ab ipſo in latinum verſa. Opuſcula Proſperi, Auguſt. & Ambr. contra liberum arbitrium ab Oecolampadio congeſta, & cum præfatione ipſius edita. Dragmata vel Enchiridion græcæ linguæ.

Apologetica. Repulſio Apologiæ ſacrificij Euchariſtię, quam Amb. Pelargus Dominic. ſenatui obtulit. De ſacrificio miſſæ contentio contra Auguſt. Marium. Elleborum pro Iacobo Latomo Theologo. Ad Bilibaldum Pirckheymerum de Euchariſtia reſponſio prior: ad eundem reſponſio poſterior: ad Theobaldum Billicanum Nordlingiacenſem concionatorē Epiſtola; quinam in verbis cœnæ alienum ſenſum inferant. ad Eccleſiaſtes Sueuos antiſyngramma, vbi reſpondet ad ſingulas Syngrammatis illorum ſententias de cœna domini. modeſta reſponſio ad M. Lutheri inſtitutionē de Euchariſtia, vnà cum reſponſione ad Syngramma Eccleſiaſtarū Sueuiæ germanice. Secunda reſponſio ad eundem germanicè. Tertia reſponſio ad eiuſdem confeſſionem de cœna Chriſti è germanica lingua in

latinam conuersa. Institutio de anabaptismo, magistratu, & iureiurando, contra Caroli N. articulos, germanicè. Responsio ad Balthasarum Hubmeyer Anabaptistam germanicè. Themata CXIIII. Basileæ disputata in auditorio Theologorum. Quid de Sacramento veteres senserint, Dialogus, cui insertæ sunt Epistolæ Philippi Melanchthonis & ipsius Oecolampadij. Acta Disputationis Badensis.

CONVERSA È GRÆCO. Textus libri Geneseos secundum LXX. interpretes. Diui Chrysostomi Homiliæ 66. in Genesin. Annotationes in acta Apostolorum. Pségmata in Epist. ad Corinthios I. Sermo de Eleemosyna, & alia quæ in quinto Tomo operum D. Chrysostomi Frobenianæ editionis continentur. Diui Cyrilli cum Hermia Dialogorum de Trinitate lib. 7. Eiusdem argumēta; quod Spiritus Sanctus sit DEVS. De adoratione & cultu in spiritu & veritate Dialogus. contra Iulianum Apostatam pro religione Christiana lib. 10. de recta fide in Christum libri 3. Sermo de eo quod DEVS factus sit homo. Defensio anathematismorum contra reprehensionem Theodoreti ad Euoptium. Gennadij Patri-

archæ

archæ Cõſtantinopolitani Epiſtola de Simonia. Gregorij Nazianzeni ſermo de modo randis diſputationibus. de laudibus Cypriani. de amandis pauperibus. de laudibus Machabæorum. Gregorij Neocęſarienſis Epiſcopi metaphraſis in Eccleſiaſten Salomonis. Item Canones. Gregorij Niſſeni Oratio de vita Moſis. Ioannis Damaſceni ſermo, quantum defunctis proſint viuentium bona opera. Nicephori Carthophylacis epiſtola de ligandi & ſoluendi poteſtate. Petri Archiepiſcopi Alexandrini canones pœnitentiales. Thalaſij Hecatontades quatuor. Theophylacti Epiſcopi Bulgariæ in quatuor Euangelia Enarrationes.

In Germanicam linguam conuertit libellum Baſilij contra vſurarios & de regula monachorum, & alia quædam. Huic parentatus grauiſſime ita cecinit,

THEODORVS BEZA.

Oecolampadius ſerena nuper
Lampas, ædeſacra DEI, *coruſcans,*
Qualis limpidiorue puriorue
Vix vllis micuit lucerna ſeclis,
En mortis iacet obrutus tenebris.

At

At vobis male sit, malæ tenebræ
Lucis munere quæ breui fruentes,
Eheu, nos miseros homunciones
Nocte sic premitis tenebricosâ.
Sed bene hoc cecidit, nigræ ô tenebræ,
Quod dum ipsam petitis, malæ, lucernam,
Laternam tamen obruistis vnâ:
Laterna vt lateat quidem hîc sepulta,
Ipsa sed magis emicet lucerna.

ANONYMI.

Cecropiis quod & ante Solon cordatus Athenis,
Et tibi bellipotens Sparta Lycurgus erat.
Diuinis: lubeat recte modo legibus vti:
Oecolampadius hoc Basilæa tibi est.

P. CANDIDVS.

Clara sacrâ Domini lampas fulgebat in ædè,
Oecolampadius tunc vbi præco fuit.

HIERONYMVS TREVTLERVS.

Multa dedi, docuiq; vagum dispersa per orbem,
Quæ pia posteritas, si qua futura, legat.

For-

Forsitan Hebræo dicar doctissimus ore:
Vt pereant lites, laus stet vt ista, sat est.

XXIX.

PETRUS MARTIR VERMILIUS, Theologus.
B.
Nasc. Florentiæ,
An.
ob. Tiguri,
An. 1562 pr. Id. IXBR.
Martyr eras vivuus, sed re non nomine tantum.
Testis id Hoſuctius Anglus & Iusonius.

PETRVS MARTYR Vermilius Theologus.

PETRVS MARTYR *Vermilius*, *Florentiæ* vrbe Italiæ nobili natus, & ab ipsa pene pueritia bonarum literarum ac in primis religionis studio inflammatus, primum se Sancti Augustini Canonicorum ordini addixit in Fœsulano Cœnobio. postea Patauij totius Philosophiæ, & linguę Græcæ, mox Bononiæ etiam Hebraeæ linguæ exactam adeptus fuit notitiam: adeò vt sacris concionibus habēdis omnium illius ordinis per totam Italiam princeps habitus fuerit. Æterni demum luminum datoris cœlesti irradiatus luce, cum *Ioanne Valdesio Hispano* prima instaurandi Christianismi fundamenta Neapoli, ac deinde Lucæ iecit. Mox Romæ vstulandus ingratæ patriæ valedicens, Tigurum primum, inde Basileam, post Argentinam procurāte *Martino Bucero*

cero vocatur. Quin & cũ eodem in Angliam ab *Edouardo sexto Rege* euocatus *Oxonium* ad profitendum sacras literas: Marianis tamen mox secutis temporibus, iterũ cessit ab Anglia, Argentinamque in pristinum locum restitutus est. Denique senectæ suæ portum optatum sortitus Tigurum, sacras ibi literas per quinquennium maxima cum omnium attentione & admiratione interpretatus est, & tandem præclaros laborum suorum testes post se reliquens libros prope innumeros, obiit placide anno 1562. Ætatis 63. pr. Id. 1x BR. Scripta vero ab ipso, edita hæc sunt: Catechismus siue Symboli explicatio Italice: Commentarij doctissimi in Epistolam priorum D. Pauli ad Corinthios. Commentarij in librum Iudicum. In Epistolam D. Pauli ad Romanos Commentarij. Defensio doctrinæ veteris & apostolicę, de Sacrosancto Eucharistiæ sacramento, aduersus Stephani Gardineri librum, quem ille primùm sub commentitio nomine Antonij Cõstantij, deinde proprio suo ipsius nomine apposito euulgauit, opus longe accuratissimum, in quo quicquid de Eucharistia in sacris literis, Patrum Conciliorumq; monumentis proditum est,

est, accurate & copiose tractatur. Disputatio de Eucharistiæ sacramento habita in celeberrima vniuersitate Oxonienſi, de eadem, retractatio ibidem habita, hi duo libri editi sunt vna cum defensione doctrinæ de Eucharistia. Defensio ad Richardi Smythæi Angli, olim Theologiæ professoris Oxonienſis. Duos libellos de cœlibatu sacerdotum, & votis Monasticis. Porrò post obitum eius sequentes libri editi sunt. Commentarij in duos libros Samuelis. Commentarij in primum librum Melachim, & posterioris libri vndecim capita priora. Commentaria in primum librum Mosis. Commentarij in primum, & secundum, & tertij libri Ethicorum Nicomachicorum Aristotelis initium. Precum ex Psalmis libellus Epitome defensionis aduersus Stephanū Gardinerum. Confessio de cœna domini exhibita Senatui Argentoratensi. Sententia de præsentia corporis Christi in Eucharistia, proposita in colloquio Poissiaco. Epistola de causa Eucharistiæ, ad virum quendam magni nominis, hæc simul cum oratione de vita Martyris impressa, sunt. Eiusdem loci cōmunes ex variis ipsius autoris scriptis in vnum librum collecti, & in qua-

tuor classes distributi: Accesserunt huic editioni ab ipso authore P. Martyre scripti, nec antea publicati Loci de libero arbitrio, Prouidentia DEI, Prædestinatione & causa peccati. Ad hæc Orationes siue Conciones, nec non Quæstiones aliquot & Responsa: Epistolæ. item partim Theologicæ, quibus varij loci explicantur, partim familiares, cum præfatione D. Rodolphi Gualtheri Tigurini, de vsu & vtilitate locorum communium, & de formandis Concionibus: Indice item rerum & verborum copiosissimo. Præterea commentarij Martyris in Exodum, in Prophetas aliquot minores. Epistolæ item & Orationes aliaque nonnulla eius manuscripta seruantur à *Iulio Terentiano*. De Martyre hoc ita cecinit,

THEOD. BEZA.

Tuscia te pepulit, Germania & Anglia fouit,
Martyr, quem extinctũ, nunc tegit Heluetia.
Dicere quæ si vera volent, & nomine dicent,
Hic fidus Christi (credite) Martyr erit.
Vtq; ista taceant, satis hæc tua scripta loquuntur,
Plus satis hoc Italis exprobrat exilium.

IOAN-

IOANNES SCHESLERVS.

Petri nomen habet, firmo quia robore Christu M
E docuit, stabilis qui solet esse Petr A
Testis erat viuus, sed nūc monumēta loquuntu R
Relligio vera quid pietatis habe T
Urna viri cineres habet hæc: colit ætheris ax T
Spiritus, illustris viuit in orbe labo R.

Prosopopœia librorum P. Martyris.

Si præsens animi latentis index
Est Oratio, sicut eruditus
Rerum nos docuit magister vsus:
Si morum documenta sunt libelli,
Nostro nil melius probatiusve.
Dum vixit potuit parente fingi
Nil disertius, eruditiusve:
Nobis nam genitis parente tanto
(Verum dicere siquidem licebit.)
Nil sincerius est, probatiusque,
Nil politius, elegantiusque.
I nunc liuor edax, tuumque rode

Et

Et Cor & digitos, & omne quicquid
Infelix rabies vorare suadet,
Mirum ni tibi plaudis & triumphas,
Inuictus quia miles iste Christi
Nunc victus iacet, & iacet sepultus.
Imponis tibi turpiter Sceleste:
Saltem reddidit id, quod ante fato
Se debere sciebat & sepulchro:
Et hoc sponte quidem volensque fecit.
Iam vitæ satur & satur laborum:
Sed quà parte sui perire nescit,
Immortale modò perennat æuum,
Latis Cœlicolum beatus oris.
Nec nos interea decus parentis,
Nec famam celebrare desinemus,
Dum connexa poli suos tenebunt
Cursus, in statione dum manebunt
Sol & Luna dieſque, noxq́, donec
Alto flumina se mari recondent:
Toto nos etiam legemur orbe:

HENRICUS BULINGERUS Helvetius Theologus
B.
Nasc. Bremogarti,
An. 1504.
Ob.
An. 1575. æt. Sipæ
Vixisti bene, fecisti bene dij bene faxint,
Et bene de factis nunc quoq; vita tibi est

HENRICVS BVLLINGERVS
Heluetius, Theologus.

HENRICVS BVLLINGERVS natus Bremogarti oppido Heluetiorū, anno 1504. primo Embricæ, deinde Coloniæ Agrippinæ artibus liberalibus informatus, Magisterijque titulo ibidem exornatus fuit. Postmodum ludo literario Capellæ prefectus, per integrum sexennium iuuentuti erudiendæ operam dedit, quod stadium vbi cum laude decurrisset, sacris deinde Concionibus in patriâ præfectus est. Tandem Tiguri Pastor & Antistes Ecclesiæ in Zvvinglij locum sufficitur, eamque annis quadraginta tribus singulari fide atq; industria administrat. Lucubrationibus deniq; propemodum infinitis, partim de religione Didacticis & Exegeticis, partim Polemicis & Dogmaticis passim in toto orbe Christiano nobilitatus, obiit senex Tiguri 17. Septēbr. anno Christi 1575. Scripsit autem varia latine &

germanice, quæ ab ipso autore, in certas classes digesta fuerunt, prout sequitur:

DIDACTICA.

TOMVS PRIMVS: *Catechesis pro adultioribus scripta de his potissimũ capitibus. De principiis religionis Christianæ, Scriptura sancta. De Deo viuo vero & æterno. De fœdere Dei & vero Dei cultu. De lege Dei & decalogo mandatorum Domini. De fide Christiana, & symbolo apostolico. De inuocatione Dei, & oratione Dominica, & de sacramentis Ecclesiæ Christi anno domini 1519. ad ludi literarij Tigurini magistros. Compendium Christianæ religionis decem libris comprehensum, quo continetur simplex & breuis summa fidei nostræ ex verbo Dei petita: in qua absq; omni contentione & conuitiis perspicue traditur quid omnibus ac singulis Christi fidelibus cognitu necessarium sit: quid ab illis sit credendum, faciendum, vitandum, patiendum, & quomodo beate hinc migrare possint: Ad Wilhelmum Landgrauium Hassiæ 1556. Liber hic ab authore Germanice primũ editus fuit, & in Latinam linguam translatus à Iosia Simlero. Extat quoque Gallice. Sermonum Decades quinque de potissimis Christianæ religionis capitibus, in tres Tomos digestæ, variis dictæ, & diuersis editæ temporibus. Sunt autem in Gallicam quoq; linguam conuersæ & impressæ. Item translatæ in Germanicam per Ioannem Hallerum Bernæ.*

TOMVS SECVNDVS, *Confessio & Expositio simplex orthodoxæ fidei, & dogmatum catholicorum synceræ religionis Christianæ, concorditer ab Ecclesiæ ministris qui sunt in Heluetia, Tiguri, Bernæ, Schaffusii, Sangalli, Curiæ Rhetorum & apud confœderatos Mulhusii, item & Biennæ. Quibus adiunxerunt se & Geneuensis Ecclesiæ ministri. Ab eodem authore Germanice edita. Extat quoque Gallice. Ecclesias Euangelicas neque hæreticas neque schismaticas, sed plane orthodo-*

xas & catholicas esse Iesu Christi ecclesias, apodixis, ad illustrissimum principem D. Georgium Comitem Wirtenbergensem & Montisbelgardi, &c. Editus quoque est Germanice liber hic ab authore. Antithesis & compendium Euangelicæ & Papisticæ doctrinæ: Vnde nullo negotio quiuis intelliget, quantum inter se hodie partes distent, & quid partium quælibet vel probet vel improbet. Eandem Germanice edidit author. Antiqua fides & religio quod à mundi initio durauerit. Latinitate donatus liber à Diethelmo Cellario. Instructio eorum qui ab inquisitoribus de fide examinantur, quid ad illorum quæstiones respondere debeant. Respondetur autem in hoc libello articulis quos Bauaricos vocant. Libellus editus germanice, & in Latinam linguam translatus à Simlero. De testamento seu fœdere Dei vnico & æterno, breuis expositio, fecit ipsemet author Germanicum. Vtriusque in Christo naturæ tam diuinæ quam humanæ, contra varias hæreses, pro confessione Christi catholica assertio orthodoxa. S. Vigilij martyris & Episcopi Tridentini libri 5. pij & elegantes quos ille ante mille annos, contra Eutychen, & alios hæreticos parum pie de naturarum Christi proprietate & personæ vnitate sentientes conscripsit: hos cum vita authoris, & argumentis singulis libris præfixis, vna cum marginalibus annotationibus illustrauit Henricus Bullingerus, ad Ioannem Trauersum Rhetum. Adiunctum est huic operi & euulgatum ab eodem opusculum eiusdem generis, cui titulus, Orthodoxa & erudita D. Ioachimi Vadiani, viri clarissimi epistola, qua hanc explicat quæstionem, An corpus Christi propter coniunctionē cum verbo inseparabilem, alienas à corpore sibi sumat conditiones? nostro seculo perquam vtilis & necessaria, scripta est à D. Vadiano ad Henricum Bullingerum. Institutio matrimonij Christiani. De sacri matrimonij institutione, quando, vbi, quomodo, & à quo institutum sit: quid sit, quomodo rite contrahatur, quæ sint eius causæ, fructus & decus: contra autem quam indecora scortatio & adulterium: de coniugis electione: de fide, amore, & officio coniugali: de recta liberorum educatione 1540.

Institutio ægrotantium, qua paucis & simpliciter cum ægrotantes tum qui ægrotos instituunt, docentur: & præparationis ad mortem doctrina continetur: per Diethelmum Cellarium latinitate donata. Prosopopœia expostulationis Dei Opt. Max. cum Heluetiis, quam plurima beneficia Dei benignitate eis exhibita commemorantur, ipsisq; ad resipiscendum inuitantur indicatis etiam rationibus, quæ ad verum Dei cultum, & amicitam concordiam eos perductura erunt.

TOMVS TERTIVS. *Festorum dierum Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi sermones ecclesiastici XXIIII. In his habet lector plenam fere & continuam Iesu Christi Domini nostri historiam. Incarnationis videlicet eius, Natiuitatis item, Circumcisionis, Reuelationis, Passionis & mortis, denique Resurrectionis ex mortuis & Ascensionis in cœlum. Missionisq; sancti Spiritus in Apostolos. Et quis inde ad nos fructus redeat. Quæ vicissim illi debeamus officia. Præmissa est his præfatio de sabbato & feriis Christianorum. Sermones duo de officio Magistratus & subditorum, item de iureiurando: ad amplissimum virum D. Georgium à Stetten Patricium Augustanum. De vera hominum peccantium pœnitentia, & amplissima Dei erga eos misericordia Homiliæ tres, in duo postrema Ionæ capita, &c. excusæ Germ. De conuersione hominis ad Deum conciones sex in octauum caput Actorum, de conuersione Eunuchi reginæ AEthiopum, ad generosum & nobilem virum D. Philippum mareschallum hæreditarium à Bappenheim. Conciones duæ in XVII. caput Matthæi, De Christi transfiguratione, & glorificatione fidelium in vita æterna, Item Iesum Christum esse verum Messiam. De vero auxilio & liberatione ex omnibus periculis, concio ex 14. capite Matthæi. De vera & constanti fide in omnibus periculis & tentationibus, concio ex decimoquinto capite Matthæi. De cœna Domini nostri Iesu Christi, eius institutione, & præparatione ad recte sumendum conciones 2. à Lud. Lauathero in Latinum sermonem conuersæ. De salute fidelium, quomodo scilicet ab origine salus hominibus per verbum Dei & sacra-*

menta

*menta annuntiata fuerit. De veris sacrificiis Christianorum, concio ex 13. cap. Epistolæ ad Hebræos. De extremo iudicio conciones duæ in 25. caput Matthæi. De summo gaudio, summoq; luctu extremæ diei, qua Christus ad iudicandum viuos & mortuos veniet & vocatis ad se fidelibus æternã felicitatem largietur, infideles verò repudiatos perpetuæ damnationi addicet, fidelis admonitio & consolatio, ad N.V. Georg. Stettenum. De fine seculi, & iudicio venturo D.N. Iesu Christi, deq; periculis nostri huius seculi corruptissimi grauissimis: & qua ratione fiant innoxia piis. Orationes duæ: quibus exponuntur verba Christi de fine seculi Matth. 25. & Danielis vaticinium de regno Papæ ac fine eius, cap. 7. deniq; Pauli verba 2. Tim. 3. de extremi seculi periculis, & scripturæ S. plenitudine & præstantia. Basileæ apud Oporinum. De Prophetæ officio & quomodo digne administrari possit, Oratio. Adhortatio ad ecclesiæ Christi ministros omnes, vt abiectis controuersiis, Christum solum ac veram in ipsum fidem & vitæ resipiscentiam concorditer & simpliciter prædicent: in latinam linguam translata à Iosia Simlero. De origine Machometanæ religionis, & Turcicis Imperatoribus, & eorum aduersus Christianos victoriis, libellus Matthiæ Erbij, ab illo inchoatus, à Bullingero recognitus & auctus atque editus Germanica lingua, ad generosum D. à Rapolstein. De persequutionibus quas ecclesia Christi patitur, & illarum causis & pœnis persecutorum, &c. Iosias Simlerus Latine reddidit: Ioannes Baptista Mullerus Gallice. * Homiliæ duæ consolatoriæ in Psalmum 130. & 133. germanice.*

TOMVS QVARTVS. *Præfatio in Biblia Latina noua. De operis eius instituto & ratione ad Christianum lectorem. De omnibus sacræ scripturæ libris, eorumq; præstantia & dignitate, expositio ad Christianum lectorem. Epitome temporum & rerum ab orbe condito, ad primum vsq; annum Iothan regis Iudæ. In qua præcipue attinguntur, quæ pertinent ad sacras literas illustrandas, & ad veram antiquamque religionem & eius certitudinẽ, progressum item & mutationem cognoscendam,*

dam, vna cum sex tabulis chronicis à temporibus Iotham vsque ad excidium vrbis Hierosolymorum, deductis, potissimum pertinentibus ad expositionem Danielis prophetæ. Daniel sapientissimus Dei propheta, qui à vetustis Polyhistor, id est multiscius est dictus, expositus homiliis 66. quibus non tam sensus prophetæ redditur, quam vsus & fructus prophetiæ ostenditur, adeoq; omnibus in ecclesia docentibus commonstratur, quo modo perspicue, iusto ordine, & eum vtilitate, populo Dei hic propheta prædicari possit: ad episcopos Angliæ accessit epitome temporum & rerum ab orbe condito ad excidium vsque vltimum vrbis Hierosolymorum.

TOMVS QVINTVS. *Isaias excellentissimus Dei propheta, cuius testimoniis Christus ipse Dominus & eius Apostoli creberrime vsi leguntur expositus 190. Homiliis, quibus non tam sensus prophetæ redditur, quam vsus & fructus eius in ecclesia Christi ostenditur: ad illustrissimum principem & Dom. D. Philippum seniorē Hassiæ Landgravium. Ieremias propheta expositus concionibus 160. Quibus perspicue & vere docetur, quod hodie multis comitiis & consultationibus inueniri nō potuit, quomodo videlicet bellis compositis, tranquillitas in orbe Christiano recuperari, & pax salusque publica conseruari possit: ad amplissimum virum D. Wolfgangum Waidnerum Wormatiensem. Threnorum seu Lamentationum Ieremiæ breuis explicatio, qua causæ ostenduntur interitus vrbium & regnorum, & remedia salutaria indicantur: ad Cl. V. D. Ioannem Steigerum amplissimum reipublicæ Bernensis quæstorem.*

TOMVS SEXTVS. *In sacrosanctum D.N. Iesu Christi Euangelium secundum Matthæum commentariorum libri 12. ad clarissimos viros Dominum Ioannem Habium & Diethelmum Rostium vrbis Tigurinæ consules. In Euangelium secundum Marcum, commentariorum libr. 6. In euangelium secundum Lucam. Commentariorum libr. 9. ad amplissimum virum D. Iammem Welserum clarissimæ vrbis Augustæ*

Vinde-

Vindelicorum consulem. In Euangelium secundum Ioannem commentariorum lib.10.ad amplissimum virum D.Ioan. Rodolphum Lauatherum Tigurinæ vrbis quæstorem. In Acta Apostolorũ commentariorum lib.6. Quibus exponitur quæ fuerit sanctæ Ecclesiæ infantia, quæ incrementa, quæ ecclesiæ iustæ facies, &c. ad clarissimum Senatum populumq; Francofordiensem ad Mœnum. Series & digestio temporum & rerum in actis Apostolorum descriptarum.

TOMVS SEPTIMVS. *In omnes Apostolicas S. Pauli Apostoli Epistolas 14. Commentarij. Item in Epistolas Apostolorum Canonicas 7. Commẽtarij. In Apocalypsim Iesu Christi, reuelatam quidem per Angelum Domini, visam verò & exceptam atque conscriptam à Ioanne Apostolo & Euangelista, Conciones 100. Versæ sunt in Germanicam linguam à Ludouico Lauathero: præterea Gallice, Anglice & Polonice extant.*

TOMVS OCTAVVS. *Perfectio Christianorum, Iesum Christum D.N. à Patre cœlesti datum esse mundo Saluatorem, in quo fideles veluti in compendium recollecta habeant omnia, quæ ad veram pietatem discendam, vitamq; vere beatam consequendam & retinendã pertinẽt, ita vt nihil sit opus ea aliunde colligere: ad Christianissimum, eundemq; potentissimum Francorum regem Henricum II. Demonstratio. De scripturæ sanctæ auctoritate, certitudine, firmitate, & absoluta perfectione, deq; Episcoporum, qui verbi Dei ministri sunt, institutione & functione, contra superstitionis tyrannidisq; Romanæ antistites: ad serenissimum Angliæ regem, Henricum VIII. libri duo. De gratia Dei iustificante, propter Christum, per solam fidem, absque operibus bonis, fide interim exuberante in opera bona, lib.4. ad Sereniss. Daniæ regem Christianum. De origine erroris lib.2. ab ipso auctore recogniti, & aliquot locis præclare aucti. Priore agitur de Dei vera inuocatione iusta & cultu vero, de deorum item falsorum religionibus, & simulachrorum cultu erroneo. Posteriore autem libro, De institutione sacræ cœnæ Domini, & de*

origine & progressu Missæ Papisticæ: contra varias superstitiones, pro religione vera, antiqua & orthodoxa: ad clarissimos viros D. Ambrosium Blaurerum, & D. Petrum Simlerum. De conciliis: Quomodo Apostoli Christi Domini in primitiua ecclesia suum illud cõcilium Hierosolymis celebrauerint, & quanto cum fructu quantaq; cũ pace. Quomodo item Romani pontifices in extrema mundi senecta à quingentis & amplius annis sua concilia celebrarint, & quanto cũ damno perturbationeq; fidelium, breuis ex historiis commemoratio, in duos distincta libros: ad Cl. V. D. Bernhardum à Chaam amplissimæ reipub. Tigurinæ Cos.

POLEMICA TOMVS NONVS. *Præfatio ad libros Simleri, de Aeterno Dei Filio, qua respondetur libello Anonymo (cuius tamẽ auctorem quidam Osium esse volunt) qui inscribitur, Iudicium de censura ministrorum Tigurinorum & Heidelbergen. de dogmate cõtra adorandam Trinitatem in Polonia nuper sparso, Ad Ioannis Fabri Vienensis episcopi libellum, De admirabili noua victoria, Responsio, in qua disseritur, an religionis causa victi sint Heluetij Euangelicæ professionis, Ad Ioannis Cochlei de Canonica scripturæ & catholicæ ecclesiæ auctoritate, libellum pro solida scripturæ authoritate, tum & absolutæ eius perfectione, veraq; catholicæ ecclesiæ dignitate, Responsio orthodoxa, Breuis ἀνασκολὴ, sive responsio secunda ad maledicam implicatamq; Cochlei de Scripturæ & ecclesiæ auctoritate Replicam, vnà cum expositione, De sancta Christi catholica ecclesia: ad illustrissimum Principem & Dominum D. Ottonem Henricum Palatinum Rheni, &c. De Anabaptistarum origine, progressu, variis sectis, deq; præcipuis eorum dogmatibus, & argumentis quibus sua probant, vna cum accurata singulorum confutatione lib. 6. in Latinam linguam translati à Iosia Simlero: ad Cl. V. D. Georgium Mullerum amplissimæ Reipub. Tigurinæ consulem.*

TOMVS DECIMVS. *Apologetica expositio, qua ostenditur, Tigurinæ ecclesiæ ministros, nullum sequi dogma hæreticum in cœna Domini: libellis quorundam acerbis opposita, & ad omnes sinceram veritatem,*

tatem, & sanctam pacem amantes, Christi fideles placide scripta. Confessio ministrorum ecclesiæ Tigurinæ, in qua exponitur eorum fides & doctrina veteri orthodoxæ ecclesiæ consentiens de præcipuis capitibus religionis nostræ, & præcipue de cœna Domini, ac respondetur conuitiis Lutheri, quæ effudit in sua Breui confessione. Germanice scriptus liber, & à Rodolpho Gualthero Latinitate donatus. Tractatio verborum Domini, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, ex 14. capite Ioannis: ad præclarissimum virum D. Nicolaum à Diesbach, Bernensem. Responsio, qua ostenditur sententiam de Cœlo & dextera Dei, priori libello ex sancta Scriptura & Patribus propositam, aduersaria D. Ioannis Brentij sententia, nondum esse euersam, sed adhuc firmam perstare: ad eundem Germanice & Latine. Fundamentum firmum, cui tuto fidelis quiuis inniti potest, &c. In hoc libro breuiter & simpliciter respondetur Brentij libro contra Petrum Martyrem & Henr. Bullingerum edito, De maiestate Domini nostri Iesu Christi ad dexteram Dei Patris. Ad eundem Germanice & Latine. Repetitio & dilucidior explicatio consensus veteris orthodoxæ catholicæq; Christi ecclesiæ, in doctrina Prophetica & Apostolica, de inconfusis proprietatibus naturarum Christi Domini, in vna indiuisaq; persona permanentibus, adeoque de veritate carnis Christi, ad dexteram Dei patris in cœlo sedentis, & non vbique præsentis. Ac altera parte huius libelli perstringitur vltimus ille Ioan. Brentij liber inscriptus Recognitio. Ad testamentum Ioan. Brentij nuper publicatum, Breuis, necessaria & modesta Responsio ministrorum ecclesiæ Tigurinæ, omnibus fidelibus ad iudicandum proposita. Bullæ Papisticæ ante biennium contra Serenissimam Franciæ, Angliæ & Hyberniæ Reginam, Elizabetham, & contra inclytum Angliæ regnum promulgatæ Refutatio, orthodoxæq; Reginæ & vniuersi regni Angliæ defensio. Ad Reuerendissimos Angliæ Episcopos, Eboracensem, Elyensem, Sarisberiensem. Londini liber excusus Latine, & in linguam Anglicam translatus.

Porro præter illa, quæ bis decem Tomis continẽtur, scripsit anno Domini 1530. aduersus Anabaptistas libros quatuor, & librum de Annuis redditibus, Germanica lingua, sed Leo Iudæ libros in Latinam linguam transtulit, & auxit, & pene nouum opus fecit. Verum auctor plenissime omnia exposuit in postremis libris 6. aduersus Anabaptistas. Edidit etiam librum, de Hebdomadibus Danielis, quem tractauit in Homiliis in Danielem. Scripsit etiam librum de Sacramentis, quem Ioannes à Lasco, cui legendum & iudicandum, auctor miserat, in Anglia edidit, hic postea ab auctore integer fere translatus est in Decades suas. Eiusdem responsio ad septem accusationis capita, quæ hodie maxima importunitate per calumnias, summaq; cum iniuria quidam inquieti, scriptis suis in capita coaceruauit, Ministrorum ecclesiæ Tigurinæ: Initio idiomate Germanico edita, iam verò Latine reddita, per Iosiam Simlerum, professorem sacrarum literarum in schola Tigurina. Eius vitam descripserunt Cl. V. D. Iosias Simlerus, & Ioannes Guilhelmus Stuckius.

THEODORVS BEZA.

Doctrina si interire, si Pietas mori,
Occidere si Candor potest,
Doctrina, Pietas, Candor hoc tumulo iacent,
HENRICE, tecum condita:
Mori sed absit illa posse dixerim,
Quæ viuere iubent mortuos.
Imò interire forsan illa, si queant,
Subireque tumuli specum.

Tu

Tu tu illa doctis, tu piis, tu candidis,
Et non mori certissimis,
Tenaci ab ipsa morte chartis asseris,
Ipso approbante numine
Fœdus beatum! mortuum illa te excitant,
Et tu mori illa non sinis.
At hunc, amici, cur fleamus mortuum,
Qui viuit aliis & sibi?

RODVLPHVS GVALTHERVS.

Cum Bullingeri Pietas hic conderet ossa:
Hoc sita sunt, dixit, viscera nostra loco.
Et tota in lachrymas effusa hæc addidit: Eheu
Nate vale, ah nulli nate secunde, vale.
Quid loquar? est toti Virtus tua cognita mundo,
At miserum prohibet dicere plura dolor.
Quod tamen optata sopitus pace quiescis:
Quod tua mens Cœli tecta beata colit:
Me recreat mœstam, at tu, Christe salutifer, ipse
Sume pedum, atq; tuas nunc rege Pastor oues.

Pelle lupos ſtabulis, hircos procul inde ſalaces
Eiice, & vnanimem protege Chriſte gregem.

IOAN. SERRANVS.

Moſis miniſtri voce maximam DEVS
Hæreditatem adiecerat
Suo Iſraeli: non eam Moſes tamen
Adit, ſed eminus videt.
Henrice, maius contigit quiddam tibi:
Cum Zvvinglio primus propè
Adinitia pugnaſti DEI imperio: aſt vbi
Athleta magnus Zvvinglius
Ceßit, quietem conſecutus: tu nouis
Henrice, viribus potens
Prodis: peremptis hoſtibus victoriam
Refers: trophæa ſplendida
Victoriæ victor ſtatuis: luſtris meant
Per plurimis curſus graues,
Quem victor inſtas, patriæ in dulci ſinu,
Felixque votorum ſenex
Compos tuorum. Tum DEVS dixit tibi:
Quieſce tandem, ô optime,

Quieſce

Quiesce tandem serue, iam satis tibi
Satis laborum est: percipe
Parta cœlo præmia: dixit DEVS
HENRICVS annorum satur
Concessit in cœlum: beatus & modò
Fruitur beatis sedibus.

IOAN. RVDOLPHVS BYGELIVS.

Henricus Bullingerus post fata quiescit
Contiguus Petri Martyris exuuiis.
Quid mirum? vnanimes quondam, nunc corpore iuncti
Æternum seruant nomen amicitiæ.
Heluetius quamuis erat alter, & Italus alter:
At vox de Christo consona vtrique fuit.
Excepit geminum tellus Tigurina cadauer,
Fortunati ambo, quo docuere loco.
Papa quid insanis? superis in sedibus vnà
Gaudia cum Christo mens vtriusque capit.
Succedant alij quibus est Ecclesiæ curæ;
Qui legis hæc supplex vsque precare DEVM.

RO-

RODVLPHVS LEE-MANNVS.

Bullingerus in hac teneor celeberrimus vrna,
De quo si quid aues nosse viator, ades.
Ter quinque à nato numerabis sæcula Christo,
Jungere queîs totidem iungere lustra velis.
Mortis habes annum: fuerant sed meta senectæ
Bis septem menses tot quoque lustra meæ.
Aergouium genuit: Tigurina Ecclesia summum
Pastorem vndenas fouit olympiadas.
Si quos pertulerim quæras pro gente labores;
Nullum illi hospes habet innumeri numerum.

Musculus hic rabido securus ab unguc, Leonæ
Tarpeiæ tremor & terro acerbus erat.

VVOLFGANGVS MVSCVLVS, *Theologus.*

WOLFGANGVS MVSCVLVS Duſæ oppido Lotharingiæ, Alſatiæ finitimo natus, anno 1497. in prima adoleſcentia profeſſus eſt vitam monaſticā, religionis nimirū & honeſti ocij ergô: poſtea verò veritate agnitâ Pauli exemplum ſecutus, victum aliquādiu Textor opere manuario quæſiuit: demum miniſter Eccleſiæ Argentinenſis à magno illo DEI ſeruo Mart. Bucero pietate doctrinaq; ſuâ approbata conſtituitur. Deinde Auguſtæ Vindelicorum viro optimo & doctiſſimo Vrbano Regio ſucceſſit: in qua ciuitate ipſe Euangelicam doctrinā ſyncere profeſſus, tùm concionādo, tum ſacras literas laborioſiſſimis commentariis illuſtrādo, tùm Græcorum ſcripta Latine interpretādo, multis deniq; obitis pro tuendâ verâ religione in Comitiis Imperij legationibus, nomen in orbe Chriſtiano adeptus eſt clariſſimum.

rissimum. Tandem bello Germanico exul Bernę sacrarum literarum Doctoris munere functus in scholâ, per totos annos quatuordecim obiit placida morte 3. Cal. Septemb. anno Christi 1563. ætatis 66. Ioānis Chrysostomi in D. Pauli Epistolas commentarios latinitate donauit. Sermones duos contra missam fecit, VVitebergæ habitos. Scripsit commētaria in Euangelistam Matthæū tribus Tomis digesta. Anticochlæum primū, aduersus libellum Ioannis Cochlæi, pro sacerdotij ac sacrificij nouæ legis defensione. Proscerus, liceatne homini Christiano Euangelicæ doctrinę gnaro papisticis superstitionib. ac falsis cultibus externa societate communicare, Dialogos 4. sub nomine Eutychij Myonis editos. Commentaria in totum Euangelium Ioannis. in Nazianzeno ab aliis non versa ipse transtulit. Enarrationes in totum Psalterium Dauidis. Idem ex Greçâ linguâ in Latinam varia diuersorum authorū scripta transtulit, velut ex Basilio librum Epistolarū Basilij & Nazianzeni, ac aliquot aliorum patrū Ethica & Ascetica Basilij. De vita solitaria Regulas quas vocāt contractiores. Homelias aliquot, vtpote, de opificio hominis duas, De sancta Trinitate,

nitate, De Spiritu sancto. Cõtra Sabellianos, Arrium & Anomæos, de martyre Mamante, de Barlaam martyre, de Pœnitentia, de Humilitate. Nõ esse adhærendũ rebus secularibus; de Institutione venientium ad Baptisma. Quomodo baptizetur in Euangelio, sermo in 13. capita diuisus, de Paradiso. Scholia Basilij in totum Psalterium. Ex Cyrillo Epistolas numero 39. Homelias aliquot; de Incarnatione verbi DEI, Exegesin dictam in die Ioannis Baptistæ. Contra Ioannẽ Antiochenum Episcopum. Contra Nestorium. Contra Apollinarium. Cõtra Nestorium aliam, Pauli Emserij de incarnatione Christi. Eiusdem alterã homeliam Cyrilli de incarnatione Domini. Apologiam ad Theodosium interpretem. Declarationem 12. Anathematismorum, quos posuit Ephesinum Conciliũ Epistolas Synodales 32. Dogmata Nestorij quæ Cyrillus impugnauit. Ex Athanasio Synopsin sacræ Scripturæ noui ac veteris instrumenti. Quæstiones Veteris ac noui Testamenti numero 140. Libellum de finibus. Synopsin Theodori Episcopi Tyri. Ex Historiis Ecclesiasticis. Eusebij decem libros de rebus Ecclesiasticis. Quinque libros eiusdem de vita Constantini.

tini. Socratis Eccleſiaſtici Hiſtoriographi, libr.9. Theodori lectoris lib.2. Euagrij Monachi libr.6. Ex Hiſtoriis prophanis quinq; libris Polybij qui iam antea extant duodecim Epitomas adiecit. Præterea ſcripſit commẽtaria in Geneſin. Commentarios in Epiſtolas Pauli ad Romanos & Corinthios. Ad Philippenſ.ad Colonicenſ.ad Theſſalonicenſes 2. & 1.ad Timotheum. Explicationem in decalogum Præceptorum DE I. Locos communes Theologicos. Germanice verò ſcripſit,de Concilio Tridentino dialogos tres.De diuiſione Decalogi. Quatenus iniuria ſit ferendo homini Chriſtiano. Contra impurum Catechiſmum.De iuramento contra errorem Anabaptiſtarum dialogum. Contra miſſam Papiſticam, aliquot Conciones.Dialogos ſex de bello in Germania anno 1546.exorto.Adiiciam elegantiæ ergô Hendecaſyllabos quibus Theodorus Benzius eum cohoneſtauit: ſunt autem hi:

Magnum dicere muſculum puſillum,
Cum ſit auribus inſolens Latinis
Magnum hunc dicere Muſculum quod auſim:
Quamuis puluere conditum puſillo,

Si

Si cauſam rogitas viator: audi.
Haud quaquam fuit iſte mus puſillus,
(Ipſum ſi libeat vocare murem.)
Illarum ex numero famelicarum,
Quæ felis rapidos verentur vngues:
Sed qui ipſos potius catos rapaces,
Quantumuis ſolitos, potentiorum
Ipſis cum dominis domos vorare,
Viuos perculit & ſuo pauentes
Adhuc nomine territat ſepultus.
Immò quem tremuit quoque illa rupis
Tarpeiæ arcibus incubans Leæna,
Orbis magnanimos vorans Monarchas.
Magnum & dicere Muſculum pigebit,
Quamuis puluere conditum puſillo?

Elegantiſſimum eſt & Geſneri in eundem quod ſequitur Carmen.

Muſculus vt vaſtis immenſa per æquora cetis
Prænando piſcis dux ſolet eſſe via.
Ne breuia aut ſyrtes, ſcopuliue pericula vitæ
Inſidiaue vllæ dira creare queant.

Muſcu-

Muſcule ſic Bolgange viam mortalibus ægris
Felicem ad cœlum (nomen vt inſinuat:)
Monſtrabas viuendo pie, ſancteque docendo,
Nunc terra hæc corpus, ſydera habẽt animam.

Innumeris docuit scriptis studioq; fideli,
Quæ sorti Hebraïs gratia in eloquijs.

CONRADVS PELLICANVS
Theologus.

CONRADVS PELLICANVS Rubeaquenſis, Alſatus, is vbi prima ſtudiorum fundamenta iecisſet, pręclaramq; operam in artibus & in linguis tum Heidelbergæ, tū Baſileæ nauaſſet (quo quidem animi ſui voto vt potiretur, aliquandiu Baſileæ Franciſcanorum ordinem profeſſus fuerat, mox tamen eundem abdicauit, & Euangelicam doctrinam amplexus eſt) linguæ Hebrææ ſolidam cognitionem adeptus fuit. Quare primùm Baſileæ ſacrarum literarum, deinde Tiguri multis annis earundem profeſſor claruit, perhonorifice ab omnibus habitus. Scripſit in vniuerſum corpus ſacrarum literarum, vnde nominis ſui celebrationem longe lateque propagauit. Vir ſingulari eruditione, maxima vitæ integritate, ſummaque modeſtia prædítus, in qua vſq; ad extremam ſenectā perſeuerauit nemini grauis,

omnibus gratus. Migrauit tandem ex hac vita felicior Tiguri anno 1555. Scripsit Grammaticam Hebraicam. Congessit Dictionarium Hebraicū, adiiciens Methodicam proficiendi in ea lingua rationem, quam postea Grœnningerus Argētorati vnâ cum Margarita Philosophica. Scripsit argumēta librorum D. Augustini. Hebraicas voces D. Hieronymi operibus, vt Capnion Græcas adiecit. Psalterium Hebraicum, cum interpretatione Latina, quæ Græcis eorumque versioni opponuntur, posuit in editione operum D. Hieronymi prima ac secūda, cum indice in editionem secundam. In opera Cypriani, Tertulliani aliorumque permultorum Theologorum libros elenchos condidit. In omnes veteris Testamenti libros cōmentaria, in partitiones quinque distincta. Indicem Bibliorum. Scripsit collectaneorū in euangelia Matthæi, Ioannis, Marci & Lucæ duos libros. Annotationes in omnes Paulinas & Apostolorum aliorum epistolas. In Apocalypsin scripsit Germanicam interpretationem, quæ Erasmi Roterodami Paraphrasib. germanicis coronidis vice accessit. Psalterium ad Hebraicā veritatem trāstulit, & breuibus scholiis illustrauit.

Transtu-

Transtulit in Latinum sermonem Syriacas Onkeli, Ionatæ & aliorum Iudæorum interpretationes omnes, pręterea quæ iam prius translata erāt, in opere Franciſci Cardinalis Caietani, & in opere Auguſtini Iuſtiniani in Pſalmos olim excuſo. Transtulit præterea ex Hebraicis Rabbinorū plurium commentaria ad literam, nempe Rabi Dauidis Kimhi in Geneſin, Ioſue, Iudicum, Samuelis, Regum, Iſaiam, Ieremiam, Ezechielem, 12. prophetas minores, & totum Pſalteriū. item totum Rabi Abraham AbenEzra in 14. libros Canonicos, iuxta editionem ſecundā Danielis Bombergi. Deniq; Rabi Salomonē, Iarchi Gallum, ſimiliter in omnes Canonicos. Similiter Rabi Leui ben Gerſon in parabolas Salomonis & Danielē, plurimaq; in Ioſue, Iudicum & Samuelis, &c. Item in Rabi Moſen Gerundenſem in librum Iob. Rabi Abraham Prizol in Iob vſq; ad vigeſimum caput. Commentarium quoq; in parabolas Salomonis appellatum Kabunki. Rabi Simeonem in verba dierum, inſertum Rabi Salomoni Gallo, in editione prima Bombergi. Transtulit ordinariam gloſſam in totum Pentateuchum dictum Breſith Rabba, multæ authoritatis apud Iudæos.

Fasciculum myrrhæ in totū Mosen. Rabi Abraham Hispani. Item Capitula vel Pirke Rabi Eliezer filij Hircani Magni, continentia Theologiam Iudaicam vetustam, authorem à Rabinis iunioribus crebro allegatum. Gesta regum Israel tempore templi secundi, vsq; ad vltimam Iudęorum captiuitatem sub Adriano Principe. Thalmudica quoq; reddidit Latinis, prologum & introductionem Rabi Mosis bar Maymon, quem Rambam Iudæi vocant. Eiusdem quoq; Thalmudicos libros, nempe inscriptos de doctrina Capitulorum 10. scientiarū traditio cap. 7. Doctrina legis cap. 7. De Idololatria cap. 12. de Sanhedrin cap. 26. De regibus & bellis capitulorū 12. & alia quædam. Ex Thalmud Babylonico transtulit Massechet berochet cum Gamara in prima duo capita. Item Massechet Schabbas Babylonicum cap. 24. Massechet quoq; Sanhedrion cum Gamara in duo prima capita. Ex Thalmud Hierosolymitano caput memorabile. Helec ex Babylonico Thalmud. Et Massechet Suta, prologum quoq; Rambam in 14. libros suos Thalmudicos. Grammaticalia vertit Latinis Michol Rabi Dauidis Kimhi. Et Rabi Mosis punctatoris. Massorat integra.

tegra R. Eliæ Leuitę Germani & plæraq; alia. Hūc autem laborem pius ſenex non ideo ſuſcepit, vt Chriſtianos ſtudioſos ad dogmata Iudaica peruerſitatis perquirenda alliceret, quibus Thalmudici iſti Libri, quos Cabaliſticos vocant, & traditione patrū refertiſſimi ſunt, & poſt Chriſti Domini & Apoſtolorum tempora inſpirata à ſpiritu erroris, peruerſiſſimis Rabinis & pertinaciſſimis hoſtibus Chriſti Domini noſtri, ſed vt appareat quanta cęcitas contigerit in Iſrael poſt negatam veritatem coram Pilato. Vt tandem vel ſerô nimis, confundantur infelices, & reuertantur ad Canonicos vtriuſq; Teſtamēti libros, & vt commendentur iſti viri docti, qui nunc & olim iudicarunt ſanctū & vtile, vt nihil tale extaret alicubi etiam apud Iudæos, thalmudicorum errorum & fabularum mōſtra, quibus à Canonicis & ſacris abſtrahuntur, & in miſeria miſeranda retinētur. De quibus forſan proprio volumine quiſquā aliquando quid factu opus, conſcribet. Multis annis poſt eius obitum denuo excuſi ſunt eius commentarij in libros veteris Teſtamenti, nempe in quinq; libros Moyſis; his acceſſit narratio de ortu, vita, & obitu eiuſdem opera Ludouici Lauateri

teri Tigurini. Eiusdem cõmentarij in libros Historicos puta Iosue, Iudicum, Ruth, Samuelis, Esdræ, Nehemiæ & Esther. Commentarij in Iob, Psalteriũ, Prouerbia, Ecclesiasten, & Cantica Salomonis. In Prophetas maiores & minores, vt vulgo vocant commentarij. Commentarij in libros Apocryphos, vel potius Ecclesiasticos, puta Tobiam, Iudith, Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, Esdræ duos, Machabæorũ duos, & in fragmenta Danielis & Esther. Commentarij in quatuor Euangelistas, item in Acta Apostolorũ, & hæc quidem omnia Tiguri per Christoph. Froschouerũ. Eum P. candidus ornauit elogio tali:

Qui superum quondam cœlesti ex æthere linguâ
Affatus sanctos est pater ipse Patres.
Exactum callens hanc Pellicanus ad vnguem,
Cumq; DEO potuit cum superisq; loqui.
Macte vir ingenio te sacri interprete libri
Sunt facti illustres iam magis atq; magis.

Qui virtute lavas alios & flumine verbi,
Ipse equidem toto pectore Candor eris.

LVDOVICVS LAVATERVS
Tigurinus, Theologus.

TIGVRVM est Lauatero patria, est ea ciuitas in Heluetiis famosissima. Fuit autem Lauaterus in patriâ Ecclesiæ & Scholæ minister fidelis, quam & voce viua & manu docta erudiuit: protulit in publicum multas tum suas, tum aliorum lucubrationes præsertim in Theologia, inter quas controuersiæ Sacramentarię Historia præcipua est. Tandem obiit Tiguri anno 1586. Is Henrici Bullingeri soceri sui sermones duos de cœna Domini transtulit in Latinam linguam. Procopij commentaria Græca in libros Regum 1.2. & 4. item in primum Paralipomenõ Latinitati donauit, cum reliquis Procopij commentariis excusa. Scripsit de ritibus & institutis Ecclesiæ Tigurinæ libellũ. Historiam de origine & progressu controuersiæ sacramentariæ de cœna Domini ab anno 1524. vsque ad annum 1563. deductam Latine: quæ hi-

ſtoria locupletior prodiit Germanice Io. Stumpfio interprete. De ſpectris, Lemuribus, & magnis atque inſolitis fragoribus, variiſque præſagitionibus quæ plærunq; obitum hominum magnas clades, mutationesq; imperiorū præcedunt liber Germanicus & Latinus: idem liber conuerſus eſt in linguam quoque Gallicam & Italicam. Cometarum Catalogum; de Peſtilentia conciones duas, in quibus oſtenditur vnde ſit peſtis & quare immittatur, item quo pacto ſe gerere debeant, qui illo morbo corripiuntur, Germanice acceſſit Cypriani ſermo de Mortalitate vel peſte in linguam Germanicam ab eodem conuerſus. Scripſit de Caritate annonæ & fame conciones, quæ & Germanice editæ ſunt, & in Latinam linguam conuerſę, & commentariis in Ezechielem inſertæ; ſed ordine aliquantum mutato. ommentarios in prouerbia Salomonis. Commentarios in librum Ioſue. Homelias ſiue commentarios in Ezechielem Prophetam. In primum & ſecundum librum Paralipomenon commentaria additis tabulis genealogiarū. Henrici Bullingeri Homelias in Apocalypſin in linguā Germanicam conuertit. Item tractatum Bullingeri ſu-

per

per hæc verba 14. capite Ioan. in domo patris mei mansiones multæ sunt, &c. Scripsit adhæc concionem de fide Iobi Germanice. aliam de patientia ex 5. cap. Epistolæ Iacobi. Vitam Henrici Bullingeri Germanice euulgauit, cui addita est refutatio Iosiæ Simleri calumniarum Iacobi Andreæ contra responsionem ministrorum Ecclesiæ Tigurinæ editarum à Lauatero cõuersa in linguam Germanicam. Explicationem in octo postrema capita commentariis Petri Martyris in Genesin additam. Eiusdem in Iobum 141. Homeliæ Germanicæ publice extant. Apologiam ministrorũ Ecclesiæ Tigurinæ contra Iacobum Smidlinum ex Latina in Germanicam linguam cõuertit. Vitam Conradi Pellicani edidit. Librum Ruth, 28. Homeliis expositit Latine, quæ in linguam Italicam versæ sunt à Ioanne Martio. Librum Esther 47. Homeliis expositit Germanice, &c.

Quid non Gualterus docuit, cecinitq; docendo?
Cui Phoebus dederat, Christus & ipse Lyram.

RVDOLPHVS GVALTHERVS,

Poeta, & Theologus, pater & filius.

NAscitvr Rodulphus hic Gualtherus Tiguri Heluetiorum vrbe primariâ, anno 1518. Is animum ſuum egregiâ ſcientiâ tum diuinarum tum humanarum literarum exornauit, pariter Poëta & Orator præſtans. Paſtor idem & Antiſtes Eccleſiæ Tigurinæ celebris, quam ipſe annis amplius 40. concionando diligenter erudiit & laudabiliter adminiſtrauit. Claruit lucubrationibus in omni genere doctrinæ ac præſertim in Theologia propemodum innumeris ad poſteros tranſmiſſis, quod vel Homeliæ eius in libros fere omnes Propheticos & Apoſtolicos, Euangelicoſque abunde teſtatum faciunt. Vir morum grauitate, vitæq; ſanctimoniâ reuerendus. Obiit tandem Tiguri anno Chriſtiano 1586. annum agens vitæ ſeptuageſimumtertium. Scripſit in ſecundam & tertiam Ciceronis de lege Agraria contra Rullum

lum orationem, & in Verrinas annotationes sub nomine Eubuli Dinateri, cum aliis diuersorum annotationibus in omnes Ciceronis orationes editas. Iulij Pollucis Onomasticon latinitate donauit. Monomachiam Dauidis & Goliæ, & Allegoricam eiusdem expositionē heroico carmine descripsit, quæ cum Epicediis Eobani Hessi, Henrici Lauateri, Nicolai Patrichij Angli, Friderichi Pistorij Nidani prodierūt. Prodierunt item Apotheosis Simonis Grynæi versibus elegis. Epicedium in mortem Margaritæ Blaueræ ad Ambrosium & Thomam Blauereos fratres. Epicedia plura in variorum clarissimorum virorum obitus, vt Petri Martyris, Bullingeri, Parckhursti Episcopi Nordouicensis in Anglia. Simleri generi, Gualtheri filij & aliorū. Varia item carmina venusta & erudita ad Ioannem Frisium Tigurinū. De ratione Syllabarum & carminis, libri duo. de Germanicæ nobilitatis studiis Elegia. Argumenta omnium tam veteris quam noui Testamenti capitum elegiaco carmine conscripta. Ioannis Cantacuzeni Constantinopolitani Regis contra Mahometicam fidem apologias quatuor, & orationes totidem è Græco in Latinum transtulit.

Eiusdem

Eiusdem extat collatio noui Testamenti ad Græcam veritatem. Huldrici Zvvinglij libros circiter 34. è Germanico in Latinum sermonem transtulit ad catholicam Ecclesiam, omnemq; fidelium posteritatem pro Hulricho Zvvinglio, & operū eiusdem editione Apologiam edidit. Orthodoxa fidei cōfessio per Tigurinæ Ecclesiæ ministros contra Lutheri calumnias & conuitia Germanice scripta, & eodem interprete latinitate donata est. Scripsit Homelias quinq; de nouissimis temporibus & Antichristo, in locū Matthæi 24. Germanice & Latine. item in Ioānis Apostoli & Euangelistæ Epistolam canonicam Homelias 37. & in eiusdē Apostoli duas posteriores epistolas Homeliarum syluam. Quæ omnia etiam in Germanicam linguam transtulit. Orationem de officio ministri Ecclesiastici: Homelias aliquot Germanicas, nempe in canticum Zachariæ Homelias duas. De natiuitate Domini nostri Iesu Christi, Homelias tres. De pueritia & educatione Domini nostri Iesu Christi Homelias duas. De seruitute peccati & libertate fidelium Homelias è sexto capite Epistolę D. Pauli ad Romanos. De origine, præstantia, dignitate seu auctoritate sacræ Scri-

pturæ ex 15. capite epistolæ ad Romanos. De aduentu Domini nostri Iesu Christi, & quomodo nos ad eum præparare debeamus ex quarto capite Epistolæ D. Petri. Ex Psalmo 123. qui in actione cœnæ Domini in Ecclesia Tigurina recitatur. Theodoreti de prouidentia sermones 10. latinitate donauit. Nabal comœdiam sacram fecit ex 1. Samuelis 25. Scripsit Homelias tres de ascensione Domini nostri Iesu Christi, & missione Spiritus sancti. Speculum Christianorum siue Homelias duas de Christiani hominis nomine & officio. Præterea scripsit Homeliam de circumcisione. In orationem Dominicam homelias 10. De Constantia & perseuerantia in fide, ex primo Ioannis 2. In passionis Dominicæ historiam Homelias duas. De resurrectione Christi, item de nostrorum corporum resurrectione, & paschate Christianorum Homelias tres. De afflictionibus fidelium & eorundem consolatione, ex 2. Corinthior. 1. homeliam 1. Homeliam in testimonium Ioānis Baptistæ de Christo. Homeliæ istæ omnes Germanice editæ sunt. Præterea de incarnatione filij DEI scripsit homelias sex, Latine & Germanice editas. Transtulit Psalterium in Germanicam

cam linguam additis argumentis & annotationibus. Postremo sequentes libros sacros per Homelias integras explicauit. Duodecim prophetas minores: Euangelium S. Marci, Euangelium Lucæ, Euangelium S. Ioannis. Acta Apostolorum. Epistolam diui Pauli ad Romanos. Eiusdem vtranque epistolam ad Corinthios. Homelias fecit in Epistolam ad Galatas, & in Euangelium Matthæi. Homelias 61. in diui Pauli Apostoli Epistolam ad Galatas, cum præfatione ad Scotiæ Regem, Iacobum v 1. de officio Regum & Principum in constituenda Ecclesia. Homeliarum in D. Matthæi Euangelium, pars prima & secunda publice prodierunt. Scripsit etiam de tentationibus conciones 9. Germanicas, in locum de tentatione Domini nostri Iesu Christi. Item de vero pane vitæ nostro Domino Iesu Christo, & quomodo manducetur. Homilias 10. in 6. cap. Ioannis Germanicæ. Adhæc Latino stylo euulgauit in Esaiam Prophetam sermones 327. quos vernacula lingua habuit ad populum Tigurinū cum præfatione ad Clariss. virum Michaelem Sailetum, de Scholarū antiquissimo vsu, & laude fundatorum. Denique eiusdem extat in Pentateu-

chum Mosis translatio Germanica, cum singulorum librorum & capitum argumentis, dispositionibus, explicationibus perspicuis, & in copia breuissimis: indicioque locorum communium in lectione sacra obseruandorum.

RVDOLPHVS GVALTHERVS FILIVS.

Rudolphus Gualtherus filius ingenio & ore parentem referens, Ecclesiæ Tigurinæ minister ad D. Petrum magna cum omnium admiratione docere & scribere incipiens, non multo post anno 1577. ætatis suæ 25. immatura morte sublatus est, qui quantum sui desiderium apud omnium ordinum homines reliquerit, vniuersa ciuitas, summa frequētia eius funus prosequendo testificata est. Extat eius elegia de militia Christianorum in his terris aduersus Satanā, carnem & mundum, militantium. Epitaphium Grecum in Bullingeri obitum: Epicedium in obitum D. Ioannis Parkursti Episcopi Noruiensis in Anglia, item carmen de Tigurinorum nauigatione Tiguro Argentoratum vsq; vno die cōfecta, quod

Argos

Argos Heluetia inſcripſit. Extant eiuſdem carmina in imagines Doctorũ noſtri ſeculi virorum. Cum peregre ageret varia epigrammata & epitaphia luſit.

Quandoquidem Jude profiteris sacra Leonis
E re tam vera quin age nomen habes

LEO IVDÆ, *Theologus.*

LEo Ivdæ inter Tigurinę Eccleſię Paſtores & miniſtros non poſtremus annos XIX. & amplius, Veteris Teſtamēti libros Hebraicos ſimplici & pura dictione è ſacra Hebręorū lingua in Latinam & Hebraicam trāſtulit fide & religione ſumma; tandem verò Tiguri obiit iam ſenex, oppreſſus mole grandis huius operis, anno Chriſti 1543. Edidit tamen annotationes in Geneſin & Exodū, item in quatuor Euangeliſtas, Hiſtoriam paſſionis Dominicæ, ac in Epiſtolas Pauli ad Rom. Corinth. Philip. Coloſſ. Theſſal. & in Iacobi Epiſtolam, quas ex ore Hulrichi Zvvinglij excepit. Præterea opus articulorum ſiue concluſionum Hul. Zvvinglij è Germanico Latinum reddidit: quod cum reliquis Zvvinglij operibus habetur: Catechiſmum maiorem & minorē Germanice ſcripſit, diſtributam in vices interrogandi ac reſpondendi.

dendi. Veteris Testamenti libros Hebraicos simplici & pura dictione è sacra Hebręorum lingua, consultis simul orthodoxis interpretibus, in Latinam transtulit fide & religione summa. Passim autem per tota Biblia annotationes & variæ lectiones marginibus adiiciuntur. Historiam passionis Domini nostri ex quatuor Euāgelistis coniunctam clara & simplici expositione Germanice scripsit. Desiderij Erasmi Paraphrases in nouū Testamentum in Germanicum sermonem vertit, adiecta declaratione in Apocalypsin Ioannis per D. Conradum Pellicanum. Antea quoq; tota Biblia Germanice reddiderat, ad Hebraicam veritatem cum Hebræo quodam diligenter collatam. Scripsit Germanice de sepultura, resurrectione & ascensione Christi, & missione Spiritus sancti: Zvvinglij antibolen contra Emserum de vera & falsa religione, de prudentia, ad Christianum regem, in Germanicam linguam conuertit. Bullingeri librum contra Anabaptistas latinitate donauit.

Sex et viginti Christum docet impiger annos.
Primus & insolitum Zellius instat iter.

MATTHIAS ZELLIVS
Cæsarisbergensis.

MAtthias Zellivs Cæsarisbergensis, Argentinensis Ecclesię pastor, in Alsatia natus est, anno 1477. post Philosophici Magisterij gradū in Academiâ cum laude adeptum, literis diuinis impēse deditus fuit. Primùm Parochus & sacerdos in æde D. Laurentij est factus Argentinæ, anno 1522. postea illustratus cœlesti lumine cœlestis veritatis, primus Antichristianæ doctrinæ palā aduersatus est. profligatisq; ex Ecclesia superstitionib. Bucerum, & Hedionē fideles habuit adiutores. docuit autem annis circiter 26. in vrbe, sanctam Euangelij doctrinam puram putā seminans; homo nō doctrina tantū, sed etiā Christianis virtutibus, ac præsertim modestiâ, tēperantiâ & charitate in pauperes insignis; tandem obiit placide in Christo 9. Ian. die, anno vitæ 71. Christi 1548. Huius legitur tale Epitaphiū, sed autore anonymo:

Exegit decies ſeptenos Zellius annos
Triginta in ſumma hic Parrochus ædefuit.
Quinq; Euangelium docuit per luſtra renatum.
Hoſtis hypocriſeos pontificumq; grauis.
Cenſor erat ſcelerum vehemẽs, quæq; ore profeſſus
Expreßit vita, pauperum vbiq; pater.
Lingua loquebatur; quæ corde animoq; ſedebant,
Nec quicquam inflata mente ſuperbus erat.
Omnium obit tandem luctu (mirabile dictu.)
Dum ſedet & ſanctas fundit ad aſtra preces.

Eſt & elegans Ioannis Sapidi carmen funebre in eundem,

Hoc Matthias iacet ſepulcro Zellius,
Qui Chriſtiani functus officio ſacro,
Præconis apud Argentoratum, plus minus
Annis vigintiſex, eâ ſimul fide,
Eâ ſimulq; diligentiâ, vt opere
Sategerit præſtare quoq;, quæ docuerat.
Hinc eius in demortui funus dolens
Et mœſta prodiit fere omnis ciuitas.

Is frui-

Is fruitur illa nunc beatitudine,
Ad quam suum gregem vocauit sedulò.
Optabilis mors, quæ bene morientibus
Finis sui, æternæq; vitæ exordium est.

Non irrisus erat sed acerbus & omnia salsa
Condidit ut putres arceat inde febres

SIMON SVLCERVS, *Theologus.*

BERNÆ Heluetiorum vrbe celebri, natus fuit Simon Sulcerus, an. 1508. vir egregie peritus trium linguarum, & diuinarum pariter atque humanarū artium. Is ſummos ſtudiorum honores conſecutus eſt in Philoſophiâ & Theologiâ. Poſteaquam Bernæ publicæ functioni Eccleſiæ præfuiſſet, factus eſt deinde verus vigilansq; antiſtes & Doctor Academiæ & Eccleſię Baſilienſis, cui nutricia ſua liberali animo rependit per annos 33. vtraque manu vineam Domini ſui excolens. ipſe ſcholam Theologicam, ibidem erexit atq; rexit, fida docendi aſſiduitate ſuſpiciendus, vitę ſanctimoniâ etiam probis imitandus. Vixit annis 77. obiit anno 1585. die 22. Iunij. In nomen Sulceri eleganter luſit Carolus Vtenhouius hoc Epigr.

Qui pia ſincere populum myſteria Chriſti
Ex Euangelicis fontibus hauſta doces:
Numi-

Helvetios, inter si quis bene posse mereri
Creditus, Halerum laus sua certa manet.

BERTHOLDVS HALLERVS, Theologus.

BERTHOLDVS HALLERVS natione fuit Heluetius, natus anno 1492. Vir ſummi ingenij magnæq; induſtriæ fuit. Præter cæteras autē Germaniæ Academias Coloniæ Agrippinæ, ſtudiis in primis deditus fuit, vbi in Theologia primâ laureolâ donatur: poſt in patriā reuerſus, Bernæ primum canonicus, deinde etiam concionator electus eſt. Bis colloquium habuit Badenis de religione, cum doctoribus Pontificiis Eccio & Coldio. Primus ſuaſor & perſuaſor fuit Euangelicæ doctrinæ in patria ſuâ amplectandæ, in quo negotio Hulrichum Zvvinglium ſimul collegam habuit. Republicâ tandem Chriſtianâ conſtitutâ magno ſui deſiderio omnibus relicto obiit morte præmaturâ, anno ætatis 44. partæ ſalutis 1536.

CASPAR SCHWENCKFELDIUS ab Ossing. Eques Nobilis Silesius
B.
Nasc. in Silesia.
Ao.
Ob. in Suevia.
Ao. 1561.
Dum pate facta Dei tua dogmata prodis ab ore
Verbi equidem mutus praeco futurus eris

CASPAR SCHVVENCKFELdius, Eques.

CAsparvs Schvvenckfeldivs ab Ossing, Eques nobilis Silesius, is cum se fidei propagandæ veluti numine diuinitus destinatum censeret, Eutychetis errores renouãs singulare dogma arripuit, vnde pro sacro Verbi diuini ministerio enthusiasmũ, ac nescio quem diuinum motum somniauit. Dogma eius longè lateq; deinde disseminatũ in Germania, multos passim ex equestri & plebeio ordine sectatores habuit. Cæteroquin corporis dignitate ac vitæ sanctimonia vir grauis, & venerabilis. Scripsit de religione supra octuaginta libros Germanice. tandẽ obiit senex in Sueuia, mense Decembri anno 1561. scriptæ eius hæc sunt. Confessio & ratio præcipuorum capitum Christianæ fidei. Ratio vocationis suæ ac doctrinę. Epistola de fide, & agnitione sanctę trinitatis. Exhortatio ad veram & saluificam Chri-

sti agnitionem. Confessio & expositio agnitionis Christi & diuinæ eius maiestatis tribus partibus constans. De Euangelio & eius abusu. De peccato & gratia. Adamo & Christo. Epistola de iustificatione hominis peccatoris. De diuina filiatione & gloria integri filij DEI Iesu Christi. Testimonia ex nouo Testamento, de diuina maiestate IESV CHRISTI & carne eius. Epistola de saluifica agnitione Christi, de duabus in ipso naturis, & precipue de gloria carnis Christi. Summariū de duplici statu, officio & agnitione Christi secundum carnem, & secundum spiritū. Tres Epistolæ de agnitione Christi, tàm in Cruce, quā in Maiestate. De æterna DEI substantia, & quantum à creata substātia creaturarum differat. Catechismus de verbo crucis, & de discrimine verbi spiritus, & literæ. Theologia Germanica. de triplici vita hominis, & quænam sit vera Christiana vita. De pugna Christianorum. Summarium de Christiano certamine & de conscientia. De cœlesti medicina Christi veri medici, ad salutem æternam, miseri perditiq; hominis. De Christiano homine, illius natura & origine. De remissione peccatorum. De libertate fidei, Christianę doctrinæ,

ctrinæ, iudicij & conſcientię. Breuis confeſſio de Chriſto filio DEI, & ſacramẽto corporis & ſanguinis Chriſti, addita proteſtatione contra omnes errores. Editum eſt eiuſdem Epiſtolarum volumẽ primum, vt inſcriptio habet. Separatim præterea multa illius edita ſunt, vt de curſu verbi DEI Epiſtola. De cœna Domini breue opuſculum. De Eccleſia propoſitiones. Reſponſio contra Vadiani librũ. Explicationes in Pſalmos quoſdam, & alia plurima. Eiuſdem Apologia de vero & falſo intellectu vnâ cum cauſis defectionis in articulo de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti contra Iohannem Fabri in 4. Germanice. Huius eloquium cecinit

PANTALEON CANDIDVS.

Ipſo ex ore DEI, non verbi ex ore miniſtri,
Dogmata, Schvvenckfeldi, vis petere ipſe tua.
Sunt ſua danda DEO, ſunt & ſua dãda miniſtris:
Nempe trahit verbo corda mouente DEVS.

NICOLAVS REVSNERVS.

Vnum agis hoc, vt ſalua Dei ſit gloria, quicquam
Nec virtus hominum vindicet inde ſibi.

Ergo

Ergo doces saltem correptos numine dio,
Quæ sunt, posse sacramente videre, DEI:
Posse ministerium nihil hic venerabile verbi
Falleris hic animi Gaspar; at vnde, rogas?
Nempe ministerium verbi cœleste per ipsum
Quicquid agit, DEVS hoc omne benignus agit.
Mortua non est sancta DEI vox, littera vitæ
Vita, biceps gladius, malleus, ignis edax.
Quam penes est & vis, & spes, & norma salutis,
Cælitus hoc ipso sic moderante DEO.
Qui spernit verbum Domini verbiq; ministros:
Spernit is in cœlis, qui dedit ista, DEVM
Amplius haud manet ergo DEI sic gloria salua:
Fide DEO, vero corde, beatus eris.

Invidiam vincis studio, probitate laborc.
Gratia nunc meritis reddita digna tuis.

HADRIANVS IVNIVS, HORnanus, Medicus, Philologus & Poeta.

DE HADRIANO IVNIO Hornano Medico, viro absolutę eruditionis præclare cecinit Arrias Montanus hisce versibus:

Mouerat inuidiam locus inuidus, & tibi nomen,
Juni, aliâs notum sed minus vsque tuo.
Jnuidiam vincis tota probitate, fideque,
Perge, bona & studia, id quod facis, vsq; iuua.

Cuius elogij testimonia sanè locupletissima nobis perhibent, tot ab ipso elaborata monumenta nunquā interitura: is enim Cassij Iatrosophistę medicas quęstiones è Grecis Latinas fecit, impressas cum Græci exemplaris castigationibus in fine adiectis; Idem Lexico Græco adiecit vocabula supra 6500. in editione Basileæ edita, cum præfatione ad Edoardum VI. Angliæ Regem: minor editio eadē habēt quæ maior, nisi quod quę-

dam copiosius in maiore explicata, & testimoniis autorum confirmata omittit. Præterea scripsit de anno & mensibus commẽtarium, cui adiungitur Fastorum liber, quo quicquid peculiariter apud Græcos, Hebræos, Romanos, aliasque exoticas nationes memorabile quolibet die actum fuerit & obseruatum, compendio commonstratur. Item, Calendarium in quo totius anni dies, articulatim ad calculũ vocati, atq; idipsum Latinis haud Barbaris sentẽtiis, cuilibet anni tempori congruis. Edita sunt hæc quoque eiusdem scripta: Animaduersionũ libri sex, in quibus infiniti pene authorum loci corriguntur & declarantur. Item de Cœna commentarius. Nomenclator omnium rerum propria nomina variis linguis explicata indicans. Emblemata ad D. Arnoldum Cobelium. Ænigmatum libellus ad D. Arnoldum Rosenbergium. Anastaurosis, siue Passio Seruatoris nostri IESV CHRISTI Iambis conscripta. Nonium Marcellum de proprietate sermonis ope veterum codicum innumeris in locis restituit, multis locupletauit. Fulgentij Placiadæ libellum de prisco sermone repurgauit. Recognouit quoq; Rauisij Textoris epitomen Epithetorum.

thetorum. Eunapium de vitis Sophiſtarum in Latinam linguam conuertit. Ex magnis illis Euſtathij commentariis in Homerum, vtiliſſima quæq; in vnum volumen collegit, quod Cornu copiæ inſcripſit. Heſichij librum, de his qui eruditionis fama claruerunt in linguam Latinam tranſtulit.

GUILHELMUS XYLANDER Philosophus
B.
Nasc. augustæ Vindelic. A. 1520
ob.
æ.
Gracia Xylandro deberet plurima, ni jam
Plutarchus latiam ferret & ipse togam.

GVILIELMVS XYLANDER, *Philosophus.*

GVILHELMVS XYLANDER natus fuit Augustæ Vindelicorum, anno 1530. egregie vtriusq; linguæ cognitione instructus, variaq; ac multiplice eruditione instructus, Magister optimarum artium Basileæ designatus est. Fuit deinde Heidelbergæ Græcarum literarū professor fidelis pariter & diligens. Vnde præclaram nominis famam & immortalem adeptus gloriam, tum ex aliis scriptis Philologis & Historicis, tum ex optimis autoribus, præsertim Græcis partim recognitis, partim in Latinum sermonem conuersis. Fatis tandem naturæq; concessit præmatura morte, anno 1585. sepultusq; fuit Heidelbergæ. Tryphiodorum Latinis Hexametris ita reddidit, vt versus versui respõdeat, id opus iuuenis adhuc circiter 16. annos natus in Schola Augustana fecit. Verum idem opusculum denuo heroico carmine vertit, annotationibus

tationibus additis, quibus plæraq; loco corrupta restituuntur multa explicatur, sed ea versio non est edita, Pselli de quatuor disciplinis Mathematicis opusculum, Latinum fecit, adiectis annotationibus, & carmine de Philosophia. Dionis Historiam Romanam cum annotationibus. Plutarchi Parallela seu Vitas annotationibus additis, Plutarchi de Homero & audiendis Poëtis libellos, quos etiam annotationibus locupletibus explicauit. Cedreni Historiã ab origine mundi vsq; ad annum 1200. Marci Antonini Imperatoris libros duodecim de se ipso, additis aliis libellis; Antonij Liberalis transformationũ congerie, Phlegontis fragmẽto de Olympiadib. & de admirandis & longæuis. Antigoni historiis mirabilibus. Euripidem Latinum Philippi Melanchthonis, id est, ex eius lectionib. negligentissime exceptum correxit, addita de suo, quæ tum deerat Hecuba. Theocriti priora Idyllia correxit, additis suis in reliqua annotationibus. Euclidis sex libros priores in linguam nostram Teutonicam transtulit, typisq; & cõmentariis illustrauit. Plutarchi Cheronei moralia de Græco in Latinam linguã transcripsit. Strabonis rerum Geographicarũ libros

septem-

septendecim recognouit, emēdauit, & Latinos fecit additis annotationib. Stephanum item de Vrbibus recognouit & trāstulit. Scripsit præterea Variarum Lectionum libros. Tabulas Græcæ Grammaticæ absolutissimas, Algebrā, Euclidea, Geometrica, Astronomica, varia. Ac sacros noui Testamenti libros è Græca lingua in Germanicā accuratissime transtulit annotationibus adiunctis. Transtulit etiam Diaphanti libros Arithmeticos. Institutiones Aphoristicæ Logicas Aristotelis, rerum item Mathematicarum breui atque facili ordine ab eodem conscriptæ, editæ sunt in publicum. idem Polybij septendecim libros Historiæ Romanæ in Germanicam linguam transtulit. Atq; hæc de Xylandro.

Historicum seu te dicam, siue Hedio Mysten,
Et bonus es Mystes, Historicusq; bonus.

CASPARVS HEDIO, HISTORICVS, & Eccleſiæ Argent. Paſtor.

NAscitvr Caſparus Hedio Etlingę in Germania, familiâ & parentibus honeſtis, primò optimarū artium ſtudiis Friburgi, & deinde Baſileæ eruditus fuit. Friburgi quidē in Philoſophiæ Magiſtrū; at Baſileę in Theologię Doctorem promouetur. Deinceps verò vix dum renatâ in Germania Euangelij luce, Moguntinus Eccleſiaſtes conſtituitur, anno 1520. poſtea veritatis luce illuſtratus diuinitùs, M. Zellio, & Martino Bucero, tunc primùm Argentinæ verum inſtaurātibus Chriſtianiſmum, adiutor & collega datus eſt, anno 1530. Et ſummi Templi ibidem cōcionator per totos annos 23. fidelis pariter ac diligētiſſimus fuit. Tandem obiit in Chriſto feliciter, magno ſui deſiderio cunctis relicto 17. Octobris, anno 1552. Scripſit hiſtoricam Synopſin, qua M. Antonij Coccij Sabellici inſtitutū proſequitur, ab anno 1504.

quô pertigit Sabellicus vsq; ad annum 1538. impressam cum Sabellici operib. idem Chronicon abbatis Vrspurgensis magna diligentia recognouit, & ab innumeris mendis repurgauit. Adiecit etiam paralipomena rerum memorabilium ab anno 1230. ad annum 1537. Smaragdi Abbatis commentarios in Euangelia & Epistolas per totum annum ex patribus collectos, ex scriptis exemplaribus restituit, adiecta Epitome super Euangelia & Epistolas vtili omnibus qui methodice docere cupiunt simplicem & Christianū auditorē. Scripsit Chronicon Germanicâ linguâ, & ex Latina lingua in Germanicū transtulit Historias, Ecclesiasticam, Eusebij, Egesippi, Iosephi: Chronicon Abbatis Vrspurgensis. Cuspiniani Cæsares, Chrysostomi Homelias in Matthæum & Ioannem. Augustini quædam opuscula. Ambrosij libros officiorum: Smaragdi abbatis Postillam. Historiam Ecclesiasticā Germanice continuauit ad nostra vsq; tempora. Præterea in Germanicam linguam conuertit Demogorias OEcolampadij in Epistolam Ioannis. Ludouici Viuis libellum de Eleemosyna. Philippi Cominæi Historias. Erasmi Roterodami libellum de præ-

paratione ad mortem. Smaragdi commentarios in Euangelia & Epistolas per totum annū, ex veteribus patribus collectos. Hermāni Bodij vnionem dissidentium. Martini Lutheri commentarios in Psalmos graduum. Scripsit sermonem de decimis Moguntiæ habitum. Nicolai Reusneri V. Clarissimi & doctissimi carmen in eundem tale legitur:

Seu vis Historicus fidei seu doctor haberi,
Magne Hedio, rectè nomen vtrunq; geris:
Te fidei sanctæ vocat Argentina fidelem
Mysten, & vocem laudat amatq; tuam:
Te legit Historicum Germania tota fidelem;
Cum legit, Historiam, laudat amatq; tuam.
Mortuus vt sis ergo; superstes viuis in orbe,
In doctis, hæres atheris ipse, libris.

XLIII.


SIMON GRYNÆUS Philos. & Theol.
Non nomen tantum dedit huic Grynans Apollo,
Ipsum etiam fausta contigit omen auc

SIMON GRYNÆUS, PHIlosophus & Theologus Basilienſis.

IOannis Sapidi Iambos doctiſſimos de Simone Grynæo præmittere libet notationi vitę eius, ſunt autem hi:

Quæris Simon Grynæus ille quis fuit?
Attende, dicam, magnus ille vir fuit:
Decreta Grammatices nihil nouit minùs
Quàm Priſcianus: tàm prope eloquentiæ
Ciceronianæ acceſſit, vt nemo propiùs
Chryſippon exæquauit in Dialecticis:
Non hoc Iopas melius increpuit lyram:
Numeri ſcientia τὸν αὐτὸν *rettulit:*
Talis Geometra, qualis Architas fuit:
Cognitionem habuit vt Atlas ſiderum:
De moribus conſimili Ariſtoteli modo
Diſſeruit, & ſapientiâ cœleſtium:

Non

Non Plinio Physice priores detulit:
Non cessit Hippocrati medendi indagine:
Fuit alter Aurelius sacris in literis
Jam quid sacra non attigit Poeseos?
Quid est relatu dignum in Historiis nouis
Et veteribus simulq; miscellaneis
In lucubrationibus, quod nesciit?
Linguis Palæstinâ, Latinâ, & Atticâ
Non aliter ac sermone plebeio usus est.
Sed quid opus est multis, fuit plane Hippias:
Aut alter: aut vel præferendus Hippiæ:
Grex disciplinarum cui paruit omnium:
Quem luget extinctum merito Cyclopædia
Sui colit Grynæi quæ tumulum sacrum:
Ut Apollini huius nominis suum nemus.

Etsi verò nihil addi posset ad hoc Grynæi Encomium, nos tamen prosequemur nunc stylum nostrum: Fuit itaque Simon Grynæus Feringæ Sueuio oppido natus, anno 1493. In quo modestia & morum suauitas singularis, cum pietate & disciplinarum omniũ exacta cognitione certauit: magni illius Melanchthonis in schola Por-

tæ

tæ Herciniæ discipulus. Philosophiæ Magister Viennæ Austriæ nuncupatus, modis omnib. vir & laude memoriâ ob linguæ Latinæ, Græcæ & Hebraicæ peritiam, omnisq; Philosophiæ ad miraculum vsq; cognitionem; & ob Theologiæ veræ scientiam & vsum dignissimus sempiternâ. Quas ipse doctrinas passim Academiis Viennæ, VVitebergæ, Heidelbergæ, Basileæ multis annis publice priuatimque professus est. multis egregiè Latinis & Græcis authoribus suo nitori & lumini restitutis. Tandem sibi ipsi quidem satis longæuus, licèt vigente adhuc ætate mortuus, vtpote cui nihil amplius quod disceret superesse videretur: Cæteris verò tempestiuè nimium ereptus, quos scilicet, quò plura didicerat, eò docere plura, vir iuuandis aliorum studiis natus, potuisset. Obiit autem Basileæ ex peste, Cal. Augusti, Anno 1541. ætatis 48. Transtulit ex Græcis Agesilai vitam in Parallelis Plutarchi. item alium Plutarchi librum, qui inscribitur: Sitne rationis aliqua in bestiis vis, tùm vtra animantium plus huius habeant, terrestriane an aquatica. item Aristotelis Elenchorum libros duos, qui cum cæteris Latinis operibus Aristotelis excusi sunt. Eiusdemque

de virtutib. libellum, adiecta exactiore quadam de virtutibus diuisione: item de mundo librum ad Alexandrum doctissimis commentariis illustrauit. Annotationes in 8. librum Topicorum scripsit, adiecta tabula, qua continetur typus omnium præceptorum Aristotelicorum, quæ in 8. libro Topicorum interroganti & respondenti dantur. Homelias Chrysostomi in primam ad Corinthios, quæ post vigesimum sunt vsque ad 44. Latinas fecit. Extat eius etiam Epistola ad OEcolampadium libro quarto Epistolarū OEcolampadij & Zvvinglij: item præfationes in Iulium Pollucem, in Absyrtum & reliquos authores Græcos Hippoiatros in Lexicon Græcolatinum. in Plutarchi vitas Latinas, in quo opere etiam integro multa restituit & locos aliquot declarauit. in easdem etiam Græce excusas: in Euclidis elementa Geometrica Græca præfatio, vbi de disciplinis Mathematicis egregie differit. in Cl. Ptolomæi magnę constructionis libros Grę-cos: in scriptores noui orbis: in Iustinum. Præfatiuncula in Hugonis Latimeri orationem de regni statu per Euangelium in Anglia reformādo. Opera Platonis à Marsilio Ficino versa, emenda-

uit

uit & cum exemplaribus Græcis contulit adiecta præfatiuncula. Scripsit etiam somnium ad clarissimum virum Iacobum Sturmium, carmine Heroico. Extant apud Hæredes eius nondum excusa commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos: de cœna Domini liber: Opus Epistolarum: & alia quædam.

CONRADUS LYCOSTHENUS
Theologus & Philologus.
Natus Rubeaquis Ao. 1518. 8. Kal. April.
Obijt Basilæ Ao. 1561.
Ut prius, ut doctus dicaris ut accer. honoribus,
Docta Lycosthenidis Regula sola facit.

CONRADVS LYCOSTHENES, *Theologus, Philologus & Hiſtoricus.*

CONRADVS LYCOSTHENES Rubeaquenſis Alſatus, natus fuit anno 1515. Philoſophiæ pariter & Theologię operam egregie nauauit Heidelbergæ, & vtranq; poſtea Baſileæ in Scholâ & Eccleſia publice profeſſus eſt magna cũ fide & induſtria: Philologus & Hiſtoricus celebris: Theatrum vitæ humanæ, philoſophiæ perennis compendiũ, æterni Luminum Datoris benignitate per XLII. valetudinariæ ætatis annos, menſes ſeptem, dies ſeptem ſedulò ſerioque commentatus eſt; quod eo poſtea mortuo à priuigno Theodoro Zvvingero Med. & Philoſopho excellentiſſ. mirificè exornatum & locupletatum, omnibus omnium Cæſarum Amphitheatris meritò anteponitur. 8. Kal. Aprilis non improuiſo Apoplexiæ turbine ad certam immortalitatem, anno eius reparatæ 1561. abreptus eſt, præter votum metumq; : Sor-

tis literar. multam ſimul & magnam relinquens vſuram poſteris in omne æuum perduraturam. Scripſit enim commentaria in Plinium iuniorẽ de viris illuſtribus. de Rubeaquenſium Reipublicę primordiis, incrementis, deuaſtationibus, &c. à prima origine vſq; ad noſtra tempora librum, ex quo Sebaſtianus Munſterus ea, quę in magno Coſmographiæ ſuæ opere de oppido Rubeaquẽſium ſcribit, compendioſiſſime deprompſit. Iulij Obſequentis prodigiorũ librum (quem hactenus ab anno tantum vrbis conditæ 105. vſque ad annum 784. mancum ac imperfectũ habuimus) multis locis reſtituit, & ea quæ ab vrbis exordio, vſque ad L. Scipionis cum C. Lælio conſulatum, temporis iniuria interierunt, ex Dionyſio Halicarnaſſeo, Tito Liuio & aliis Romanorũ Hiſtoricis, eodem obſeruato ordine, reſarciuit atq; ſuppleuit. Scripſit præterea librum, de Mulierum præclare dictis & factis: item Libellum de priſcis Romanorum legibus & plebiſcitis: de Similibus factis, caſibus & euentu librum. Calendariũ hiſtoricum, in quo Macedonum, Ægyptiorũ, Hebræorum & Græcorum menſes, cum Romanorum menſibus conferuntur, & quæ à condito mundo,

mundo, ad noſtra vſque tempora memoratu digna certis apud diuerſos, diebus acciderũt, commemoratur &c. Clariſſimorũ Philoſophorum, Oratorum, Imperatorum, Regum, Ducum; item Pontificum, Epiſcoporum, priuatorumq; hominum Apophthegmata, quę ita in locos communes congeſta ſunt, vt ſiue publice quid, ſiue priuatim ſis dicturus, promptuariũ habeas, ex quo ad inſtitutum neceſſaria depromas. Similitudinum ac parabolarum ex ſacris ac prophanis authoribus locos communes, ad eundẽ vſum collectos, adiectis vbiq; authorum locis, ex quibus petitæ ſunt. Virtutum vitiorumq; omnium memorabilia exempla ex trecentis fere Grȩcis & Latinis authoribus probatiſſimis excerpta inque locos communes redacta. Prolegomena in Iuſtini ex Trogo Pompeio hiſtorias. Annotationes in Valerium Maximũ ac L. Feneſtellam de Romanorum ſacerdotiis ac magiſtratibus. Contraxit etiam Conradi Geſneri Medici Clariſſimi, magnum ac multis laboribus congeſtũ Bibliothecę opus in breue Compendium, in gratiam eorum qui breuitate gaudent, ac ob æris penuriam ab emptione magni operis deterrentur. Ioannis Ra-

uiſij

uisij Textoris officinam auxit,& in ordinē commodiorem redegit. Item in Claudij Ptolomæi Geographicos libros indices duos collegit, quorum adminiculo veterum simul ac recentium locorum situs, facillima ratione in tabulis depictis deprehenduntur. præfixit Ptolomæi libris Epistolam, in qua de vtilitate tabularum Geographicarū, ac iudiciis, late disseritur. extat eius prodigiorum opus Latine ac Germanice. Exemplorum magnum thesaurum collegit, quem post ipsius obitum Theodorus Zvvingerus doctissimus Philosophus & Medicus auxit & optimo ordine dispositum edidit. Epitomen sententiarum Ioannis Stobæi confecit.atque hęc quidem de Lycosthene nostro sufficiant, quem eleganti hoc commendauit poëmate:

IOANNES LAVTERBACHIVS.

Humanæ sapiens est vitæ regula dictum,
Quod gremio sedem mentis habere decet.
Hoc decet, hoc vitæ sit vt actio monstrat honesta,
Ne qua iustitiæ transgrediatur iter.
Religionis adhæc præcepta salubria veræ
Ostendit, Pietas tollat vt omne malum.

Vt te

Vt te Virtutes, Pietasq; gubernet, honestum
Ne qua Justitia transgrediaris iter;
CONRADI lepido congesta LYCOSTHENES ausu,
Quæ memoranda, tuo dicta reconde sinu.
Vt te Virtutes, Pietasq; gubernet, habebunt
In scelus, in vitium ne malus error agat.
Virtutum Pietas Regina, boniq; magistra:
Virtutes, Pietas est vbi, regna tenent.

IOSIAS SIMLERUS Helueticus Theologus
Nasc. Capellis in Helueria anno.
Ob. Tigur. An. 1576 2. Julij
Astronimus, bonus Historicus, verbiq; minister
Trinam animam trino consecro rito DEO.

IOSIAS SIMLERVS, *Theologus.*

IOSIAS SIMLERVS nascitur Capellis, in Heluetiis, homo ingenij doctrinæq; elegantissimæ, Mathematicarum disciplinarū studiosissimus, Historiarumque peritissimus: testātur id tum scripta eius, quibus patriam immortalitati cōsecrauit, tum instrumenta Astronomica ab eo excogitata. Fuit Tiguri Professor Theologiæ celebris, vir non modò in dicendo, sed & in scribendo summi acuminis & iudicij exquisiti, veterumq; Theologorū lectione confirmati, quod abunde ostendunt lucubrationes eius in omni doctrinæ genere in publicū editę. tandem morte obiit immatura annum vix agens quadragesimū quintum, die 2. Iulij, anno Domini 1576. posteaquam cum duobus sæuissimis morbis calculo nimirū & podagra cōflictatus esset acerbe annis aliquot prioribus. Capellas verò sub Tigurinorum esse

ditione inde colligitur, quod se Tiguri in patria cum laude docuisse profiteatur. Scripsit de principiis Astronomiæ libros duos. Responsionem de Christo mediatore, aduersus maledicū libellū Franciſci Stancari, Orationē de vita & obitu Cl. Theologi Petri Martyris Vermilij, cui addita sunt quædam ipsius scripta de Eucharistia ante non edita. Vitam Clariss. Medici & Philosophi Conradi Gesneri. De æterno DEI filio D. N. Iesu Christo aduersus nouos Arrianos Tritheitas & Samosatenianos lib. 3. item aduersus eosdem de S. Spiritu lib. 1. Narrationem veterum controuersionum de vna persona & duabus naturis Christi seruatoris, vna cum collatione controuersiarum nostri temporis, editā vnâ cum Latinis veterum scriptis, de eadem controuersia, quæ ab ipso recognita, summariis & annotationibus illustrata, & in vnum volumen coniuncta sunt. Scripta veterum sunt ista, Iustiniani Imperatoris edictum de recta fide. Boëtius de duabus naturis in Christo. Cassiani de incarnatione lib. 7. Maxentij scripta. Leonis PP. Epistolæ duæ. Gelasij PP. liber contra Eutychem & Nestorium. Fulgentij lib. 3. ad Thrasimundum regem. Vigilij libri

bri 5. cõtra Eutychen. Rustici Diaconi dialogus. edidit præterea Petri Martyris commentarios in duos libros Samuelis: item in Genesin; & eiusdem Precum ex Psalmis libellũ. Transtulit etiam ex Germanica lingua in Latinam Henr. Bullingeri aduersus Anabaptistarũ errores libros 6. Institutionem eorum qui de fide ab Inquisitorib. examinantur, quæ est responsio ad articulos Bauaricos. Compẽdium Christianæ religionis. Adhortationẽ ad Ecclesiæ ministros omnes, vt concordiam mutuam colant, & fidem in Christum & veram resipiscentiam simpliciter doceant. De persecutionibus quas Ecclesia passa est, earumq; causis & persecutionum pœnis. Item Othonis VVerthmülleri paraphrasticã interpretationem Orationis Dominicę, & Symboli Apostolici &c. Postremò epitomen Bibliothecæ iam secundò magna accessione locupletauit, & in infinitis locis castigatiorem edidit. Scripsit præterea Notas in Æthici Cosmographiam, hactenus nusquam editam, & in Antonini Augusti itinerariũ, quod collatione veterum manuscriptorum exemplarium plurimis locis emendauit. De fœdere & Republica Heluetiorum libros duos. Valesiam, hoc

est, de Viberis, Sedunis & Veragris libros duos. Descriptionem Rauracorum, Tulingorum, Latobrogorum, Boiorũ, libr. 2. de Lepontiis librum vnum, in quo de Alpibus & itineribus Alpinis. De vera IESV CHRISTI secundum humanam naturam præsentia in his terris Orthodoxam expositionem. De Alpibus comment. impress. cum Valesia. De republ. Heluetiorum libros duos Latine & Germanice. Responsionẽ ad duas disputationes Andreæ Musculi. Responsionem ad Iacobum Andream communi nomine scriptam. Narrationem de ortu, vita & obitu, R. viri Dn. Henrici Bullingeri Tigurinæ Ecclesiæ pastoris; inserta mentione præcipuarum rerum, quæ in Ecclesiis Heluetiæ contigerunt. Responsionem secundam ad Iacobum Andream. P. Martyris epistolas, quæstiones, & responsa: item Orationes editioni parauit Æthicus eius, Antonini itinerarium, Rutilius & Sequester Basileæ editi sunt. Scripsit præterea assertionem duarũ naturarum in vna persona CHRISTI Seruatoris contra Simonem Budnæum. Ab eodem Bullingeri respõsio ad septem capita accusationum in Latinum conuersa. collegit Vocabula rei numarię, ponderum,

rum, & mensurarum Græca, Latina, Hebraica, Arabica ex diuersis autoribus, eaque in ordinem alphabeticum disposuit, cum dictionario Latinogermanico Ioannis Frisij, sine authoris nomine impressa. Historiam Heluetiæ & eiusdem Periegesim inchoauit: sed morte præuentus nō absoluit. Eius vitam & diserte & vere descripsit Ioannes VVilhelmus Stukius, additis Doctorum virorum in eiusdem obitum carminibus. Eiusdem prælectiones Theologicę in Exodum Moysis Henrici VVolfij opera & industria prodiere. Scripsit insuper Dialogum doctissimum, quo disputatur Vtrum campanæ pulsu meridie aut vesperi audito, detecto capite sit orandū, quem manuscriptū habet Henricus Bullingerus F. Dignus quem Theodorus Beza elegantissimo ornaret hoc Epigrammate:

THEODORVS BEZA.

Simlere, mi Simlere, quo superstite
Tot mortui reuixerant:
Quos ira nobis numinis, tam pauculis
Ademit annis plurimos:

Simle-

SIMLERE quem tremuit renatus Arrius;
Tremuit renatus Eutyches;
Vastator ille Poloniæ, hic Germaniæ,
Lasi flagella numinis.
Heu subita & immatura te mors auferens,
Quàm multa tecum sustulit!
Lamenta amicis quanta, quot iustissimos
Secum dolores attulit!
Quos inter ecce BEZA quondam haud vltimus
His irrigat te lachrymis.
BEZA repetito vulnere isto saucius,
Communis ad tumulum patris.

P. CANDIDVS in eius effigiem hoc lusit tetrastichon:

Quâ tibi præsentat SIMLERVS imagine vultum,
Afficit hæc oculos pulchra tabella tuos.
Si queat excellens animi quoq; pingier illa
Gratia, nil oculi pulchrius aspicerent.

+ GERARDUS MERCATOR. Cosmographus
Rupelmundæ An. 1512. 5 Marij.
obijt Duisburgi An. 1593. 2. Decemb.
Hic adeo promptas merces Mercator habebat.
Totus ut ex illis auxerit orbis opes.

GERARDVS MERCATOR
Rupelmontanus, Cosmographus.

GERHARDI MERCATORIS Cosmographi nobilissimi vitam exacte nobis descriptā dedit dn. *Gualterus Glymnius, Patricius Teutoburgēsis, ac eius oppidi antiquissimi Prætor dignissimus*, cum nos secuti, strictim ex eo afferemus ea, quæ ad propositum nostrum facere possunt. Gerhardus itaque Mercator (inquit Glymnius) Illustrissimi Principis Iuliæ, Cliuiæ, Montis, &c. Cosmographus longe exercitatissimus nascitur anno 1512. 5. Martij sub auroram hora sexta, à parentibus Iuliacensibus Huberto Mercatore, & Emerentiana eiusdem vxore, Rupelmundæ, in finibus Comitatus Flādrię, apud illius patruum Gilbertum Mercatorem, eiusdem oppidi Pastorem vigilantissimum commorantibus. Cumq; pueritiam egressus esset prima rudimenta latinæ linguæ vtcunq; didicit, inde missus à prædicto suo

patruo Buſcoducum vt ibidē in domo fratrum Grammaticæ ſtudium abſolueret & initia Dialecticæ addiſceret, ſub Georgio Macropedio, vbi ſumptibus & impenſis ſuperioris Paſtoris annis circiter tribus cum dimidio ſtudiis vacauit. Hinc ablegatus eſt ab eodem ad celeberrimam Academiam Louanienſem, ibique in collegio Porci in conuictu conſtitutus, artibus humanioribus tantiſper operam accommodauit, donec Magiſterij gradum adeptus eſſet, poſt promotionem annis aliquot cum ſingulari delectatione in ſtudiis philoſophicis ſe exercuit priuatim, poſt vt vitæ ſuſtentandæ rectius conſuleret ad Matheſin animum adiecit. Anno deinde ætatis 24. Vxorem duxit, Ciuem Louanienſem Barbarā Schelleken, ex qua tres filios & tres filias ſuſcepit, mox cœpit ad ſculpendas tabulas animum applicare, exorſus Louanij à deſcriptione terræ ſanctæ, quę anno deinde Chriſti 37. in publicum abiit. Præceptorem in hiſce diſciplinis neminem habuit, ſed ſolummodo priuata inſtructione Gemmæ Friſij eximij Mathematici Flandriæ deſcriptionem aggreſſus breui abſoluit. Abſoluta Flandria libellum de literarum latinarum, quas Italicas cur-

curſoriaſq; vocant, ſcribendarum ratione euulgauit, mox globi terreſtris ſculpturam abſoluit, vnde in noticiam Imperatoris feliciſſimæ recordationis Caroli Quinti venit, illiuſque Maieſtati, quamplurima inſtrumenta Mathematica artificioſiſſime parauit, quę in bello Saxonico non procul ab Ingolſtadio in Ducatu Bauarię, in horreo quodam (vt illi Imperator poſt reditum ex Germania Bruxellis retulerat) igne ab hoſtibus clàm ſuccenſo, liquefacta, conſumpta fuerant. quapropter iuſſit ſibi per Mercatorem cõfici noua. Poſt decennium alterum globum quo cœli, planetarum ac cœleſtium ſignorum conſtitutionem complexus eſt in publicum dedit: item libellum de vſu globi; alium de vſu annuli aſtronomici, poſtmodum Louanio Duysburgũ cum familia commigrauit, cumque ſedem in eius vicinia fixiſſet, Imperatoris iuſſu duos exiguos globulos, vnum ex puriſſimo Cryſtallo, alterum ex ligno confecit, cœleſtem vnum, alterum terreſtrem, magnitudine globi quo pueri in circulo ludunt. Fecit deinde Europæ deſcriptionẽ, quod opus paſſim à doctiſſimis quibuſque viris effertur. poſt Britannicas inſulas in tabulis propoſuit,

item Ducatum Lotharingiæ. Chronologiam. Nouam vniuersi orbis descriptionem in amplissima forma, inuentione noua sphæram in plano extendendo, quæ sic quadraturæ circuli respondet, vt nihil deesse videatur, præterquam quod demonstratione careat, nulliusq; alterius in tam vasto opere vsus est subsidio. hoc absoluto opere animum adiecit ad repurgandas Cl. Ptolomæi tabulas, veterem Geographiam ad mentem autoris tãta diligentia restituit, vt hoc nomine eximiam commendationem promeruerit. Adhæc tametsi ante Abrahamum Ortelium ideas quasdam mente concepisset, de edendis aliis tabulis generalib. ac particularibus totius mundi, distulit tamen inchoatum laborem, donec Ortelius sua exemplaria distraxisset. Auxit deinde Chronologiam suam, & scripsit libellum de arte Geographica. Quod si illi DEVS vitam elongasset, decreuerat quoq; partes occidentales Hispaniam videlicet cum Portugallia in minores tabulas redigere. Atque hæc in Geographicis Mathematicisque disciplinis præstitit. In Theologia conscripserat Harmoniam Euãgelicam, qui labor à magnis viris auide desideratus fuit. Conscripsit præterea

terea commentaria in Epiſtolam ad Romanos. in Ezechielis aliquot capita, in Apocalypſin. Chronologiam eius *Onuphrius Panuinus Veronenſis Italus, antiquitatum indagator & excultor præclariſsimus* ita extulit, vt Mercatorem omnibus aliis, multis nominibus prætulerit. Fecit Atlantem ſiue Coſmographicę ſpeculationis libros quinq;. quorum argumenta qui exactius inſpicere volet, legat ipſum Glymnium. Fuit homo ſedatiſſimi ingenij, ſingulari animi candore & ſinceritate prędituſ, pacis & tranquillitatis publicæ & priuatæ amantiſſimus: vxorem habuit moribus caſtiſſimis ornatam, quæ anno 86. ex hac vita migrauit. Filios ſuos à primis annis Ioanni Othoni, deinde genero ſuo Molano in liberalibus artibus inſtituēdos commiſit: maiorem natu Arnoldū ſtatim in Mathematicis inſtituit, eius defuncti operas exceperunt fratres Ioannes & Gerardus feliciſſimo ſucceſſu. Rumuldus vero natu inter fratres minimus, & ipſe Geographiæ ſtudium coluit, patriſq; ſui vniuerſales orbis terræ & Europæ deſcriptiones in compendia redegit, ac totius Germaniæ delineationē in magna forma edidit. Fuit præterea Gerhardus Mercator tempo-

temporis parcissimus, otio ne tantillum temporis indulgens. cibi potusque tametsi esset parcissimus, culinam tamen habuit luculentam, rebusque necessariis bene instructam, valetudinis conseruandæ gratia. in pauperes tenuioresque fortunæ homines beneficus semper fuit, hospitalitatisque cultor & conseruator quoad viueret. in conuiuiis solennibus & priuatis facetus & hilaris, aliorū moribus facile se accommodans, quantum corpusculi constitutio ac pietatis ratio ferebat. in familiari conuersatione facilis & iucundus. in Disputationibus acutus & exercitatus, in laboribus indefatigabilis. corpore sic satis bene constituto, bonaq; valetudine, præterquā quod in senili ætate podagra aliquando laboraret. Anno demū Christi nonagesimo, quinta Maij paralysi sinistri lateris correptus est, diuturniſque doloribus confectus, triennio post, postridie Kalendarum Decembr. vbi vixisset annos octoginta duos, hebdomadas triginta septem, horas sex, & vidisset pronepotes, in Domino obdormiuit placidissimè.

ANDREAS VESALIUS ANATOMICUS
Natus Bruxellæ
An. 1514.
Obijt circa Zacynthum.
An. 1564. Æt. 50.
Corporis humani qui membra secaret & artus,
Vesalio nemo doctior ante fuit.

ANDREAS VESALIVS, ANATOMICUS, & Archiater Cæsareus.

ANDREAS VESALIVS patriam habuit Bruxellas, vrbē Flandriæ, celebrē in qua natus fuit anno Christi 1514. primo vniuersæ Philosophiæ studia Musis ipsis fauentibus felicissime absoluit, deinde Medicinæ vtriusque scientiam planè singularem in Italia adeptus est; erat enim in omni vita naturæ operum admirandorum studiosissimus; Sed inprimis fabricæ corporis humani cognoscendæ totus, præsertim dum Basileæ viueret, deditus. Reliquit autem regiæ illi ciuitati non solum specimē artis & industriæ suæ SCELETON munus hospitale, sed præterea etiam in vtraque medicina scriptos libros plurimos, & in his præclarissimum illud de Fabrica humani corporis opus, posteris omnibus suspiciendum. Is ergo ob nominis celebritatem & artis præstantiam Caroli V. Cæsaris Aug. deinceps factus Archiatrus,

munere eo ſumma fide & authoritate cum laude perfunctus eſt. Deinde cum Palæſtinæ viſendæ ſtudio, tum religionis, tùm naturæ myſteriorum cognoſcendorum causâ flagraret incredibili, repentino & exitiali morbo in itinere correptus circa Zacynthum inſulam, obiit anno 1564. menſe Octobr. ætatis anno 50. Scripſit paraphraſim in 9. librum Rhaſis ad regem Almonſorem. De affectuum ſingulariũ corporis partium curatione. Epiſtolam qua docet venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali ſecandam. De humani corporis fabrica lib. 7. cum elegantiſſimis omnium figuris, opus ab autore recognitum & auctum. Epitomen ſuorum de humani corporis fabrica librorum Germanice & Latine cum figuris excuſam. Epiſtolam qua rationem docet propinandi radicis Chinæ decocti; tractantur in ea Epiſtola anatomica multa, etſi titulus nõ promittat. Emendauit tranſlationem anatomicorũ aliquot Galeni librorum, qui cum cæteris Galeni operibus excuſi ſunt. Eiuſdem Chirurgia magna à Proſpero Bergarutio recognita, emendata ac in lucem edita eſt. Edita eſt & eiuſdem Anatomia Germanice.

XLVIII.

Quantum Asiæ Medicos hoc tollit & cucchi ætas,
Ipse ego tantum Arabes tecq; Avicenna vcho.

GILBERTVS LIMBVRGIVS, Medicus.

QVANDOQVIDEM Gilbertus Limburgius, Medicus clarissimus, in hunc Doctorum Catalogum à Cryptico nostro relatus fuit, eam præcipuè ob causam, quòd cùm inter Belgas suos maximè celebratum fuisse meminerat, atque adeò in arte sua excellentem, vt inter Auicennæ sectatores sui ævi principem facilè locum in praxi obtinuerit, quare vt vtrique pro tempore satis-faceremus, elogium eius à Clarissimo Reusnero decantatum afferemus: is enim vt laudes eius ex merito celebraret, minimè dubitauit eum cum doctissimis Galeni discipulis ita conferre, vt huic non minus laudis in suo genere quàm reliquis deberi affirmat, inquit enim:

Hippocrates medicus, medicus sit & ipse Galenus,
Par vtriq; manet per me Auicenna meus.

Admi-

Admirari verò eos qui in re aliqua laudabili ita versati sunt, vt si ipsis rerum inuentoribus pares non sint, haud longe tamen illos subsequantur, æquissimum est. Honos enim est præmium Virtutis, iudicio studioque Ciuium delatum in aliquem, & gloria consentiēs laus bonorum incorrupta vox bene iudicātium de excellenti virtute, eaque virtuti resonat, tanquam imago gloriæ, quæ quia recte factorum comes est, non est bonis repudianda. Et quod testatur Tullius, nullam virtus aliam mercedem laborum desiderat præter hāc laudis & glorię, qua quidem detracta, quid est quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam breui, tantis nos laboribus exerceamus. Certè si nihil animus præsentiuerit in posterum, & si quibus regionibus vitę spacium circumscriptum est, iisdē omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se laboribus frangeret, nec tot curis vigiliisque angeretur homo. Monumenta enim doctrinæ longe præstantiora sunt ædificiis & structuris publicis; hæc enim suo tempore senescunt & consumuntur, illa æternitati mandata nunquam sentiunt interitum. Quid enim bonarum liberaliumq; artium cognitione conferri po-

ri poteſt? in qua & facultates diſciplinæque fundantur, & barbaries à mundo abigitur. Hac itaq; in parte cum Limburgo Medico prę̃clarè actum fuit, qui non vitæ ſolùm caducæ arte ſua conſuluit, ſed & immortali nominis ſui celebrationi rectè remedium attulit, viuat proinde ſplendidus, gloriaque ſua ſic perfruatur meritus.

XLIX.

IOANNES OPERINUS, GRÆCÆ Linguæ Professor, & Typographus Basiliensis.
B.
Nasc.
Ao
Ob. Basileæ
Ao. 1568. 6. Julij.
Tu famam libris vitam scriptoribus addis.
Pars tibi mercedis sic ab utroq; venit

IOANNES OPORINVS,
Græcæ Latinæq; linguæ Professor, & Typographus Basilien.

IOANNES OPORINVS, natione Germanus, ex Latinæ Græcęque linguæ professore, temporũ iniuriâ, factus Typographus Basilienſis, intra paucos annos, aut excudit ipſe plurimos, optimos & rariſſimos libros, aut excudi per alios curauit, idq; quàm caſtigatiſſimè, vir doctus, operoſus & elegans, libris innumeris partim à ſe ſcriptis, partim aliorum à ſe publicatis, celeberrimus. Is natus anno 1508. 25 Ianuar. die, vnico virtutũ ſuarum hærede ex quarto coniugio relicto, tandem lachrymis publicis, priuataque pietate moritur Baſileæ, maior ſexagenario, anno Chriſti 1568. 6. Iulij. Scripſit Scholia in priora aliquot capita C. Iulij Solini Polyhiſtoris excuſa cum Solino & Pomponio Mela. Scholia item in libros Tuſculanarum quæſtionum Ciceronis. iuuenis colle-

gerat in omnes Demosthenis Orationes, ex diuersis Doctorū lucubrationibus, annotata quædam, quæ aliqua saltem ex parte, videlicet ad orationem vsque de falso testimonio in Aphobum excusa sunt cū Demosthene, reliqua apud ipsum manu scripta latuerūt (quemadmodum & propriorum nominum ex diuersis optimorū quorumque authorū scriptis Onomasticon magno studio collectum.) Collegit eodem instituto in Laurentij Vallæ elegātiarum Libros diuersorum doctorum censuras iustæ magnitudinis libellū: item Annotationes & commētaria diuersorum in omnia M. Tullij Ciceronis opera, seorsim tamen excusis primum iis, quæ ad Orationes, deinde quæ ad Rhetoricos libros, pòst in Philosophicos & Epistolas tam familiares, quàm ad Atticum & Q. Fratrem attinebant, quæ quidem & in Italia, Galliaq; & Basileæ semel atq; iterū sunt excusa. eandem operam in Plinij quoq; naturali Historia, & quibusdam aliis classicis scriptoribus publico studiosorum vsui communicauit. Quin & Bucolicorum Latinorum autores, quotquot à Vergilij ætate ad nostra vsque tempora eo poëmatis genere sunt vsi collegit, quorum Tomum primum

primum iam-pridem edidit, id quod & in recentioribus Comicis & Tragicis, tam ſacris quàm prophanis, itēq; Satyrographis, & in vniuerſum poëtis omnib. vno volumine coniungendo præſtitit. Plutarchi vitarum Epitomen, prius à Dario Tiberto equite Ceſænate conſcriptam, ita ab innumeris, quibus ſcatebat mendis repurgauit, vt facilius ei fuerit de integro eam ex Plutarcho colligere: id quod ei in Pauſaniæ Atticis & Corinthiacis à Domitio Caldenio olim conuerſis; in Arriano de rebus geſtis Alexandri Magni à B. Facio latinitate donato: Themiſtio ab Hermo: Thucydide & Herodoto à Laurentio Valla Latine verſis & à ſe recognitis accidit. Annotationes ipſius in Tuſculanas quæſtiones vnà cum aliis excuſæ ſunt mutato tamen nomine. E Græcis conuertit quædā ex Theocriti Scholiaſte. in Xenophonte à Birckheimero inchoata ſuppleuit. Heſiodi quæ extant opera ad verbum expreſſit, adiectis etiam Annotationib. collegit & Annotationes in totā Homeri Iliada ex Euſtathio, & aliis Græcorum Latinorumque ſcholiis; item in Melā & Poëtas aliquot Latinos à ſe iuuene prælectos. Ariſtotelis opera primus omnium, vt, quę

quidem Græce extabant, Latine etiam coniungi atq; legi à pluribus possent, partim sua ipsius, partim aliorū ad hoc ope vsus, curauit, collecto locuplete tam Græci quā Latini Exemplaris, rerum & verborum indice, quam operam prius etiā in Platone Græco, & Polluce, & Cælij Rhodigini antiquis Lectionibus, & Hermolai in Pliniū castigationibus, ac pluribus aliis Basileæ editis præstitit. Ornarunt eum elogiis viri doctissimi:

IOANNES SAMBVCVS.

Quis tua non vidit præli monumenta labores?
Quæ minima aut caruit Bibliotheca typis?
Ars fuit inuenta hæc Germanis, laude perenni:
Extulit hanc Aldus perpoliitq; rudem.
Perfectam exerces sex & triginta per annos,
Cæsaris vt superes nomine, rebus, opes.
At tibi tam merito pateant cœlestia templa:
In terris semper nomen honosq; vigent.

EPITAPHIVM ejusdem:

Frugifer Autumnus periit, Diis notus & orbi:
Orthion elapsus nautis, meditatur Arion.

GEOR-

GEORGIVS FABRICIVS.

Immortale decus tibi donat OPORINE virtus,
Famaq; ſtellifero quæ volat alta polo:
Nam per te Latij libri Graiiq; loquuntur,
Doctrinæq; nouâ laude reuixit honor.
Clauderis exigua magno ſub nomine terra,
Sed claudi tumulo gloria tanta nequit.
Nã quot habent apices, tua quot monumẽta figu-
Tot meritis par eſt reddere grata tuis.

CAROLUS UTENHOVIUS.

Quiſquis OPORINVM fatis ceſſiſſe dolebit,
Hic & OPORINVM doleat vixiſſe neceſſe eſt,
Quem vixiſſe ſemel veniens lætabitur ætas.

PAVLVS MELISSVS.

Ver, Autumnus, Hyems redarguebant
Æſtatem, quod OPORINO fuiſſet
Mortis cauſa: magis ſedipſe multò
Autumnus malè ferre, ferre iniquè
Suum quòd ſibi OPORINVM necaſſet
Æſtas, morbida Syrij nouerca:
Queis tempus, Reuocate, ait, querelas,

Immu-

Immutabilis hanc DEI voluntas
Olim iam sibi destinarat horam.

IOANNES LAVTERBACHIVS.

Quo studio priscos illustris OPORINE Vates
Quoq́ nouos cures ære, labore, typis:
Quem latet: hic oculos modò si recludere tentet,
Vrgeat hos quamuis ex adamante sopor,
Vt magis integri placeant, cultiq́ legantur,
Te studiis donas & tua cuncta bonis.
Inde tuum terris florebit OPORINE nomen,
Florebunt terris dum labor, æra, typi.
Ære, labore, typis Vates qui promouet, ipsa
Nomine fit viuax ære, labore, typis.

GEORGIUS WICELIUS Theologus Pontificius
Nusc.
Obyt Mogunt.
Vanc sed egregie musis exculte Wiceli,
Ingenio ad libitum ludis & arte tuum.

GEORGIVS VVICELIVS,
Theologus Pontificius.

CLARVIT Georgius VVicelius anno 1552. natione fuit Germanus. is scripsit quam-plurima: vtpote pro defensione bonorū operum librum. Adhortatiunculam ad congregationem concilij. Confutationem responsionis Iusti Ionæ, vnâ cum assertione bonorum operū de vera iustificatione. Præconium Euangelicæ gratiæ. Commentariolum de arbore bona, Antichristo, intercessione diuorum & ieiunio. de die mortis Dominicę. Orationem in Hebraicę linguę & leges scholę puerilis. Syllabarium siue comprehensionem locorum ex vtroq; testamento de bonis operibus. Apophrasin de voluntate Christiani hominis. De Ecclesia Christianorum contra Iustum Ionàm. Expositionem septem Psalmorum. De Eucharistia iuxta sensum scripturæ ac sanctorum Patrū. De bonorum operum ad iustitiam simul ac salu-

tem æternam necessitate libellum. Diuorum ex veteri Testamento hypodeigmata. De raptu Epistolæ priuatæ & præfixa illi criminatione contra ludum Syl. Hessi. Expostulationem cum hoste Iona. Expostulationem verbi credendi, & quot modis in sacris literis accipiatur. Catechismum Ecclesiæ. Expositionem in Psalmum 120. Dialogum de Concilio. De Oratione, ieiunio & eleemosyna libellum. De pœnitentia, confessione, & potestate clauium libellos duos. Libellum de Euangelio Martini Lutheri & eius ecclesia. Conciones triginta. Apologiam contra calumniatores. Responsionem ad scripta Eckerlingi nomine edita. Libellum de vera iustificatione, Christianorum vita & syncerõ DEI verbo. Annotationes in Biblia VVitebergensium. De obdormitione Christianorum. Precationes. Methodũ concordiæ Ecclesiasticæ. Orationem de pastoribus veris. Epistolarum libros quatuor. Acta Eislebiẽsia de remissione peccatorum. Enarrationes Euangeliorum & Epistolarum Dominicalium. Enarrationes cantionum B. Mariæ Virginis, & Zachariæ Sacerdotis & Simeonis Iusti cum tribus Psalmis Dauidicis excusas. Conquestionem de calami-

calamitoso Christianorum statu, & Epitaphia in mortem Erasmi Roterodami. De Baptismo & Eucharistia Homelias duas. Reiectionem Lutheranismi. Querelam Euangelij contempti Orationem in veterem Adam. Martyrologium Christi. Responsionem ad articulos Lutheri de Concilio. Dialogorum libros tres de Religionis dissidio. Quæstiones Catechisticas. Typum Ecclesiæ prioris. Hagiologium seu de sanctis Ecclesiæ. Catechisticum examen. Pædagogiæ Christianæ fragmẽtum. Precationes. Catechismum. Odas Christianas. Propheticos sermones centũ. Onomasticon Ecclesiæ. Idiomata linguę sanctę, veteris & noui Testamenti. Iconis Christiani hominis. Enarrationes in Haggæum Prophetam. Ecclesiasticas Demogorias & Conciones Euangeliorum ac Epistolarum per totum annum. Ordinandorum examinationes. Tabulæ Cebetis expositionem. Gratiarum actiones ob DEI beneficia. Quadragesimale. Scripsit etiam minutiora quædam: vt Tessaradecas super negotio pacificationis. Theses de fide & operibus. Item de pœnitentia. Positiones de concilio. Epicedion & Epitaphium Georgij Ducis Saxonię. Viam pacis.

Dialogum de comitiis. Aduentum Cæsaris in Germaniam. Scripsit etiam præfationes in Ecclesiasticos quosdam authores; vtpote in D. Augustini librum de fide & operibus, in eiusdem librum de vita Christiana, &c. collegit ex Augustino de Ciuitate DEI, bona ac mala, quibus humanum genus affligitur. Item Christianorum aliquot Poëtarum carmina Theologica. Scripsit præterea de mediis quibusdam incundę in Christiana religione concordiæ. Dialogum de Nuptiis. Castigationes in nouum Testamentum. Proloquia in hæreses. Additiones Typi Ecclesiæ & Hagiologij. Auctarium in Postillas de tempore. Argumenta in omnes libros Iliados Homericæ. De Polygamia libros 3. Orationem aduersus calumniosum accusatorem in genere iudiciali. Annale priuati hominis. Anacephalæosin concionum Ecclesiasticarum. Orationem Hodęporicam. Dialogum de Ecclesiæ statu. Formulas reformatorias. Compēdium Grammatices. Districha in omnes totius anni Dominicas. Versuum aliquot centurias. De igne purgatorio. Ecclesiæ incommodorum rationes & alia multa. Transtulit è lingua Latina in Germanicam. Concionem

nem Basilij magni cõtra fœneratores, in Psal. 14. Concionem S. Ioan. Chrysostomi contra auaritiam: & aliam contra vsurã. Meditationes cuiusdam Itali in Psal. 31. Dogmata Ecclesiastica ex Augustino. Erasmi Roterodami libellũ de Ecclesiæ cõcordia. Cypriani concionẽ de morte: cum exhortatione S. Ambrosij ad mortẽ. De missa veteris Ecclesiæ ex Ioan. Chrysostomo. De ritu Baptizandi apud veteres libellũ ex Bibliotheca Fuldẽsi. Collectas Dominicales. Præterea scripsit præconium Euangelicæ gratiæ per Christũ. Idiomata quædam linguę sanctę in scriptis veteris Testamenti obseruata: Methodum studij Theologici pariter & concionalis officij. Compendiosissimã descriptionẽ belli Iudaici ex Fl. Iosephi libris concinnatã. De libero arbitrio hominis Christiani. Epitomen Romanorũ Pontificum à Petro vsque ad Paulum. Insignium locorum vtriusq; Testamenti comprehensionem de absoluta necessitate bonorum à fide operum.

DISTICHON.

Vane sed egregiè Musis exculte VVICELI
Ingenio ad libitum ludis & arte tuum.

FINIS.

INDEX
EORVM, QVI IV. HOC TOMO CONTINENTVR,
cum Distichis singulorum Iconibus subiectis,

1 Ianus Duza, Dominus à Nortvvick.

Nobilitas cui docta placet, cui nobile carmen,
Ingenium DVZAE nobile semper amat.

2 Franciscus Modius, Brugensis.

MODIVS hic Iuris modium compleuerat ante,
Quàm vitæ modius plenior omnis erat.

3 Adolphus Occo, Augustanus.

Dum veterum reuocat numos, & Paonis artes
Prouehit, hic Medicos ornat, & Historicos.

4 VVernerus Seutter, I.C.

Quæritur haud tantũ SEVTTERO vita per artes,
Vita sed è CHRISTI palmite nata placet.

5 Georgius Laubius.

LAVBIVS vt Medicos frũdescceret inter & herbas,
Nobile frundentis nomen & artis habet.

6 Christophorus Herdesianus.

Romulidum Leges & Ius cœleste reuoluens,
O quantum sequeris HERDESIANE forum.

7. Cyria-

7. Cyriacus Spangenbergius.

Omnis in ætherio tua ſtet fiducia cœlo:
Namq; tuas iterum Spes facit illa ratas.

8. Martinus Chemnitius, Theologus.

Si qua Tridentino latuit ſphinx abdita monſtro,
Eruta CHEMNITII eſt omnis ea ingenio.

9. Georgius, Princeps Anhaldinus.

Aſcaniæ proaui quantum valuere triumphis,
Hic tantum vera relligione valet.

10. Ioannes Forſterus, Theologus.

Hebræos inter diuumq; oracla profeſſos,
FORSTERVS palmam laudis & artis habet.

11. Ioannes Bugenhagius.

In medio felix pelago iam Dania nidos
Te duce Chriſtigenûm pro grege conſtituit.

12. Vitus Diterichus.

VITE quod in terris animis das viuere vitam,
Æternum viues viuide VITE DEO.

13. Ioannes Pfeffingerus.

Quid condimẽto ſapiat mage? quid mage gratum
Hoc PFEFFINGERO, cui ſua dicta piper?

14. Ioannes Draconites.

Pauca quidē, ſed docta leget qui ſcripta Draconis
Perlegit, at properam quàm gemit ille necem.

15. Ioannes Brentius.

Arbor eras BRENTI multæ pietatis, at illum
Ardorem incendit relligionis amor.

16. Eraſmus Sarcerius.

Dum ſarcis ſciſſas in relligione cohortes,
Sarta tibi cœli tecta beata facis.

17. Georgius Volckmarus.

Pulpita Leuoreæ teſtantur Pallados, huic quæ
Facundo fuerit gratia in eloquio.

18. Georgius VVirth.

Vt ſummas ſummi ſectetur Cæſaris aulas,
Pœonia meruit VVIRTHIVS artis ope.

19. Iacobus Milichius.

Leucoris alma tibi felicia ſydera currant,
Sydera quæ per me ſunt tibi clara magis.

20. Ioannes Quinterius, Andernacus.

Fugaſti lethum medica clariſſimus arte,
Securus fati viuis in orbe tui.

21. VVil-

21. VVilhelmus Gratarolus.

GRATAROLVS patriam linquens atq; Italarura,
Germanos inter claruit arte viros.

22. Leonhardus Fuchsius.

Si qua Dioscoridi, si qua est data fama Galeno,
Participem ex aliqua hæc me quoq; parte facit.

23. Conradus Gesnerus.

Tot scribis libros tantumq; mereris in arte,
Ut sis vel medicis Bibliotheca tuis.

24. Cælius Secundus Curio.

CAELIVS hic cœlum triplici sibi vendicat vsu,
Corde pius, lingua purus, & arte bonus.

25. HVLDRICHVS ZVVINGLIVS.

Zvvinglius & calamo & signis dũ pugnat in ho-
Victo & vincenti par data palma fuit. (ste,

26. Martinus Bucerus.

An ne ideò BVCERE alio petis orbe Britannos,
Ut cinis & cineris gloria tanta fores?

27. Paulus Fagius.

Tu verò sequere & fratrem ne desere frater,
Par cum BVCERO gloria parta tibi.

28. Ioannes OEcolampadius.

LAMPADE si celebris tali Basilea renidet,
Non vrbs Heluetias clarior inter erit.

29. Petrus Martyr.

MARTYR eras viuus quoq; re, non nomine tantũ,
Testis id Ausonius, Anglus, & Heluetius.

30. Henricus Bullinger.

Vixisti bene, fecisti bene, dij bene faxint,
Vt bene de factis sit bona vita tibi.

31. VVolfgangus Musculus.

MVSCVLVS hic rabido securus ab vngue, Leæna
Tarpeiæ tremor & terror acerbus erat.

32. Conradus Pellicanus.

Innumeris docui scriptis, studioque fideli,
Quæ foret Hebræis gratia in eloquiis.

33. Ludouicus Lauaterus.

Qui virtute lauas alios & flumine verbi,
Tute equidem toto pectore candor eris.

34. Rudolphus Gualterus.

Quid non GVALTERVS docuit, cecinitq; docendo,
Cui Phœbus dederat, CHRISTVS & ipse lyram.

35. Leo

35. Leo Judæ.

Quandoquidem IVDAE profiteris sacra LEONIS,
E re tam vera quàm bene nomen habes.

36. Matthias Zellius.

Sex & viginti CHRISTVM docet impiger annos,
Primus & insolitum ZELLIVS instat iter.

37. Simon Sulcerus.

Non insulsus erat, sed acerbus & omnia sale
Condiit, vt putres arceat inde febres.

38. Berchtholdus Hallerus.

Heluetios inter si quis bene posse mereri
Creditus, HALLERVM laus sua certa manet.

39. Casparus Schvvenckfeld.

Dum patefacta DEI tua dogmata prodis ab ore,
Verbi equidem mutus praco futurus erit.

40. Hadrianus Junius.

Inuidiam vincis studio, probitate, labore,
Gratia sic tandem reddita digna tibi.

41. Guilhelmus Xylander.

Gracia XYLANDRO deberet plurima, ni iam
Plutarchus Latiam ferret & ipse togam.

42. Caſparus Hedio.

Hiſtoricum ſeu te dicam, ſiue HEDIO *myſten,*
Et bonus es myſtes Hiſtoricusq; bonus.

43. Simon Grynæus.

Non nomen tantũ dedit huic GRYNAEVS *Apollo,*
Ipſum etiam fauſta contigit omen aue.

44. Conradus Lycoſthenes.

Vt pius, vt doctus dicaris, vt acer, honeſtus,
Docta LYCOSTHENIDES *Regula ſola facit.*

45. Ioſias Simlerus.

Aſtronomus bonus, Hiſtoricus, Verbiq; miniſter,
Trinam animam trino conſecro rite DEO.

46. Gerardus Mercator.

Hic adeò promptas merces MERCATOR *habebat,*
Totus vt ex illis auxerit orbis opes.

47. Andreas Veſalius.

Corporis humani qui membra ſecaret & artus,
Veſalio nemo doctior ante fuit.

48. Gilbertus Limpurgius.

Quantum Aſiæ medicos hæc tollit & euehit ætas,
Ipſe ego tantum Arabes: teq; Auicenna veho.

49. Ioan-

49. Ioannes Oporinus.
Tu vitam libris, famam Scriptoribus addis,
Pars tibi mercedis sic ab vtroq; venit.

50. Georgius VVicelius.
Vane, sed egregiè Musis exculte VVICELI,
Ingenio ad libitum ludis & arte tuum.

FINIS.

Impressum
FRANCFORDII AD MOENVM,
Typis Matthæi Beckeri: impensis Hæredum Theodori de Bry.

Anno M. D. XCIX.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z155676603

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google